CONCIO GRANATENSIS

DE SANCTIS

[illegible]

CONCIONES QVÆ DE PRÆCIPVIS SANCTORVM FESTIS IN ECCLESIA HABENTVR,

à Festo Sancti ANDREÆ vsque ad Festum Beatæ MARIÆ MAGDALENÆ:

Auctore R. P. F. LVDOVICO GRANATENSI, Doctore Theologo Ordinis S. DOMINICI.

Mirabilis DEVS in SANCTIS suis. *Psalm.* 47.
Cum viro sancto assiduus esto, quemcunque obseruaueris timentem Dominum. *Ecclesiastici* 37.

ANTVERPIAE,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Viduam & Filios Io. Moreti.
M. DC. XIV.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTVS & ISABELLA CLARA EVGENIA, Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimi Belgarum Principes, Diplomate suo sanxerunt; nequis, *Conciones R.P. F. Ludouici Granatensis, sacræ Theologiæ Professoris, Ordinis S. Dominici,* præter Martinæ Plantinæ viduæ & Balthasaris & Ioannis filiorum Ioannis Moreti p. m. voluntatem, vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impressas, in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalésve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum & alia graui pœna mulctabitur, vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, XVII. Ianuarij, M. DC. XII.

Signat.

S. de Grimaldi.

Et in Concilio Brabantiæ,

I. de Buschere.

EL REY.

POR quanto por parte de vos, Fray Luys de Granada, de la Orden de sancto Domingo, nos ha sido fecha relacion que vos auiades compuesto vn Tomo repartido en tres libros de Sermones de Sanctis de toto el año, de los quales hezistes presentacion, y nos supplicastes os mãdasemos dar licẽtia para los poder imprimir en estos nuestros Reynos, y priuilegio para que por tiempo de diez años persona alguna, sin vuestra licencia, no los pudiesse imprimir, ni vender, o como la nuestra merced fuesse. Loqual visto por los del nuestro Consejo, y como por su mãdado se hizieron las diligẽcias que la pragmatica por nos nueuamente hecha sobre la impression de los libros dispone, y por os hazer bien y merced, fue acordado que deuiamus mandar dar esta nuestra cedula para vos en la dicha razon, y nos tuuimos lo por biẽ. Y por la presente os damos licencia y facultad, para que por tiempo de diez años primeros siguientes que corran y se cuẽten desde el dia de la fecha desta nuestra cedula, vos, o quien vuestro poder ouiere, y no otra persona alguna, podays imprimir y vender los dichos libros que de suso se haze mencion: y por la presente damos licencia y facultad à qualquier impressor destos nuestros Reynos que vos nombraredes, para que por esta vez lo pueda imprimir con que despues de impresso antes que se venda los tray gays à nuestro consejo iuntamẽte con los originales que en el se vieron, que van rubricados y firmados al cabo de Pedro Capara del Marmol nuestro escriuano de Camara de los que en el nuestro consejo residen, para que se corrija con ello, y se os tasse el precio que por cada volomen ouieredes de auer. Y mandamos, que, durante el dicho tiempo, persona alguna, sin vuestra licẽcia, no los puedan imprimir, ni vender, so pena, que el que los imprimier o vendiere, aya perdido y pierda totos y qualesquier libros y moldes que del tuuiere, o vendier en estos nuestros Reynos; y mas incurra en pena de cinquenta mil marauedis, por cada vez que lo contrario hiziere: la qual dicha pena sea la tercia parte para la persona que lo denonciare, y la otra tercia parte para el juez que lo sententiare, y la otra tercia parte para nuestro camara: y mandamos à los del nuestro consejo Presidentes, y Oydores de las nuestras Audiencias, Alcaldes, Alguaziles de la nuestra Casa, Corte y Chancillerias, y a todos los Corregidores, Assistentes, Gouernadores, Alcaldes maiores y ordinarios, y otros juezes y iusticias qualesquir de todos las ciudades, villas, y lugares de los nuestros Reynos y Señorios, ansi à los que agora son, como à los que seran de aqui adelante, que vos guarden y cumplan esta nuestra cedula y merced, que ansi vos hazemos, y contra el tenor y forma della ni de lo en ella contenido vos no voyan, ni passen, ni consientan yr ni passar por alguna manera, so pena de la nuestro merced; y de diez mil marauedis para la nuestra camara. Fecha en la Madrid à catorze dias del mes de Henero, de mil y quinientos y setenta y ocho años.

YO EL REY.

Por Mandado de su Magestad:
Antonio de Erasso.

CENSVRA.

OMnes de Sanctis Conciones, quas in duo volumina diligenter nimis & accuratè congeſsit Reuerendus admodum Pater Ludouicus Granatenſis, Monachus Dominicanus, & ſacræ Theologiæ Profeſſor, ac diuini verbi celeberrimus concionator, ex decreto ſummi Senatus in manus meas peruenerunt: in quibus nihil eſt quod cum Orthodoxa fide noſtra vel aliqua ex parte pugnet: ſed omnia, tam quæ ad reconditos ſacrarum Scripturarum locos exponendos ſpectant, quàm quæ ad graues & peracutas diuinæ Theologiæ quæſtiones enodandas, & ad hominum vnà mores componẽdos pertinent, Chriſtianam verè pietatem redolent, ac nimis religioſum animum auctoris pientiſsimi, & de Chriſtiana Republica bene meriti, ſatis oſtendunt. Prodeant igitur in lucem tanti viri digniſsimæ lucubrationes: ex quibus non minùs vberes fructus, quàm ex cæteris, quæ Latino, & potiſsimùm Hiſpano ſermone, cum tanta omnium admiratione, communi plauſu, & incredibili vtilitate ab eodem auctore iam diu litteris ſunt & poſteritati traditæ, emanaturos eſſe bene ac feliciter ſperamus. Matriti, in collegio Societatis Ieſu, decimoquinto Kalend. Ianuar. anno Domini M. D. LXXVII.

M. Alfonſus Sandoual.

SERENISSIMO ET REVERENDISSIMO PRINCIPI HENRICO

SS. Quatuor Coronatorum CARDINALI ARCHIEPISCOPO EBORENSI INFANTI PORTVGALLIÆ,

F. LVDOVICVS GRANATENSIS perpetuam in Christo felicitatem.

CVM sint multa, Serenissime Princeps & Cardinalis amplissime, optimi pastoris officia (nullum enim non mouere debet lapidem, nihilq́ intentatum relinquere, atque, vt Apostoli verbis vtar, omnibus omnia fieri debet, vt omnes faciat saluos) præcipuum tamen eius munus est, quod per Hieremiam Dominus designauit, cùm dixit: Dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina. Hos autem pastores constat in primis Christi Domini Apostolos extitisse, qui hoc sibi munus præcipuè delegatum fuisse in Actis Apostolorum testati sunt, cùm pauperum ac viduarum curam aliis delegantes, sibi verbi atque doctrinæ ministerium sumpserunt. Quo argumento, hoc esse præcipuum Apostolici muneris officium, satis declararunt. Idem etiam Apostolus Paulus testatus est, cùm se à Christo Domino

non ad baptizandum, sed ad euangelizandum missum esse dixit. Idemq; munus Timotheo discipulo committit, cùm ait: Prædica verbum, insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Hoc autem Apostolorum exemplum secuti Patres in Concilio Carthaginiensi quarto, cùm recens adhuc Christi sanguinis memoria, & Apostolicæ virtutis exempla vigerent, communi consilio decreuerunt, Ecclesiarum Antistites, vt pauperum & viduarum cura ad alios Ecclesiæ ministros delegata, ipsi sacrarum litterarũ lectioni, precationi, & doctrinæ ministerio se totos addicerent, ne hac benignitatis occasione à docendi ministerio se subtraherent. Hinc legimus, nemini in Orientalibus Ecclesiis coram Episcopo in eius Ecclesia permissum fuisse concionari, quòd hoc esset proprium eius ministerium. Sanctus autem Valerius Hipponensis Episcopus, multis etiam refragantibus ac detrahentibus, D. Augustinum, propter singularem eius doctrinam, coram se in Ecclesia concionari voluit. Qua ex re liquet, quàm sit Ecclesiastici pastoris proprium, plebem sibi commissam Dominicis præceptis atque institutis imbuere, quando hoc tam pium alendorum pauperum officium illi ademerunt, ne hac occasione minùs plenè docendi officium præstaret. Esse enim hoc præcipuum pastoralis curæ munus, ipsum quoque pastoris nomen satis declarat. Si enim pastoris proprium est, pinguia pabula ouibus suis prouidere; consequens est, vt rationalium ouium pastor idem ipsum efficere debeat. Quod sit autem hoc pabulum, D. Hieronymus ad amicum scribens, & ab eo sacra quædam volumina repetens, declarat his verbis: Nosti, amice, hoc esse animæ pabulum, si in lege Domini meditemur die ac nocte. Diuina ergo eloquia meditari, & aliis intelligenda ac meditanda tradere, hoc verè animum pascere est: hoc enim spirituali pastu mens humana reficitur, oblectatur, illuminatur, & spirituale robur ac vires colligit, quibus spiritualem vitam degere ac tueri possit.

Hæc omnia, Serenissime Princeps, eo consilio sunt à me dicta, partim vt significarẽ, quod esset præcipuũ veri pastoris officium, quod video iam pridem à multis ætatis nostræ pastoribus neglectum, partim vt Celsitudini tuæ gratularer, qui omnes conatus tuos, omnia vitæ studia in hoc vnum intendis, vt copiosa ouibus tuis doctrinæ pabula prouideas. Saul quondam Rex, cùm Spiritu Domini ageretur, fortissimos quosque viros sibi adiungebat, vt eorum operâ adiutus, hostes Domini potenter expugnaret: tu verò Euangelij ministros semper instruis & alis, quorum operâ &

gregem

gregem tibi commissum pascere, & rapaces ab eo lupos arcere valeas. Olim Paulus vestes eorum, qui Stephanum lapidabant, solicitè seruabat, vt eum videlicet omnium manibus lapidaret: tu contrà vndecunque verbi Dei ministros comparas, vt Christi gloriam omnium linguis, atque vocibus prædices. Neque minùs admiror iudicium, quo in hac re (pectus tuum Domino regente) vsus es. Intelligens enim nequaquam pastoribus huiusmodi ministrorum copiam suppetere posse, nisi eos ab ipsis (vt ita dixerim) incunabulis formauerint atque nutrierint; florentissimam Academiam in Eborensi ciuitate creasti, quæ à paruis initiis in eam amplitudinem excreuit, vt magnificum illud Collegium, quod vniuersæ Academiæ præest, triginta supra centum collegas habeat: quibus perpetuò alendis prouentus annuos consilio atque magnificentia tua prouidisti. Ex hoc autem virtutum atque litterarum Seminario tot per omnia Diœcesis oppida concionatores distribuũtur, vt anteacta huius anni Quadragesima, sexaginta diuini verbi ministri prodierint qui hoc ministerio fungerẽtur. Quorum felici successu ad maiora in dies communis salutis incrementa animum resumens, consequentis anni Quadragesimæ plures adhuc destinare constituisti, qui etiam à Dominici Aduentus initio ad finem vsque Quadragesimæ in eisdem oppidis degentes, docendi officio, confessionibus audiendis, atque virtutis exemplo strenuam in hac tua Diœcesi saluti animarum operam darent. Itaque Propheticum illud vsurpare nobis hoc tempore licet: Repleta est terra scientia Domini, sicut aqua maris operientis.

Hoc planè, Serenissime Princeps, ad laudum tuarum cumulum, & sempiternam nominis memoriam satis erat: sed excelsa tamen virtus nequaquam in his resistere potuit; sed vbi alij laborandi finem fecissent, tu initium ad maiora aggredienda capis. Nunc enim primum Seminarium illud, quod in sacra Tridentina Synodo institutum fuit, fabricare cœpisti: cui etiam copiosos reditus consilio atque prudentia tua, magnoq; Dei munere assignasti: quibus sexaginta viri, artium atque Theologiæ studiosi, alantur, & religiosè instituantur. Ex quo quidem Seminario quàm copiosæ doctorum atque piorum hominum fruges ad Ecclesiarum ministeria prouentura sit, non est difficile diuinare. Quin & illud ad huius Academiæ tuæ absolutionem (ne quid illi deesset) singularis prudentia tua excogitauit, vt amplam domum, triginta cubiculis distinctam, omnibusq; rebus necessariis instructam, apparandam cures, in qua pauperes scholastici, vbi in morbum incide-

 rint,

rint, curari & humanissimè tractari possint. His autem omnibus addam aliquid longè maius, quòd hæc præclara opera, non tua erga Deum obsequia, sed magna eius erga te beneficia esse dictitas: tantumq; abest vt in his rebus aliqua humanæ gloriæ aura tangaris, vt te ipsum ingrati animi culpa condemnes, quòd tãtis erga te eius beneficiis ingratus sis. Hæc, Princeps Serenissime, pro tua singulari humanitate sæpe mecum. Quæ omnia eò retuli, vt omnes Ecclesiarum Antistites, hoc exemplo sibi ante oculos posito, qua potissimùm ratione oues suas regere ac pascere debeant, apertè videant. Non enim in hac præfatione id agimus, quod facere nonnulli solent, qui, vt Principum gratiam promereantur, multa fingunt, multa plus æquo amplificant, quæ facilè coargui possint. Quæ autem ego hactenus commemoraui, in luce atque celebritate omnium posita sunt, vt impudentissimi hominis sit, quidquam in hac re vel comminisci, vel plus quàm par sit amplificare: præsertim cùm ego hac in re non amplificandi, sed narrandi munus susceperim, vt hæc tanta virtus, & pastoralis prouidentia, neque huius ætatis, neque huius regni finibus contineatur, sed per futura secula, & omnes Christiani orbis oras latissimè ad Christi gloriam, & animarum salutem, vagetur. Quæ cùm ita sint, nemo mirabitur, Serenissime Princeps, si has meas Conciones de Sãctis, multis vigiliis elaboratas, sanctissimo & religiosissimo Principi dicauerim; ei præsertim, qui propria sanctitatis laude minimè contentus, alios quoque omnes, sanctos, hoc est, sui similes efficere perpetuò contendit. Cuius rei gratia hæc tanta rerum molimina, quæ hactenus commemoraui, à te suscepta sunt. Quis enim, qui modò Christi amore flagret, non se & sua omnia illi dicare studeat, qui se totum & sua omnia communis Domini obsequio plenissimè tradidit? Faxit autem Christus, Serenissime Princeps, vt qui sic omnes conatus tuos prouexit, vt laborum tuorum amœnissimos fructus iam pridem carpis, tam diu incolumem seruet, vt eorum quæ modò exorsus es, maturos etiam fructus simili vbertate colligas: vt sic tandem cum copioso animarum fœnore tot in sempiterna felicitate coronas accipias, quot in hac vita animas Christo Domino lucrifeceris, & his piorum studiorum adiumentis perpetuò lucrifacies.

IN FESTO BEATI ANDREÆ APOSTOLI, CONCIO PRIMA:

In qua, post explicatam breuiter Euangelicam lectionem, de glorioso eius agone disseritur; & quid nobis eius exemplo agendum sit, ostenditur.

THEMA. *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuò, relictis retibus, secuti sunt eum.* Matth. 4.

PRIVSQVAM gloriosum B. Andreæ agonem (quem festis hodie laudibus Ecclesia celebrat) exponere incipiam, lectionem sancti Euangelij, quæ eius vocationem continet, paucis explanãdam duxi, vt postea in beato eius agone diutiùs valeam immorari. Ad vtrumque autem religiosè tractandum, cælestem opem, sacratissimę Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Posteaquam Dominus ac Saluator noster quadraginta dierum precibus atque ieiuniis Euangelicæ doctrinæ prædicationem (quam tum primùm aggredi volebat) æterno Patri commendasset, & cælestem in terris scholam instituere decreuisset: discipulos primùm elegit, qui huius philosophiæ auditores essent; vt ab eo eruditi, alios ipsi erudirent, atque ita granum illud sinapis (quod minimum est inter olera omnia) ab his paruis initiis in proceram tandẽ arborem excresceret, quæ ramos suos in fines mundi porriget. Quia verò cælestis hæc philosophia non tam humano studio aut ingenio, quàm diuini Spiritus afflatu & magisterio nititur (ad quod vera cordis humilitas magis quàm turgida seculi sapientia mentes præparat) nequaquam eos qui mundi iudicio sapientes essent, sed pauperes & obscuros homines ad hoc munus elegit. *Ambulans* ergo *iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus,*

Mat. 19.

Matth. 4.

& Andream fratrem eius, mittentes rete in mare (erant enim piscatores) & ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuò, relictis retibus, secuti sunt eum. Multa, fratres, in paucis his verbis non vulgari admiratione digna continentur.

Mirum enim est, quòd ad vnam Domini vocem piscatores hi, nihil dubitantes, nihil cunctãtes, nec huius vocationis euentum considerantes, Christum fuerint secuti. Quis enim nostrũ nõ ita secum ageret? Quò petimus? quem sequimur? qua ratione homo pauper & tenuis, vitæ nostræ necessaria suppeditabit? Qua ergo spe allicimur? quid dementius, quàm pro incertis certa relinquere? quid verò noua illa & insolita pollicitatio præ se fert, *Faciam vos fieri piscatores hominum?* Quòd si hoc piscationis nomine conuersionem hominum intelligit; quis rudes & imperitos, nullisq́. aut ingenij, aut eruditionis, aut eloquentiæ opibus instructos, in hominum piscatores elegit? Animaduertite hoc in loco, fratres, quantum inter diuini Spiritus afflatum, & humanæ sapientiæ consilia intersit. Nihil horum cogitarunt, sed ad vnam Domini vocem sine vlla cunctatione ipsum sequuntur; exemplum hac in re perfectissimæ obedientiæ exhibentes. Perfecta enim obedientia nihil temerè discutit, nihil examinat; non secum expendit quæ facilia, quæ difficilia, quæ aspera, quæ iucunda, quæ rationi humanæ consentanea, quæ dissentanea sint: sed fide fulta, solam præcipientis auctoritatem sequitur. Quia verò diuus Gregorius hoc in loco indiscussam & celerem Apostolorum obedientiam maximè commendat; pauca mihi, quæ sancti Patres tum de eius dignitate, tum de perfectione docent, dicenda esse videntur: atque eo magis quo doctrina hæc latiùs patet, & ad plures pertinet. Nam & subditi maioribus suis, & serui dominis, & filij parentibus, & vxores viris, & verè pœnitentes Confessariorum præceptis, atque omnes postremò communi rerum omnium Domino obedire tenemur.

Gregor.

Obedientiæ autem dignitatem D. August. ex primo Domini præcepto, generis nostri principibus imposito, demonstrat his verbis: Non potuit perfectiùs demonstrari, quantum sit bonum obedientiæ, nisi cùm Dominus prohibuit ab ea re, quæ non erat mala. Sola ibi obedientia tenet palmã, sola ibi inobedientia tenet pœnam. D. verò Gregor. tractãs illa Samuelis ad Saulem Regem verba; Melior est obedientia quàm victimæ; sic ait: Obedientia victimis iure præponitur: quia per victimas aliena caro; per obedientiam verò voluntas propria mactatur. Singularem verò obedientiæ fructum D. August. declarat his verbis: Citiùs exauditur vna oratio obedientis, quàm decem millia contemptoris. Eusebius quoque Emiss. Quanto, inquit,

August.

Greg. 35. Moraliũ. 1. Reg 14

Homil. 3. ad Monach.

inquit, obedientiores fuerimus præpositis & patribus, tantum obediet Deus orationibus nostris. Ne verò quenquā obediendi verbum Deo attributum offendat, meminerit hoc verbum in sacris litteris ipsi etiam rerum omnium Domino tributum. Cùm enim Sol ad imperium Iosue in cælo trium horarum spatio immobilis stetisset, hæc protinus verba subijciuntur: Obediente Deo voci hominis. non enim ait, obediente Sole voci hominis; sed (quod mirabilius est) Deo obediente. Quia enim sanctus Iosue (vt in eodem libro scriptum est) perfectissima obediētia omnes Dei leges & præcepta seruauit, voluit iustissimus ille mundi arbiter obsequiū obsequio, & obedientiam obedientia remunerare. Quod igitur maius obedientiæ præmium, quàm quòd vir obediens omnipotentem Deum sibi faciat obedientem? Habet etiam insignem aliam vtilitatem obedientia, in qua singularem charitatis dignitatem æmulatur: nēpe quòd sine illa, nulla virtus Deo grata sit. Hinc diuus Bernardus tractās illa Domini verba apud Esaiam; Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra; docet, neque ieiunium, neque silentium, nec vigilias, nec orationes, & lectiones, & cætera bona opera grata esse Deo, vbi inuenitur voluntas nostra, hoc est, vbi virtus obedientiæ omnino deest. Denique tanta obedientiæ virtus est, vt ea quoque opera iusta ante Deum faciat, de quibus dubitari meritò potest, iusta an iniusta sint, vbi quis ea ex maiorum imperio exequitur. Cuius rei sancti Doctores causam afferunt, quòd nequaquam ad eos, qui aliorum imperio subsunt, spectet maiorum præcepta examinare, sed opere implere. Hinc illud D. Augustini: Vir iustus, si fortè etiam sub Rege & homine sacrilego militet, rectè potest illo iubente bellare, si, quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrùm sit, certum non est: ita vt fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi. Qua ex re singularem quandam obedientiæ dignitatem intelligere licet. Cùm enim certum sit, non modò lethaliter peccare eum, qui, quod iniustum esse nouit, exequitur; sed illum etiam qui de operis iustitia dubitat, propterea quòd se lethaliter peccandi periculo exponat (vt ij faciunt, qui à seruis emptitiis aliquid emunt, quod an sit furto sublatum, dubitant) eam tamen sola obediētia dignitatem retinet, vt, quod à maioribus iniunctum sit, citra vllum periculum exequi possimus, etiam si, an illud ex natura sua æquum vel iniquum sit, dubitemus. Ioannes verò Climacus, qui perfectam obedientiam sepulchrum propriæ voluntatis appellat, virtutis huius securitatem breui oratione describit, dum eam tutam nauigationem, & immediatam

Bernard. super Cant. Esai. 58.

August.

ad Deum excusationem vocat. Quibus verbis significat, verum obedientem tutò inter aduersantis huius mundi vndas nauigare, paratamque in diuino iudicio peractæ vitæ excusationem habere; cùm non à se, sed à præfecto suo peractæ vitæ ratio exigenda sit: idemq. circa solicitudinem degit, cùm vitæ suæ habenas à se sustulerit, & præfecto suo commiserit.

Ad eorum autem quæ hactenus diximus confirmationem, mirabile obedientiæ exemplum, quod quidem Ioannes Climacus memorat, eiusdem verbis referre libet: sic igitur ait: Non ero occultator iniquus, neque fraudator inhumanus, vt ea sileam quæ silere omnino nefas est. Ioannes Sabbaita, summus vir, mihique carissimus, rem mihi retulit memoratu dignissimam. Erat, inquit, in monasterio meo quod est in Asia, senex quidam negligentissimus & immoderatus; quod non iudicandi causa, sed veritatis studio dico: huic erat discipulus iunior, Acatius nomine, simplex quidem animo ac voluntate, sed sensu & ratione prudentissimus; qui tanta ab huiusmodi sene passus est, quæ si referre voluero, plurimis fortè videbuntur incredibilia. Cùm igitur egisset annos nouem sub immiti illo & acerbo sene, migrauit ad Dominum, sepultusque est in cœmeterio Patrum. Post quinque autem dies abiit ad magnum quendam illic senem Acatij magister, dixitq. illi: Pater, Acatius mortuus est. Quod cùm audisset senior, respondit: Verè senex nō id mihi persuadebis. Cui ille: Veni, & vide. Continuò surrexit senex, venitque cum beati pugilis magistro ad cœmeterium, clamatq. tanquam viueret ad eum, qui in beata requie viuebat, dicens: Frater Acati, putásne mortuus es? Tū verò gratus ille obediēs, etiam post mortem obedientiam ostendens, magno illi seni ita de sepulchro respondit: Et fieri quomòdo potest, Pater, vt moriatur homo obedientiæ deditus? Tunc senex ille, qui pridie illius magister appellatus fuerat, territus, in faciem cum lachrymis cecidit, atq. à monasterij Abbate petiit, vt sibi iuxta tumulū eius cellulam construere liceret; illicque iam sobriè vixit, dicens Patribus semper, Homicidium feci. Hactenus Climacus. Si cui autem exemplum hoc incredibile aut mirabile videtur, nō minus vtique mirabitur, si Apostolicæ dignitatis celsitudinem, ad quam hodie Apostoli per obedientiam peruenerunt, fuerit contemplatus; qua nulla est inter omnes Ecclesiæ gradus maior. Posuit enim Dominus in Ecclesia (vt Paulus ait) primum Apostolos, deinde Prophetas, doctores & pastores, cæterosq. Ecclesiasticæ hierarchiæ ministros; inter quos omnes Apostoli principem locum tenent. Hoc igitur perfectæ illius obedientiæ præmium extitit.

1. Cor. 12

Hæc sunt, fratres, quæ ad virtutis huius commendationem

(vt alia prætereamus) à sanctis Patribus referuntur: quæ tamen omnia non cuiusuis obedientiæ, sed perfectæ cōueniunt. Quid autem perfecta obedientia habere debeat, iidem apertè declarant. Primùm enim simplex esse debet, qui superioris mandatum non examinet aut discutiat. Qua de causa obedientiam idem Climacus discretionis depositionem appellauit: quòd verus obediens discretionem imperandi superiori commiserit, sibi verò obtemperandi, non imperata examinandi, officiū sumpserit. Hinc D. Bernardus: Non attendit verus obediēs, quale sit quod præcipitur, hoc solo contentus quod præcipitur. Quod D. Andreas exemplo suo declarat, qui sine disquisitione, cū fratre suo ad imperium vocantis Domini, relictis omnibus, ipsum secutus est. Nec satis est hac animi simplicitate obedire, nisi protinus sine vlla cunctatione, quod præcipitur, alacriter exequaris. Qua de re sic idem Bernard. ait: Verus obediens mandatum non procrastinat, sed statim parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, & se totum intus colligit, vt mandatum peragat imperantis. Hanc obediendi celeritatem exemplo suo ostendit Abraham, qui iussus à Domino dilectissimum filium immolare, non expectata luce, in ipsa nocte se huic operi cum filio accinxit. Hanc autem obediendi promptitudinem apud sanctos illos Aegypti monachos ita viguisse Cassianus memorat, vt cùm dato signo ad munus aliquod vocarentur, qui scribendi officio incumbebant, quem cœpissent literæ characterem delineare, imperfectum relinquerent, vt sine vlla mora imperātis voluntati parerent. Hoc ipsum nos hodie Petrus & Andreas exemplo suo docent, qui à Domino vocati, nulla interposita mora, continuò ipsum secuti fuisse perhibentur: idemq. nos Iacobus & Ioannes frater eius in eadem lectione docent; qui vbi primùm vocati à Domino fuerunt, statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum: nec enim sanctus Euangelista hanc obediendi alacritatem silentio prætereundam duxit.

Bernard.

Idem.

Genes. 4.

Cass.

Perfecta quoq. obedientia libentiùs humilia quàm honorifica, & aspera quàm iucunda sibi imperari desiderat: scit enim verum esse quod D. Gregorius ait: Cùm huius mundi successus præcipitur, cùm locus superior imperatur; is qui ad percipienda hæc obedit, obediētiæ sibi virtutem euacuat, si ad hæc etiam ex proprio desiderio anhelat. Postremò hoc etiam perfecta obedientia habere debet, quod idem Gregorius ait, vt non seruili metu, sed charitatis affectu; non timore pœnæ, sed amore iustitiæ maiorum præceptis obediat. Quocirca appositè admodū D. Bernardus perfectam obedientiam perfectę monetæ siue numo comparat: qui & integer esse debet, hoc est,

Gregor.

Idem.

In Serm. S. And.

nulla ſui parte truncatus; & purus, hoc eſt, nulli peregrino metallo admixtus. Talis igitur perfecta obedientia eſt, quæ & omnia, quæ præcipiuntur, exequitur, & non corrupto affectu, ſed ſincero obediendi amore, eadem operatur. Quiſquis igitur obedientiam ſuam his legibus atque virtutibus ornauerit, præmia illa magnifica, quæ obedientibus propoſita eſſe diximus, conſequetur. Hæc nos, fratres, ſanctorum Apoſtolorum perfecta obedientia dicere compulit: nunc ad extremum, eundemque glorioſiſſimum beati Apoſtoli Andreæ agonem explicandum veniamus.

I.

Cùm multa, & in vita, & in morte huius beatiſſimi Apoſtoli admiratione & laude digniſſima ſint, tum nihil eſt mirabilius, quàm lætitia illa & alacritas animi, qua ad crucis ſupplicium properabat. Ductus quippe ad martyrij locum, cùm paratam ſibi crucem à longè vidiſſet, nequaquam illam ſupplicij inſtrumentum, ſed ſummi honoris atque dignitatis thronum eſſe iudicauit: nequaquã, vt D. Bernardus ait, ſicut exigere videbatur mortalis infirmitas, expalluit: nequaquam ſanguis eius gelatus eſt: non horrore ſtetere comæ, aut vox faucibus hæſit: non contremuit corpus nec mens turbata eſt, non receſſit, vt aſſolet, intellectus: ex abundantia cordis os locutum eſt: & charitas, quæ feruebat in corde, quaſi ſcintillas quaſdam ardentiſſimas mittebat in voce. Quorſum enim, quæſo, illa verba attinent, quibus paratam crucem compellabat? O crux diu deſiderata, & iam concupiſcenti animo præparata, ſecurus & gaudens venio ad te: ita & tu exultans ſuſcipias me, diſcipulum eius qui pependit in te: quia amator tuus ſemper fui, & deſideraui amplecti te. Obſecro, fratres, homo ne eſt mortalis qui hæc loquitur, an Angelorum aliquis, aut noua aliqua creatura ab omni mortalitatis ſenſu ſecreta? Sed hominem eſſe, ſimilem nobis paſſibilem, paſſio ipſa teſtatur, qua appropinquante, tam lætabundus exultat. Et quidem Apoſtoli, Martyreſque quàm plurimi, celeri mortis ſupplicio abſumpti, citò mortem immortalitate commutarunt: at beatus Andreas biduo crucis patibulum, & diuturnæ mortis cruciatum pertulit. Et illi quidem magno ſilentio cruciatus ſuos perferebant. Vnde cùm beatiſſimus quidam martyr inter horrendos corporis cruciatus Dominum tacitus precaretur, tantamq. inter tam acres dolores conſtantiam demiratus Præſes, ab eo quæſiuit, quomodo tantis cruciatibus affectus, nihil quereretur, nullamque vocem emitteret; hæc admirandæ philoſophiæ verba reſpondit: Diſciplina Chriſtianorum eſt, ſeruare, dum oramus, ſilentium. Magnæ quidem virtutis hoc ſilen-

Bernard. in Serm. de S. Andrea.

ſilentium extitit; maius tamen fuit, quòd beatus Andreas, crucis ſuſpendio atque inedia confectus, toto biduo populum docere, & ad cæleſtis patriæ amorem hortari non deſtitit.

Vnde ergo (inquit Bernardus) in homine tam noua hæc exultatio? vnde tam inaudita lætitia? vnde in tanta fragilitate, tanta conſtantia? vnde in homine tam ſpiritualis mens, tam robuſtus & imperterritus animus? Quis enim mortalium mortem lætus aſpexit? Nam ſi cunctorum terribilium extremum mors eſſe dicitur, quæ & vita & opibus cunctis hominem ſpoliat, & trunco aut lapidi nobiliſſimam creaturam ſimilem reddit: quis hanc tantam rerum mutationem, tam diſſimilemque ſortem non perhorreſcat? Quorundam vidimus capillos, denunciato mortis ſupplicio, vnius noctis ſpatio in candorem verſos; & quod longæua ætas vix facere ſolet, noctem vnam peregiſſe: quoſdam autem loquendi facultatem amiſiſſe: alios verò in furorem & amentiam verſos: alios etiam ante mortem, ſolo mortis imminentis nuncio, mortuos fuiſſe. Sed quid homines commemoro? Ipſa etiam bruta animantia rationis expertia, ſolo naturæ inſtinctu vehementiſſimè mortem timent. Quis enim neſciat rugitu leonis, aut aquilæ clamore audito, feras ipſas, & aues timoris magnitudine exanimari? Si igitur mortales omnes, ſi bruta adeò mortem & interitum reformidant: quis non miretur mortalem hominem tanta animi alacritate patibulum ipſum, & teterrimam mortis faciem intueri, vt verè dicere potuerit: Amator tuus ſemper fui, & deſideraui amplecti te, ô bona crux. Cùm ergo affectus hic magnæ nobis admirationis materiam præbeat: quæramus diligenter, fratres, vnde hæc tanta vis, tamque inſolitus manarit affectus. Conſtat enim maximarum rerum admirationem, philoſophandi (hoc eſt, abditarum rerum cauſas inquirendi) occaſionem hominibus præbuiſſe: huius enim tantæ fortitudinis cauſam inuenientes, licebit nobis eiſdem rationibus ad eam virtutem aſpirare, quæ ab illis profecta eſt.

In Serm. S. And.

Vt huic igitur quæſtioni reſpondeamus, illud primò ſciendum eſt, fortitudinem hanc nequaquam à fragili carnis natura, ſed à cæleſti virtute proficiſci, de qua Saluator à morte excitatus diſcipulis dixit: Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto. Qua virtute iidem diſcipuli induti, qui in paſſionis Dominicæ nocte, turpi ſeſe fugæ, relicto Domino, dederunt; poſtea infracto animo aduerſus totam mundi & inferorum potentiam decertarunt, & conſtanter atque intrepidè mortem ſubierunt. Hanc porrò fortitudinem Spiritus ſancti dona, & cæleſtes virtutum habitus præbent;

Luc. 14.

præbent; quæ pij hominis mentem non ſolùm veſtiunt & ornant, ſed inuictam etiam telis inimicorum, & inſuperabilem efficiunt: cuius decorem cum mirabili fortitudine coniunctum cæleſtes Virtutes in Cant. mirantur, cùm dicunt: Quæ eſt iſta, quæ progreditur ſicut aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata?

Cant. 6.

Harum autem virtutum omnium radix & fundamentum, fides eſt. Vt autem exculta & aucta radice, rami arboris cum ea pariter augentur & creſcunt; ita fidei incrementum, omnium aliarum virtutum robur & incrementum parit. Fides enim, quamuis, vbi mortua & informis eſt, otioſa ſit (poteſt enim, vt diuus Auguſtinus ait, fides ſine charitate eſſe, ſed non prodeſſe) ea tamen charitatis atque aliarum virtutum acceſſione mirum in modum perficitur & augetur. Vt enim cæteræ virtutes, ita hæc quoque bonorum operum meritis, & Spiritus ſancti donis ac beneficiis, maxima in viris ſanctis atque perfectis capit incrementa. Quod quidem Apoſtolus expreſſit, cùm virum iuſtum de fide in fidem proficere dixit. Quo loquendi genere fidei incrementa deſignauit, quæ à paruis initiis, & obſcuro lumine, ad tantam firmitatem & claritatem aliquando peruenit, vt viri ſanctiſſimi fidei myſteria non modò credere, ſed etiam cernere quodammodo ſibi videantur. Fides enim charitate incenſa, & per intellectus donum irradiata, miris animam ſplendoribus implet, reficit, & illuminat. Nec ſolùm interno diuini Spiritus lumine perficitur, ſed exteriùs etiam, operatione miraculorum, Deo intus cooperante, mentemque illuminante, augetur. Sic Nicodemus viſis Domini ſignis; ſic Regulus cuius filius ſanatus à Domino fuit; ſic cæcus ille natus, & ab ipſo illuminatus, fidem, miraculorum virtute, ac Deo mentes eorum excitante, perceperunt. Quin etiam inter ipſos Martyrum agones, atque horrenda certamina, multi infidelium ob edita à ſanctis Martyribus miracula, ſic fidei ſplendore illuminati, & in ea ſolidati fuerunt, vt libenter etiam pro ea martyrium ſubierint. Quod quidem beatiſſimi Hippolyti atque ſociorum eius, multorumque aliorum exemplo diſcimus.

Simile.

Ioan. 3. & 4.

Si igitur his rationibus fides augetur, qualis, quæſo Apoſtolorum fides extitiſſe credenda eſt, qui primi ante omnes primitias Spiritus perceperunt? qui omnium gentium linguis ſubitò locuti ſunt? qui omnia Domini miracula ab eius prædicationis initio ad finem vſque viderunt? qui ipſum & à mortuis excitatum, & in cælos admirabili poteſtate aſcendentem contemplati ſunt? quique ipſi eandem poteſta-

tem

tem edendi miracula acceperunt? Quid verò hîc de beati Andreæ fide referam; qui Apostolorum omnium primus Dominum secutus est; & Apostolorum Principem, eundemque fratrem suum, ad Dominũ adduxit; & qui non modò mirabilium operum patrator extitit, sed fraterni etiam corporis vmbram miracula facientem vidit? Si ergo, cùm diuina aspirat gratia, tanta miraculorum vis est ad rerum diuinarum fidem, vt modò diximus, faciendam, vt vel vnius miraculi operatio infideles homines non modò ad fidem conuerterit, sed ad mortem etiam, extremaque pro ea supplicia perferenda inuictos reddiderit: qualem, quæso, beatissimi Andreæ fidem & fidei propaginem, hoc est, fortitudinem atque constantiam fuisse putabimus, quæ non solùm interno diuini Spiritus magisterio illuminata, sed innumeris propemodum miraculis, partim visis, partim à se editis, illuminata, confirmata, & aucta fuit? Quid igitur mirum, si qui tanto fidei splendore circũfusus, certissimè sciebat, ac penè videbat, vbi primùm animam efflasset, in cælestes illas sedes eam euocandam, & sempiternis gaudiis afficiendam: quid, inquam, mirum, si adeò lætus ad crucem pergeret, per quam illi aditus ad sempiternam felicitatem patebat? Beatus Stephanus dum lapidaretur, vidit cęlos apertos, & Iesum stantem à dextris Dei. Quis hoc spectaculo animatus, non libẽter, non dico lapides torrentis, sed mille etiam mortes non alacriter sustineret, vt hac tanta gloria sibi frui liceret? At beatus Andreas nec minori fide, nec minori etiam spe & securitate eamdem gloriam per crucem sibi paratam intelligebat. Cur ergo inspecta cruce non exultaret ac triumpharet; per quam, breuissima illa passionis mora transacta, ea esset bona consecuturus, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ iam fide quodammodo præsumpserat, spe attigerat, & veluti iam manu tenebat?

Act. 7.

Hac igitur ratione fides, & fidei germana, spes, beatissimi Apostoli mentem ad passionis amorem incendebant. Quid verò charitas, quæ summũ inter has virtutes locum tenet? Ea verò longè alia ratione, sed maiori tamen studio ad amorem crucis excitabat: non enim propositæ mercedis magnitudine, sed purissimo diuinæ bonitatis amore hoc in eius pectore desiderium inflammabat. Charitatis quippe est, omni ratione Deo, quem summè diligit, inseruire & gratificari velle: idque tanto magis, quanto charitas ipsa perfectior atque flagrantior est. Inter omnia autem virtutum officia, nihil Deo gratius, nihilque dignius aut mirabilius, quàm inuicta in doloribus constantia, & alacris ac læta in tribulatione patientia (hic enim summus perfectæ charitatis gradus, hoc summum probatæ virtutis ar-

gumentum est) ideo nihil magis viri sancti cupiunt, quàm hoc genere virtutis ei, quem flagrantissimo amore diligunt, gratificari. Ad hunc autem dilectionis gradum initio nascentis Ecclesiæ, cùm alios multos, tum etiam Macedones peruenisse Apostolus testatur his verbis: Notam facimus vobis, fratres, gratiam, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ: quoniam in multo experiméto tribulationis, abundantia gaudij ipsorũ fuit. Noua certè res & incognita mundo, & humanæ rationi incredibilis: quòd non in leui, sed in multa etiam tribulatione homines se ita gererent, vt non modò tristitia non afficerentur, sed magna etiã lætitia cõplerentur: hoc enim abundãtia gaudij significat. Hoc autẽ natura hominum, hoc mores, hoc vsus, hoc humana vita habet, vt quo magis calamitas crescit, eo magis & luctus, & mœror, & tristitia augeatur, & omnis lætitia procul absit; cùm scriptum sit: Tristitia vnius horæ obliuionem facit luxurię magnæ. Hîc autem supra omnes naturæ humanæ leges, quo calamitas corporis grauior, eo animi gaudium & lætitia maior exstitit. Quid autem hoc nisi ingẽs diuini amoris vis efficere potuit? De qua sic Petrus Chrysol. ait: Nil durum, nil amarũ, nil graue, nil lethale computat amor verus. Quod ferrũ, quæ vulnera, quæ pœnæ, quæ mortes amorem præualent superare perfectum? Amor est impenetrabilis lorica: respuit iacula, gladium excutit, periculis insultat, mortẽ irridet: si amor est, vincit omnia. Vnde in Cant. dilectio morti cõparatur, qua nihil in mundo fortius inuenitur, cùm nullus ab eius falce atque dominatu potentissimorum Regum aut Imperatorum immunis sit. Hãc autem insuperabilem fortitudinem Martyres habuisse cõstat: quos nulla humana vis, nulla mũdi potentia à Christi complexu atq. dilectione potuit auellere. De ea quippe mox subditur; Aquę multæ non poterũt extinguere charitatẽ, & flumina non operient eam. Omnes enim Reges terræ & Principes cõuenerunt in vnum, omnesq. vna mente atque consilio, omnibus tormentorum machinis (quæ humana crudelitas dæmonis furore concitata excogitare potuit) hunc charitatis ignem, qui in sanctorum Martyrum pectore flagrabat, extinguere nitebantur: quæ tamen omnia inuicta in Christũ dilectio superauit. Hinc D. Cyprianus in epistola quadã insuperabilẽ sanctorum Martyrum fortitudinem cõmendans ait: Steterunt torti torquentibus fortiores; & pulsantes ac laniãtes vngulas, pulsata ac laniata membra vicerunt. Insuperabilem fidem superare non potuit frequens plaga diu repetita, quamuis rupta compage viscerum, torquerẽtur in seruis Dei nõ iam membra, sed vulnera. Quam ille fortitudinis laudẽ non viris modò, sed feminis tribuit, quas ait viris etiam torquentibus fortiores extitisse. Qua fortitudine quid

1. Cor. 8.

Petrus Rauen.

Cant. 8.

Psal. 2.

Cyprian.

quid maius aut mirabilius esse potuit? Nam quamuis mirum & nouum sit, feminam viris esse fortiorem; multo tamen mirabilius est, eas, dum torquerentur, torquentibus fortiores extitisse: cùm torquere facile, torqueri autem acerbissimum sit.

Si igitur tanta perfectæ charitatis vis est, vt infirmum etiam feminarum sexum hac tanta fortitudine armârit, quid iam mirum aut nouum erit, beatissimum Apostolum Andream, qui multo maiori charitate incẽsus erat, cùm paratam sibi crucem à longè videret, his eam amantissimis verbis salutasse? O crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & membris eius tanquam margaritis ornata! ô crux, quæ per totum mundum fulges! suscipe me ab hominibus, & redde me magistro meo; vt per te me suscipiat, qui per te me redemit. Hunc enim affectum, hunc animum illi præstabat non solùm fides & spes (de quibus antè locuti sumus) sed ardentissima etiam, quam Spiritus sanctus in corde eius accenderat, charitas. Hæc enim has splendidissimas fortitudinis & constantiæ flammas in eiús mente excitabat, quibus & mortem & omnia tormentorum genera superari paulo antè docuimus. Verùm hîc aliquis fortasse dicat: Si charitatis tanta vis est, vt amara vertat in dulcia; quomodo Saluator noster, in quem se tota charitatis plenitudo effuderat (non enim ad mensuram dedit Deus Spiritum Filio) quomodo, inquam, imminente passionis hora non exultare, vt Andreas; sed pauere, vt infirmus, cœpit, & tædere? Sed cùm hoc multis de causis, iisdemque iustissimis acciderit; D. tamen Bernardus hunc infirmitatis nostræ affectum propter infirmorum solatium à Domino misericorditer assumptũ fuisse testatur: sic enim ait: Agnosco planè in duce belli pusillanimorum trepidationem, agnosco ægroti vocem in medico, cõsidero charitatem, stupeo miserationem, expauesco dignationem. Misericors Dominus non beati Andreæ robustum sibi suscepit affectum: quia non est opus sanis medicus, sed malè habentibus. Quid fuerat, Domine Iesu, si accedente hora, propter quam veneras, intrepidus stares, tanquam qui potestatem habebas ponendi animam tuam? An non longè gloriosius fuit (quando totum propter nos agebatur) vt nõ modò passio corporis, sed etiam cordis affectio pro nobis faceret: & quos viuificabat mors tua, tua nihilominus & trepidatio robustos, & mœstitia lætos, & tædium alacres, & turbatio quietos faceret? Denique agnosco & in hoc ipso Paracletum maximũ, & agnosco Paracletũ benignissimũ, qui propè est iis qui tribulato sunt corde. Non despero iam Dominé, etiam si molesta mihi videatur tribulatio quam patior; etiam si pusillanimis sum; etiam si desidero vt transferatur à me calix; non despero, inquam, dummodo audiam ipse: verum-

Bernard.

Psal. 31.

Mat. 26.

veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Hactenus Bern.

II.

Sed iam tempus eſt, vt ex his quæ de hac mirabili Andreæ fortitudine, quam ab eius flagrantiſſima in Chriſtum charitate proficiſci diximus, philoſophari incipiamus: fruſtra enim præclara Sanctorum geſta celebramus, niſi quòd nobis facto opus ſit, eorum exemplo agnoſcamus. Primùm igitur hoc exemplo intelligimus, quantum illi decipiantur, qui ideo à virtutis ſtudio abhorrent, quòd eam aſperam atq. inacceſſam arbitrentur, vitia verò illis blandiſſima & iucundiſſima appareant: hi enim veræ charitatis vim atque potentiā prorſus ignorant: quæ quanta ſit, non ſolùm beatiſſimi Andreæ alacritas paſſionis, ſed omnium etiam Martyrum mirabilis patientia declarat. Quæ ergo his adeò facilè fecit ſupplicium mortis, quomodo nō eadem leue faciat onus diuinæ legis? Vnde ergo hæc tanta cæcitas in multorum hominum pectora irrepſit, vt grauiſſimum atq. importabile diuinæ legis iugum arbitrentur? Nimirum (vt mihi quidem videtur) quòd illud non iis viribus metiuntur, quas habituri ſunt, ſi ad Dominum conuerſi, charitatis donum, & mentis ſanitatem percipiant; ſed iis quas modò habent, antequam ad illum conuertantur, cùm videlicet nondum natura per gratiam ſanata eſt. Hi autem ſimiles mihi eſſe vidētur iis, qui cùm ardentiſſima ſiti in morbo laborēt, nec tamen eo tempore, medicis prohibentibus, aquis ſe ingurgitare audeant, decernunt, vbi è morbo conualuerint, ad eos ſe fontes ituros, quos aliquando viderunt; ibique ſe ad ſatietatem vſque bibituros: qui tamen ſanitate recepta, & ſiti pariter cum morbo extincta, rident ea quæ antea morbo deluſi propoſuerant. Similis igitur horum cæcitas eſt, qui peccati morbo laborantes, non quid natura per gratiam ſanata, ſed quid per peccatum ęgra concupiſcat, attendunt: qui ſi ad Dominum per veram pœnitentiam conuerſi, veram animæ ſanitatem reciperent, facilè hoc peruerſum de rebus iudicium riderent atque damnarent.

Simile.

Sed ne quidquam hac in re prætermiſſum à nobis eſſe videatur, quæret fortaſſe aliquis, qua ratione charitatem hanc (cuius tanta vis eſt) aſſequi poterit. Hoc planè breuiter D. Auguſt. declarat his verbis: Putate, inquit, amorem hominis, quaſi manum eſſe animæ; ſi aliquid tenet, tenere aliud nō poteſt. Hoc autem dico, quia qui amat ſeculū, Deum amare non poteſt: occupatam habet manum. Dicit illi Deus; Tene quod do: non vult dimittere quod tenebat, ideo nō poteſt accipere quod offertur. Hactenus Auguſt. Cuius verbis hoc monemur, vt, ſi Deum conſequi volumus, ſimul cum peccato ſeculi amorem (vnde peccata proficiſcuntur) relinquamus: vt ſummum illud & infinitū bonum

Auguſt.

plenè

plenè poſſideamus. Hoc igitur primum eſt quod à nobis beatiſſimi Andreæ charitas, & paſſionis eius alacritas exigit.

Exigit etiam, vt, quando glorioſum eius agonem & martyrium hodie celebramus, patientiæ quoque & fortitudinis eius exemplum, quoad licet, imitemur. Sollemnitates quippe Martyrum (vt D. Aug. ait) exhortationes martyriorū ſunt: vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Quamuis enim Tyranni modò deſint aduerſum quos dimicare debeamus, alij tamen hoſtes non deſunt, contra quos tota penè vita decertandum ſit. Vita enim Chriſtiana quid aliud quàm militia eſt, in qua aduerſus principes tenebrarum, & aduerſus familiarem ac domeſticum hoſtem, carnem noſtram, pugnare ſemper debemus? Ad quam quidem pugnam nos D. Cryſoſt. hortatur his verbis: O Chriſtiane, delicatus es miles, ſi putas ſine pugna te poſſe vincere, ſine certamine triumphare. Fortiter dimica, atrociter in prœlio concerta, conſidera pactum, conditionem attende, militiam noſce, pactum quod ſpopondiſti, conditionem ad quam acceſſiſti, militiam cui nomen dediſti. Hoc enim pacto, quos miraris, omnes pugnauerunt; hac conditione vniuerſi vicerunt; hac militia triumpharunt. Sunt autem non pauci, qui quàm longiſſimè ab hac intentione & propoſito diſtant: qui videlicet ita Deo ſeruire deſtinarunt, vt nihil tamen aſperum ac difficile in eius gratiam ſubire velint. Horum autem mores appoſitiſſimè D. Gregorius deſcribit his verbis: Reprobi recta quidem deliberando petunt, ſed ad conſueta ſemper mala recurrunt. Eſſe quidem humiles, ſed ſine deſpectu: pauperes eſſe volunt, ſed ſine defectu: eſſe caſti, ſed ſine maceratione corporis: eſſe patientes, ſed ſine contumeliis volunt. Cumque adipiſci quærunt virtutes, ſed labores virtutum fugiunt; quid aliud quàm & belli certamina in campo neſciunt, & triumphare in vrbibus de bello concupiſcunt? Hactenus ille. Cùm igitur horum propoſitum adeò damnabile ſit, nos, contraria via incedentes, ſic vitam noſtram inſtituamus, vt non modò quæ facilia & iucunda ſunt, ſed multo magis quæ ſunt aſpera & iniucunda, propter Chriſti gloriam atque obedientiam amplectamur: & omnia priùs perpeti, quàm ab illius gratia excidere, malimus: hoc enim ſancti Apoſtoli & Martyres nos exemplo ſuo docent. Sciebant illi quidem, ſi verbotenus Dominum, metu mortis adacti (quemadmodum Petrus Apoſtolus) negaſſent, cum eodem Petro per pœnitentiam veniā ſe eſſe conſecuturos: ea tamen illorum fides & charitas extitit, vt laniari, diſcerpi, truncari, & excarnificari maluerint, quàm vel ad breue illud momentum fidem illi debitam violare. Ad hunc ergo dilectionis gradum contendamus, fratres, ſi ad feliciſſimum San-

Auguſt.

Chryſoſ. in Hom.

Gregor.

ctorum Martyrum consortium volumus peruenire.

Quòd si hoc vobis difficile videtur, laboris huius mercedem ante oculos ponite; quæ quanta sit, eorundem Martyrum & Apostolorum agones & certamina declarant. Qualis enim illa merces est, propter quam adipiscendã tam immania tormenta sancti Apostoli & Martyres adeò alacri & libenti animo sustinuerunt? Numquam enim (vt D. Maximus ait) vitam hanc tam constanter expenderẽt, nisi esse alteram incomparabiliter beatiorem, perfecta definitione sentirent. Hinc sanctissima illa Machabæorum mater pereuntes septem filios sub vnius diei spatio bono animo ferebat, propter spem quam in Deo habebat: eademque spes filios dũ amputata lingua, cute capitis abstracta, & manibus pedibusque truncatis in feruenti oleo frigerentur, cõsolabatur. vnde quidam illorum ad impiissimum tyrannum dixit, Tu quidem, scelestissime, in præsenti vita nos perdis; sed mundi Dominus defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. Post hunc verò alius illuditur, & linguam postulatus, citò protulit, & manus constanter extendit, & cũ fiducia ait, E cælo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio: quoniam ab ipso me ea recepturum spero. Considerate ergo fratres, qualis illa Sanctorum merces sit, quam tot Christi Martyres, tot cruciatibus atq. suppliciis mercati sunt: pudeatq. nos exiguos virtutis & pœnitentiæ labores propter eandẽ mercedem refugere (nondũ enim vsque ad sanguinem restitimus aduersus peccatum repugnãtes) cùm illi lucrum putarint, tot eam tormentis redimere. Hac enim de causa Apostolus tribulationi spem iungit, cùm ait: Spè gaudentes, in tribulatione patientes. Gaudium enim speratæ mercedis facilè minuit põdus laboris. Quæ enim pœnæ, quæ tormenta, quæ vulnera molesta esse ei poterunt, qui Deo monstrante intelligit, non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis? qui intelligit, momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operari in nobis? Si igitur hæc tanta merces fideles seruos manet, incũbamus professionis nostræ laboribus, fratres, & Dei nostri leges atque præcepta, cum vitæ etiam (si ita opus fuerit) & rerum omnium iactura seruare contendamus; & omnia quæ nos ab hoc pietatis studio remorantur, constanti animo repudiare studeamus: vt hac ratione de communi generis humani hoste trophæa referentes, cælestis gloriæ palmam, strenuè laborantibus promissam, cum sanctis Apostolis ac Martyribus percipere mereamur.

D. Maximus.

Rom. 12.

Rom. 8.

2. Cor. 4.

IN EODEM FESTO BEATI ANDREÆ, CONCIO SECVNDA: IN qua lectio Euangelica, ac præcipuè verba Thematis explanantur.

THEMA. *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* Matth. 4.

HODIERNA sancti Euangelij lectio, dilectissimi, quatuor insignium Apostolorum, Andreæ scilicet, Petri, Iacobi, & Ioannis vocationem continet. Quantum autem ex Euangelicis litteris conijcere possumus, non semel, sed iterum ac tertiò beatum Andream cum Petro fratre vocatum à Domino fuisse colligimus. Primùm enim cùm Ioannes Baptista Christum Dominum ambulantem vidisset, ipsumque Dei Agnum esse testatus esset, duo ex eius discipulis, quorum alter Andreas erat, eum secuti sunt, & apud illum eodem die manserunt. Andreas verò suauissima Christi consuetudine miro modo delectatus, inuentum fratrem adduxit ad Iesum; Messiam illum, mundique Saluatorem esse confirmans. In eo verò Euangelicæ charitatis virtus enituit, quòd solus pretioso illo thesauro frui Andreas noluit; sed eiusdem dignitatis & gratiæ participem esse fratrem studuit, ac si iam vox illa Ioannis auribus eius insonuisset: Qui audit, dicat, Veni. Hæc igitur prima horum sanctissimorum fratrum vocatio fuit. Secunda verò fuit ad stagnum Genezareth, in quo Petrus à Domino vocatus fuit: & credibile est cum Petro ibi fratrem quoque Andream fuisse. Sed quoniam eos qui docendi Euangelij munus sustinere debebant, ab omnibus aliis curis atque negotiis segregatos esse oportebat, vltimò tandem eosdem in præsenti Euangelio Dominus vocauit: quam quidem vocationem Matthæus Euangelista describit his verbis:

Apoc. 22.

Luc. 5.

Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocabatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare (erant enim piscatores) & ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Humili quidem similitudine Dominus, sed ex subiecta materia & officio sumpta, duas res maximas, Apostolatus scilicet dignitatem, & futuram Gentium conuersionem designauit: quam apertioribus postea verbis explicauit dicens; Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui

vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Piscatorum verò nomine, verbi Dei ministros intelligi per Hieremiam Dominus significauit, cùm ait: Ecce, ego mittam eis piscatores multos, dicit Dominus; & piscabuntur eos: & post hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum. Quia verò cælestis Magister hac piscandi metaphora vsus est, officij nostri erit eam excutere, & paulo fusiùs explanare. Recte igitur, verbum Dei; pisces, homines; mare, mundum, in quo huiusmodi pisces versantur, intelligimus. Mundi verò statum mari appositissimè comparari, vtriusque rei similitudo satis declarat. Si enim mare amarum est, si infidum, si procellosum, si instabile, & varium, periculisque plenum; quid, quæso, mundo similius? Quid enim in mundo stabile? quid tranquillum? quid placidum? quid diuturnum? quid non infinitis casibus & periculis obnoxium? Vt enim D. Gregor. ait, vbique in mundo mors, vbique luctus, vbique desolatio: vndique percutimur, vndique amaritudine replemur: & tamen cæca mente carnalis concupiscentiæ, eius amaritudinem amamus, fugientem sequimur, labenti inhæremus: & quia labentem retinere non possumus, cum eoipso labimur.

Hier. 16.

Gregor.

Piscium verò nomine homines diximus intelligi, qui in hoc mari magno vitam agunt. Primùm enim varia piscium genera, varios hominum status repræsentant: quorum quidam maiores, alij minores, alij autem mediocres sunt, quibus vastum mundi huius pelagus completur. Quemadmodum autem minores pisces in maiorum prædam cedunt: ita inopes ac tenues homines potentiorum iniuriæ patère, Ecclesiasticus docet his verbis: Venatio leonis onager in deserto: sic & pascua diuitum sunt pauperes. Aduersus autem hos pauperum oppressores Dominus per Esaiam clamat; Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam scripserũt: vt essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Quid facietis in die visitationis, & calamitatis de longè venientis? Illi verò diuites ac potentes magis damnandi sunt, qui nouis semper oneribus pauperes premunt, vt habeant quid opulentioribus largiantur: & illis quidem vitæ necessaria eripiunt, vt aliis tribuant vnde luxurientur. Illud etiam piscibus conuenit, vt nunquam quieti, numquam vno in loco consistant; sed prædæ captandæ gratia, huc & illuc auidissimè discurrant. Quid autem aliud in plateis, & iudicum tribunalibus cernas; nisi homines, pisciculorum more, rei parandæ atque augendæ gratia circumcursare, & continua agitatione molestissimam vitam agere? Miramur sæpe pisciculorum auiditatem, qui tanta celeritate panis micas, aut similes quisq

Eccli. 13.

Esaiæ 10.

quisquilias in stagna decidentes persequuntur: nos ipsos non miramur, qui simili studio & cupiditate paulo maiora bona captamus: quorum tamen non alius fructus est, quàm is qui ab Ecclesiaste significatur, cùm ait; Omnis labor hominis in ore eius. Eccles. 6.

I.

Verùm illud diligentiùs obseruãdum est, esse in huius mundi mari pisces, ex veteris legis decreto, mundos & immundos. Mundi autem esse dicuntur, qui pinnulas & squamas habent: Leuit. 11. immũndi verò, qui iis destituti sunt. Itaque anguilla, & muraenula, quae nunc in deliciis habentur, immundi olim pisces erant, quibus vesci sub lege non licebat. Cur ita tandem? Cur immunda creatura Dei censeatur? Sed animaduertite, fratres, mirandam Conditoris prouidentiam, qui non modò sacris litteris atque doctrinis, sed rebus etiam ipsis quas condidit, nos instruere & erudire curauit. Quid igitur hoc symbolo nobis innuitur? Pinnulae quidem, quibus tanquam pennis pisces se in altum surrigunt, & quodammodo volant, diuinarum rerum contemplationem, qua in altum attollimur, & caelestia rimamur, appositissimè designant. Squamae autem, quibus velut quadam lorica corpus tegitur, spiritualia arma significant, quibus mentes nostrae aduersus ignitas diaboli sagittas muniuntur. Vnde sapienter D. Bernardus, Quemadmodum, inquit, Bernard. frustra iacitur rete ante oculos pennatorum: ita frustra iaciuntur inimici tela in corpora loricatorum. Vt hoc igitur veteris legis decretum ad vitae nostrae institutionem transferamus, si quis piscis mundus, hoc est, purus ante Deum atque innocens esse velit; det operam, vt huiusmodi pinnulis & squamis muniatur. Pinnulis autem instructus erit, si se diuinarum rerum contemplationi, & pio orandi studio addixerit. Deinde verò quia scriptum est; Discedat ab iniquitate omnis qui inuocat 2. Tim. 2. nomen Domini: nequaquam sibi precandi atque diuina meditandi studium sufficere credat, nisi attentissimis etiam oculis supra sui custodiam vigilet, vt aduersus immortalis & importuni hostis spicula semper attentus, semper munitus, & quodammodo loricatus incedat. Hoc est enim quod Propheta nos admonet, cùm ait; Custodi teipsum, & animam tuam sollicitè. Deut. 4. Mich. 1. Et iterum; Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitum te ambulare cũ Deo tuo. hoc est, iugi & sollicita cura prospicere, ne quid agas quod diuinae maiestatis oculos offendat. Quisquis igitur huiusmodi pinnulis & squamis vestitus incedit, inter mundos pisces numeratur; qui verò vtroque destituitur, inter immundos. Ad hoc autem

genus pertinent ij qui nullam precandi nullamque sui tuendi curam habent; qui nullis aduersus diaboli tela armis teguntur; qui à Propheta in terra obliuionis vitam agere dicuntur: hoc est, qui ita sunt terrenis rebus affixi, vt nunquam oculos in cælum tollant; qui Dei memoriam à se penitus abdicarunt; qui, tanquam vilissima carnis mancipia, vni tantùm se ventri & Veneri natos esse putant. Hi igitur pisces immundi sunt, qui à cælesti conuiuio repudiantur. Sed iam ad rete & piscatores veniamus.

Psal. 87.

Rete autem, siue sagenam, esse verbum Dei, Dominus testatur cùm ait: Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Piscatores verò diximus diuini verbi ministros esse, qui homines variis vitiorum gurgitibus mersos, ad diuinæ lucis, rerumque cælestium cognitionem attollunt. Sicut enim pisces intra aquam perpetuò versantur, nec inde vel ad horam exeunt: ita multos hominum videmus vsque adeò terrenis curis & cupiditatibus immersos, vt nihil nisi terrena sapiant, nihil aliud curent, nihil cogitent, nihil loquantur; & ita sese in omni vita gerant, ac si ad solum pecuniæ & terrenarum rerum studium nati essent. Quos si paulisper inde extrahere velis, piscium instar, qui ab aquis extrahuntur, penè mortuos videas: ita enim se corporis voluptatibus addixerunt, vt ab eis abstrahi non minùs molestum sit, quàm piscibus extra cognatas sibi aquas educi. Ad hos igitur ab his aquis extrahendos, Euangelica sagena destinata est, quæ non tam humana quàm diuina virtute fulta, iacentes in profundo vitiorum gurgite animas, in superas cæli regiones educit: hac enim cælesti virtute Euangelici piscatores adiuti, munus suum feliciter obeunt. Vt enim D. Chrysost. ait: Hoc habet piscatoris officium, quòd ipse tantum operam suam ponat; prædam autem ipse non faciat: sed à Deo conditam & paratam capiat. Nam & vinitor & olitor terram subigunt, & agricola sementem facit, ac deinde metit; cæteri verò opifices manuum ministerio efficiunt quidquid ad ipsorum artem spectat. At piscator nihil horum, sed prædam diuina virtute editam & paratam illaqueat. Quòd si in agricultura (vt Apostolus ait) neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus; quid sibi piscator tribuere poterit, cuius totum penè opus diuinum beneficium est? Quo minùs mirandum est, fratres, si raucis quotidie ac penè ruptis concionatorum faucibus nihil proficiamus, cùm hoc non tam opis nostræ, quàm diuinæ gratiæ munus sit: quem nisi interiùs loquentem audiatis, frustra vestras aures perpetuis clamoribus obtundimus. Quàm multi hodie piscatores vbique rete diuini

Mat. 13.

Simile.

Chrysos.

1. Cor. 3.

verbi

verbi frustra iacimus! Quotus quisque enim ex profundo carnalium cupiditatum gurgite, prædicationis sagena extractus est? quis assiduis concionibus audiendis vitam commutauit? quis consueta carnis vitia deseruit, & in nouum se hominem transformauit? Callos iam audiendo verbum Dei mens nostra obduxit, &, tanquam diu ad verbera obdurata mancipia, nihil sentit. Hoc est autem, quod Apostolus ait, cauteriatam habere conscientiam. Vt enim cutis carnis, cauterio durata sentiendi vim amittit: ita prauæ quorundam mentes eò stuporis deuenerunt, vt nullæ Concionatorum voces, nulli diuinæ legis terrores ac minæ, vllum eis timorem aut dolorem incutiant. Ita fit, vt, si quis horum frequentissimè sacras côciones audiat, talis à concione regrediatur, qualis ad eam venit. Quid ergo remedij iam superest? qua ratione tot animarum morbis medicinam facere poterimus? quo alio instrumento quàm sagena verbi Dei, pisces in profundo maris huius versantes, in superas regiones attollemus? Iam miracula defecerunt, iam Prophetarum ora conticuerunt: iam Martyrum agones & certamina (qui fidem illustrabant) conquieuerunt; & præclara sanctorum Patrum exempla (quæ lucem rebus humanis præferebant) magna iam ex parte extincta sunt. Sola penè nunc superest verbi Dei sagena: quæ si frustra iaciatur, quæ nos spes reliqua salutis manet? Sed ais: Cur ergo Dominus, cuius hoc præcipuè opus & beneficium est, prædam nobis non exhibet? Culpam huius rei, fratres, nulla ratione in Dominum, sed in nos conferre debemus. Nos quidem in culpa sumus, qui non ita viuimus, nec ita ex Deo pendemus, nec ita eius opem dicturi & audituri imploramus: vt digni simus quorum ipse mente & lingua, velut sagena, ad aliorum salutem vtatur. Vnde is per Hieremiam de huiusmodi ministris ait: Si stetissent in consilio meo, & nota fecissent verba mea populo meo, auertissem eos à via sua mala, & à cogitationibus suis pessimis. Hoc autem quod nobis deest, in Apostolis abundauit: ideo non mirum, si nos inanem sagenam, illi verò piscibus plenam passim referrent. Hoc est enim quod Saluatori nostro & Apostolis eius in ipso per Zachariam Dominus pollicetur, cùm ait: Si in viis meis ambulaueris, & custodiam meam custodieris, tu quoque iudicabis domum meam, & custodies atria mea: & dabo tibi ambulantes de his qui hîc nunc assistunt: hoc est, vt opera atque doctrina homines efficias Angelis similes, qui in conspectu meo sunt. Quia igitur nos hanc vitæ puritatem minimè retinemus; nihil mirum si summus ille puritatis amator sordido hoc instrumento non semper vtatur. Itaque nos verbis tantùm hoc negotium gerimus, quod lamentis magis,

1. Tim. 4.

Hier. 23

Zachar. 3

magis,& fusis ad Deum precibus vrgere deberemus. Qui enim Ecclesiasticorum Doctorum operâ ad meliorem mentem redeunt, ij profectò lacrymarum magis, quàm verborum filij existimandi sunt.

Nequaquam tamen tota huius rei culpa in Ecclesiasten coniicienda est: auditores etiam in culpa sunt, qui minùs attenti ac parati ad sacras conciones veniunt. Auris enim bona (vt Sapiens ait) audit cum omni concupiscentia sapientiam: quemadmodum audiebat ille qui dicebat; In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. hoc est, si quid audio, si quid lego, si quid meditor, & cum animo meo cogito, ad hunc omnia finem dirigo; non vt superbior, sed vt humilior; non vt doctior, sed vt purior euadam: denique, vt non peccē tibi. Sunt enim qui curiositatis affectu ita verbum Dei audiant; non vt in Deum non peccent, sed vt animum, vel nouitate rerum, vel elegantia verborum, vel acumine sententiarum pascant: quos appositissima similitudine D. Aug. pueris comparat; quibus si litteras minio auroq; fulgentes ante oculos ponas, sola earum specie delectati, quid sibi velint, quídve moneant, prorsus non aduertunt. Sunt rursus alij (vt idem Aug. ait) quorum mentes tot curis & cupiditatibus, totque mundi vocibus & clamoribus perstrepentibus impeditæ sunt, vt verba sapientiæ, quæ in silētio discuntur, audire vix possint. Quemadmodum enim si quis dum concionator verba faceret, tumultuaretur ac vociferaretur, nemo quæ dicerentur intelligeret: sic planè, ac multo etiam minùs concionatoris vocem percipiet, qui variis intra se curis & cupiditatibus exagitatur. In quiete & silentio illius verba audienda sunt, de quo scriptum est; Porrò ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurri eius. Hoc autem modo sanctus ille Rex loquentem Dominum audiebat, cùm diceret: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniā loquetur pacē in plebem suam, & super sanctos suos; & in eos qui conuertuntur ad cor. Illi autem ad cor, hoc est, ad cordis sui secretum conuerti dicuntur, qui mentem suam ab omnibus terrenis curis & cogitationibus explicantes, spiritum suum ad cælestia atque diuina trāstulerunt. Cum his ergo Dominus pacem loquitur, quia pacem illis internam præbet: non qualem mundus dat, sed qualem diuina potentia piis hominibus tribuere solet; per quam cupiditates & affectus nostri sub rationis imperio compositi atque pacati silent. Partim enim virtute diuinæ gratiæ compressi, partim laudabili consuetudine frenati, & ad rationis imperium assuefacti, nullas turbas excitant, quibus de statu suo mentem conuellant. Hinc sequitur illa pax, quæ exuperat omnem

Eccli. 3. Psal. 118. August. Simile. Idem. Simile. Iob 4. Psal. 85.

nem sensum. Sed iam satis de piscandi ratione: nunc ad sequentia veniamus.

II.

Vbi ergo Dominus dixisset, *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum*: duo isti fratres hac vna Domini voce permoti, relictis confestim omnibus, ita eum secuti sunt, vt ad seculi negotia nunquam redierint. Nudos quippe, & ab omni terrenarum rerum amore expeditos esse Dominus voluit, quos ad Euangelicæ piscationis munus eligebat. Est enim (vt D. Chrysost. ait) virtutibus cũctis cognata paupertas. Athleta ad luctam nudus accedit: confligit etiam cum fluctibus nauta nudus: miles in acie non nisi expeditus astat. Sic igitur duo isti fratres ad vnam Domini vocem omnia protinus reliquerunt. Sed quid mirum, si conditoris vox post se homines trahat, qui eam vim magneti contulit, vt graue & ponderosum ferrum post se in sublime attollat, & in aëre suspẽsum teneat? Vt nihil autem hoc in loco de diuini Spiritus vi mentem hominis excitante dicam, tantus splendor (vt D. Hieronymus ait) ex occulta Christi diuinitate in eius vultu elucebat, vt facilè vel ipso aspectu ad se homines trahere posset.

Chrysost. Simile.

Hieron.

Sed quia sancti Patres hoc in loco celerem Apostolorum obedientiam, & rerum omnium contemptum vehementer laudant, aduersus hanc eorum sententiam obijcere aliquis hoc in loco posset: Ad vocem Dominicam vterque ille piscator quid dimisit, qui penè nihil habuit? Huic quæstioni D. Gregor. ita respondet: Hac in re, fratres, affectum potiùs debemus pensare, quàm censum. Multum enim reliquit, qui sibi nihil retinuit: multum dimisit, qui cum re possessa etiam concupiscentiis renunciauit. A sequentibus ergo tam multa demissa sunt, quanta à non sequentibus concupisci potuerunt. Nemo igitur cùm quosdam conspicit multa reliquisse, apud semetipsum dicat; Imitari mundi contemptores volo, sed quid relinquam non habeo. Multa, fratres, relinquitis, si desideriis terrenis renunciatis. Exteriora etenim nostra Domino, quamlibet parua, sufficiunt: cor namq; & non substantiam pensat; neque perpendit quantum in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur. Nam si exteriorem substantiam perpendamus, ecce sancti negotiatores nostri perpetuam Angelorum vitam datis retibus & naui mercati sunt. Aestimationem quippe pretij rete non habet: sed tamen regnum Dei tantum valet, quantum habes. Valuit namque Zachæo dimidium substantiæ, quam pauperibus erogauit: valuit Petro & Andreæ, rete & nauem dimisisse: valuit viduæ duobus minutis: valuit alteri calicem aquæ frigidæ. O rem admirandam! ô grauissimum diuinæ clementiæ argumentum!

Gregor. in Hom.

Lucæ 19.
Lucæ 21.
Mat. 20.

mentum! Regno cælorum, fratres, quid vilius, cùm emitur? quid carius, cùm possidetur? Sed fortasse nec calix aquæ frigidæ suppetit, qui indigenti præbeatur: sed hìc etiam securitatem promittit sermo diuinus. Redemptori enim non nato cæli ciues ostensi sunt, qui clamarent; Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: vt indicarent, ante Dei oculos nunquam esse vacuam manum à munere, si fuerit arca cordis plena bona voluntate. Hinc enim Psal. inquit: In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi: ac si apertè dicat: Etsi exteriùs munera offerenda non habeo, intra me tamen inuenio quod in ara tuæ laudis imponam: quia qui nostra datione non pasceris, oblatione cordis melius pasceris. Nihil quippe offertur Deo ditius bona voluntate. Hæc omnia ex D. Gregorio. Hanc porrò bonæ voluntatis oblationem, qua pius homo non tam sua, quàm se ipsum offert Deo, diuus Hieronymus commendat his verbis: Aurum deponere, incipientium est, non perfectorum. Fecit hoc Thebanus Crates, fecit Antisthenes. Seipsum offerre Deo propriè Christianorum est, & Apostolorum, qui duo æra minuta, cum paupere vidua in gazophylacium mittentes, totum censum, quem habuerunt, Domino tradiderunt, & merentur audire: Sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.

Lucæ 2. Psal. 55. Hiero. in Epist. ad Licinium Luc. 21. Mat. 19.

Ex quibus verbis facilè colligimus, fratres, quòd quamuis & pium & gratum Deo sit, exteriora nostra propter Dominum relinquere; nullum tamen pinguius donum est bonæ voluntatis sacrificio. Hac autem ratione D. Cyprianus consolatur fideles quosdam, qui dolenter ferebant se martyrij corona esse fraudatos: Aliud est, inquit ille, animo deesse martyrium, aliud animum deesse martyrio. Intelligebat enim vir sanctus, gratissimos quoque Deo esse illos qui animo Martyres sunt; quales sanctorum Confessorum multi extiterunt. Quid enim aliud in causa esse putatis, quòd multi ex supernis illis mentibus (quos Angelos vocamus) maiorem in cælo gloriam consecuti sint, quàm sanctorum multi, qui pluribus annis deuotissimè Deo seruierunt, cùm illi breuissima temporis morula (quam Theologi secundum Angelorum instans appellant) Deo mentis sacrificium obtulerint; illum videlicet tanquam suum, & rerum omnium Conditorem agnoscentes, seseque illius imperio suppliciter submittentes? Cur hæc, inquam, tam breuis oblatio centum multorum Eremitarum annis in solitudine degentium antefertur? In causa est, quòd illa breuis morula infinita secula comprehenderit, quibus in eadem fide, charitate, & obedientia mens Angelica perseuerare

Cyp. Ser. de lapsis.

rare

rare decreuit: ideoque tantum Deo obtulit, quantum offerre desiderauit; præmiumque eius non breui temporis spatio, sed æterno desiderio definitum est: instans enim illud totam Angeli æternitatem continebat. Contrà verò dæmon, qui in eodem secundo instanti à Deo desciuit, in eadem perfidia obstinatus perstat: ideoque tantum in illa breui morula pœnarum meruit, quantum in ea delinquere desiderauit. Et hoc quidem in causa esse sancti Patres definiunt, cur reprobis pro temporaria culpa pœna infligatur æterna: quoniam si ij, quos diu peccantes patiẽtia diuina sustinet, perpetuò in carne fuissent, fortasse nunquam à peccato destitissent. At inquies: Cur ergo in bonis operibus exequendis tantum studij insumam, si tantundem meriti bona solùm voluntate consequar? Ad hoc facilè respondetur; neminem aliquid efficaciter velle, quod cùm possit præstare, non præstet. Nam cùm omnia corporis membra voluntatis imperio pareãt, nihil minùs credi potest, quàm te summo illius rei faciendæ desiderio teneri, quam cùm exequi possis, exequi nolis. Quocirca quemadmodum eorum, qui viribus atque opibus carent, sola voluntas ponderatur; ita illorum, qui rebus omnibus abundant, voluntas ex operibus æstimatur. Sed iam tempus est, vt ad alteram lectionis Euangelicæ partem veniamus. Sequitur enim:

III.

Et procedens inde Saluator, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, cum Zebedæo patre suo, reficientes retia sua, &c. Quid, quæso, ad præsentem vocationem attinebat, adeò diligenter exponere, quòd illi quidem rete iacerent, hi reficerent? Sed Euangelista, partim abiecta horum discipulorum officia exprimere voluit, qui laceris retibus reficiendis erant occupati, quo vitam inopem sustentarent: partim etiam humiles curas designare voluit, quibus intenti erant, cùm ad Apostolicæ dignitatis fastigium, nullis præcedentibus meritis, sed sola Dei gratia vocati sunt. Quo in loco inquisitione dignum est, quid fuerit in causa, cur Dominus non solùm ad Apostolici muneris functionem (quo nullum in Ecclesia maius est) sed ad alia quoque præclarissima officia homines ex infima mundi fæce delegerit. Nam vt vetera exempla memoria repetamus, primum populi sui principem Moysem, oues soceri pascentem, ac de pinguiori ouium pabulo sollicitum, interiora eremi penetrantem, nihilque minus quàm dignitatem regiam meditantem, Dominus ad summum dignitatis culmen euexit, & legislatorem suum, du- (Exod. 3.)

cem

cem populi, ac Deum Pharaonis constituit. Proximum deinde Regem Saulem ex minima tribu Israëlis, pauperem ac tenuem hominem, atque eo tempore patris asinas solicitè quærentem, in Regem populi sui vngi præcepit. Quid ergo Dauid Rex? an non ipse inter fratres suos minimus, & in pascendis pauculis ouibus occupatus, ad Israëlitici regni & Prophetici muneris dignitatem euocatus est? Sed operæ pretium fuerit, quónam modo id acciderit, commemorare. Iussu Domini Samuel Propheta domum Isai patris Dauid perrexit, vt ex eius filiis vnum cooptaret in Regem: octo enim habebat filios. Protulit verò ante eum pater natu maximum Eliab: quem, iubente Domino, vir sanctus repudiauit, dicens; Non hunc elegit Dominus. Protulit deinde secundum Aminadab: de quo etiam Propheta dixit; Nec hunc elegit Dominus. Obtulit deinde ordine quinque alios: quos omnes sanctus Propheta simili modo reiecit. Cumque minimus omnium Dauid abesset, in pastu pecorum occupatus, neque pater Isai alios domi haberet filios: ille contrà, Nunquid, ait, finitus est numerus filiorum? Cui pater, Est, inquit, paruulus, qui pascit gregem. Quem Samuel accersiri iussit: Neque enim, inquit, discumbemus, donec ille veniat. Vbi igitur adfuit; Surge, inquit Dominus, & vnge illum: ipse est enim. Hac verò Dei electione quid mirabilius? quale enim est, fratrum minimum & abiectissimum, pauculas oues pascentem, ad tam præclarum munus vocari? Quid verò Apostolorum vocationem commemorem? Alij enim dum retia in mare iaciunt, alij dum reficiunt, vt essent mundi luminaria, Doctores gentium, & Ecclesiæ columnæ, à Domino cooptantur. Quid verò Matthæum referam? quem ad telonium sedentem, & lucra sua sollicitè computantem, ad Apostoli & Euangelistæ officium Dominus vocauit. Quodque mirabilius est, non contentus idem Dominus infimæ conditionis homines ad tantam dignitatem extulisse, hoc etiam prouidit, vt, quo tempore ad eam vocati sunt, abiectissima officia exercerent. Saul enim asinas patris quærebat: Dauid oues in campo pascebat: Iacobus autem & Ioannes retia cum patre suo reficiebant: Matthæus verò (quod à diuino ministerio abhorrere magis videbatur) ad telonium sedebat, cùm à Domino vocatus est. Quis igitur in his electionibus diuinæ sapientiæ consilium non miretur?

1.Reg. 9. *1.Reg. 16.* *Matth. 9.* *1 Reg. 9. Matth. 9.*

Sed quoniam beati esse dicuntur, qui testimonia Domini, hoc est, decreta & consilia eius scrutantur; non abs re erit (quantum paruitati nostræ conceditur) huius diuini consilij causas inquirere. Quia verò omnia propter seipsum operatur Dominus; consentaneum est, vt omnes huius rei causas

Psal. 118. *Prou. 16.*

causas ad eius gloriam referamus.

Primùm enim hęc res Dei potentiam maximè illustrat, quòd instrumentis adeò fragilibus, & humanæ prudentiæ iudicio prorsus ineptis, tam præclara opera molitus fuerit. Quid enim gloriosius, quàm Dauidem inermem & pugnandi imperitum, armatum gigantem, & bellandi peritissimum, sola funda & baculo interemisse? Samsonem verò non aliis armis quàm mandibula asini mille Philisthæos armis instructos interfecisse, & totum eorum exercitum fudisse? Nec minùs mirabile est imbellis mulieris operâ pontentissimum Holofernis exercitum fugatum ac deletum fuisse. Quæ enim gloria fuisset, si paribus armis & viribus inimica hominum castra Dominus deiecisset? Quanta verò diuinæ potestatis gloria est, quòd is non magnis copiis, non mundana philosophia, non persuadentibus humanæ sapientiæ verbis, sed duodecim rudium piscatorum vocibus, totam diaboli ac mundi potentiam euerterit, aras & templa deiecerit, & vniuersum orbem Euangelica prædicatione illustrauerit! In omni enim creatura quæ sub cælo est, annuntiatum fuisse Christi Euangelium ætate sua testatur Paulus. Cuius autem admirationis fuerit hoc opus, declarat Propheta, cùm ait: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos. Hoc est, cùm res omnes conditæ nomen tuum admirabile esse testentur, id tamen in primis vim & salutarem potentiam tuam declarauit, quòd per Apostolos tuos, homines rudes & indoctos, & simplicibus pueris similes, sanctissimum nomen tuum per cunctas nationes fama celebrasti, & castissimam plenissimamque pietatis religionem longè lateque propagasti, atque asperrimam diaboli tyrannidem funditus euertisti. Hoc ipsum etiam Apostolus ostendit, cùm ait: Habemus thesaurum hunc in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei: & non ex nobis. Hoc est, vasorum fragilitas apertè declarat, tantarum rerum gestarum gloriam non fictilibus vasis, sed diuinæ virtuti esse adscribendam.

Prima ratio. — *1. Reg. 17.* — *Iudic. 15.* — *Iudith. 13* — *1. Cor. 2.* — *Coloss. 2.* — *Psal. 8.* — *1. Cor. 4.*

Hæc etiam rudium atque simplicium hominum vocatio diuinæ libertatis excellentiam nobis ob oculos ponit. Hac enim ratione Dominus facilè declarat, se nullis legibus astrictum, pro arbitrio, & rectissimæ voluntatis suæ beneplacito, omnia moderari, & suscitare à terra inopes, & de stercore erigere pauperes; vt sedeant cum principibus, & solium gloriæ teneant. Valeant igitur sacrilegi homines, qui Deo libertatis gloriam eripientes, ex necessitate naturæ omnia illum facere somniabant. Quem quidem errorem abolere Dominus volens, Ieremiæ præcepit vt in domum figuli pergeret, auditurus ibidem verbum eius. Quò cùm venisset, & figulum variè pro arbitratu suo lutum

Secunda ratio. — *1. Reg. 2.*

lutum fingentem & refingentem vidisset Dominus, quanta sua esset in homines libertas atque potestas, huius figuli exemplo declarauit, vnde ait: Nunquid sicut figulus iste non potero vobis facere, domus Israël? Sicut enim lutum in manu figuli, sic vos in manu mea. Huius autem rei alta consideratio mentem hominis magno timore concutit, & illi plenissimè subiicit, in cuius manu est, ex eadem massa aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam fingere.

Ier. 18.

Rom. 9.

Tertia ratio.

Nec libertas modò, sed liberalitas etiam, & immensa Dei gratia in hoc opere perspicitur. Quo enim longiùs ab hac tanta dignitate merita hominum aberant, eo magnificentius fuit, nullis præcedentibus meritis, sed sola diuinæ largitatis gratia, abiectissimos homines hoc tanto munere donare. Liberalis, vt sapiens quidam ait, etiam dandi causam cogitat: at liberalitas Dei nostri, nulla in nobis excogitata causa, sed sola misericordia, magnifica hominibus dona largitur. Quo autem magis gratuita eius dona sunt, eo debent, qui sic in benedictionibus ab eo præuenti sunt, submissiùs se gerere, Dominiq; sui magnificentiam gratissimis animis extollere atque laudare. Hac autē rudium & indoctorū hominum vocatione omnem superbiendi materiam hominibus cælestis magister ademit, cū infirma mundi, & ignobilia, & contemptibilia elegit: vt non glorietur omnis caro in conspectu eius: hoc est, ne quisquam vel ob generis claritatem, vel humanam potentiam, aut terrenam sapientiam, electum se à Deo iactaret. Hos ergo infimæ conditionis homines elegit Dominus in doctores gentium, fundamenta Ecclesiæ, pastores, Dominici gregis in cælum duces, ac mysteriorum Dei dispensatores. Hoc fuerunt Apostoli, hoc & inter eos Andreas: cuius cùm admirabilem vocationem iam audieritis, consequens est vt eius gloriosum quoque exitum audiatis.

1. Cor. 1.

1. Cor. 1.

IIII.

Cùm in Scythia Europę, & Achaia, verbum Dei latissimè disseminasset, plurimosque ad fidē Christi conuertisset, ab Aegea Proconsule in crucē agi iussus est: vt, cuius gloriam prædicabat, mortem quoq; imitaretur. Qui crucem sibi paratā à longè prospiciens, tanta alacritate cōpletus fuit, vt in eius laudes se totum effunderet. Solent quidem lictores & carnifices eorū oculos, qui capitalem sententiam subituri sunt, tegere, ne fulgentē gladium ceruicique imminentem intuentes, exanimentur, & horrore, & metu mortis, ante mortem quodammodo moriantur: at beatus Andreas supra humanę conditionis naturam elatus, & excelsior mundo factus, adeò non exhorruit crucem, vt tanquā amantissimam sponsam amicissimis vocibus compellaret: Salue, inquit, crux, quę in corpore Christi dicata es, & membris eius tanquam pretio-

pretiosissimis margaritis ornata. Securus & gaudens venio ad te: ita & tu exultans suscipias me discipulum eius qui pependit in te. O bona crux, quę decorem & pulchritudinem de membris Domini suscepisti, accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo: vt per te me suscipiat, qui per te me redemit. Antea quidem timorem humanū habuisti, nunc autem pro voto susciperis. Quibus verbis Apostolus mirabilem philosophiam, vereque Christianam, breui oratione complexus est. Si enim terrenorū Regum auctoritas tanta est, vt res infimas & abiectas nobilitare queat; quanto magis superna illa maiestas hoc efficere poterit? Vbi ergo Regis æterni Filius crucē, flagella, clauos, ludibria & vincula sustinuit; quis dubitet hæc omnia vsque adeò eius dignitate nobilitata fuisse, vt meritò in crucis laudem dicat Andreas: Quę timorem anteà incutere solebas, modò sis iucundissimæ voluptatis & suauitatis ministra; vtpote quæ ex membris Domini hanc tantam dignitatem & suauitatem acceperis. Hinc ardentissima illa martyrum desideria orta sunt, qui tantopere pro Christi gloria sanguinem fundere sitiebant. Vbi enim mundi conditor propter hominū salutem calicem hausit passionis; vbi proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta; vbi tam ardenti desiderio baptismo sanguinis propter nos voluit baptizari; vbi passionis suæ merito Spiritum in nos misit de excelso; hanc mentem & affectum sanctis hominibus immisit, vt, metu mortis sublato, non modò patienter, sed etiam alacriter extrema propter illum supplicia perferrent, & summam in eis dignitatem & gloriam collocarent. Quæ enim passione summi rerum omnium Domini nobilitata fuere, non potuerunt non summæ glorię esse iis qui eius exemplo eadem perpessi sunt. Vnde magnus ille Imperator Constantinus effossos sanctorū Confessorum propter Christi fidem oculos exosculabatur, eam corporis ignominiā, summæ gloriæ loco esse ducens. Diuus verò Cyprianus in epistola ad Episcopos & Presbyteros ad metalla damnatos, his verbis sanctos eorum pedes catenis propter Christum constrictos laudat: O pedes feliciter vincti, qui non à fabro, sed à Christo soluuntur! O pedes feliciter vincti, qui itinere salutari ad paradisum diriguntur! O pedes in seculo ad præsens ligati, vt sint semper apud Dominum liberi! O pedes compedibus & ira aduersarij interim cunctabundi, sed celeriter ad Christum glorioso itinere cursuri! Hactenus Cyprianus. Quia igitur sancti Martyres hāc tantam laborum suorum mercedem plenissima fide expectabant, nihil mirū si tantam in doloribus patientiam ostendebāt. Illos namque Propheta consolatur his verbis: Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis: quia est merces operi tuo,

Simile.

Hebr. 12.

Cyprian.

Ier. 31.

& est spes in nouissimis tuis. Hac igitur spe animati atque erecti, de ipsis (vt Saluianus ait) equuleis atque catastis scalam sibi quodammodo fecerunt, qua in cælum ascenderent. Quorum nos exempla sectantes, si non sanguinem fundere, saltem rerum nostrarum partem pauperibus erogare; si non mortem sustinere datur, mortificare saltem membra nostra super terram studeamus. Quòd si B. Andreæ corpoream crucem subire non licet, licet tamen sensus nostros, os, linguam, aures, oculos, affectus, & omnes denique cupiditates nostras spiritualiter crucifigere. Nec nobis durum videatur spirituali cruce regnum cælorum comparare, quod Martyres, quod Prophetæ, quod Apostoli flagellis, vinculis, equuleis, craticulis, flammis, vngulis, scorpionibus, atque omni genere tormentorum assecuti sunt. Quò nos perducere dignetur Dominus Iesus, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

Saluian. cōt. Gēt.

Ad Lectorem.

QVia non deerunt pij concionatores, qui gloriosum hunc, vereq́ mirabilem beatissimi Apostoli Andreæ agonem paulo fusiùs narrare velint, eis morem gerendum esse duxi: ideoq́ illum ex eius vita, quam Presbyteri & Diaconi Ecclesiarum Achaiæ scripserunt (quæ inter Vitas Lipomani habetur) iisdem penè verbis adscribendum curaui.

CVm igitur sanctus Andreas Apostolus tum in Scythia, tum in Achaia fidē Christi latissimè disseminasset, & in Patras, Achaię ciuitate, Aegeam Proconsulem, Christianos persequentem, grauiter increpasset; quòd, qui iudex hominum haberi vellet, iudicem omnium Christum Dominum, à dæmonibus delusus, non agnosceret: ille contrà Christum ore sacrilego blasphemare cœpit, mortem illi crucis improperans. At sanctus Apostolus multa de gloria ac mysterio crucis præfatus, inter cætera sic ait: Primus homo per lignum præuaricationis mortem induxit, & necessarium erat generi humano, vt per lignum passionis, mors, quæ ingressa fuerat, pelleretur: vt malum, quod primus homo intulerat, secundus excluderet, panderetque in cruce immaculatas manus pro manibus incontinenter extensis; pro suauique cibo arboris vetitæ, escam fellis acciperet; & in se suscipiens mortalitatem nostram, suam nobis immortalitatem conferret. Cùm hæc igitur beatus Andreas diuino illo ore proferret,

ferret, minister impietatis ait: Ista verba illis narrare debes qui tibi credunt: mihi autem, nisi in hoc consentias, vt sacrificium diis omnipotentibus offeras, in ipsa cruce, quam prędicas, fustibus cæsum te affigi præcipiam. Cumque hæc & alia impius iudex minaretur, ratus se minis suis Sanctum Dei à fide posse reuocare, tandem Apostolus Christi ait: Quia in imprudentia tua persistens, me putas minas tuas formidare; quidquid tibi videtur in suppliciis maius, excogita. Tanto enim meo Regi gratior ero, quanto pro eius nomine in tormentis fuero constantior. Tunc Aegeas iussit eum extensum flagellis cædi: cui cùm septem terniones transisset, eleuatus est, atque ante iudicem adductus. Cui ille: Audi me Andrea, & ab effusione sanguinis cōsilium reuoca: quòd si non feceris, crucis te faciam interire patibulo. Andreas dixit: Ego, si crucis supplicium timerem, crucis gloriam non prædicarem: tu autem cruciatum æternum, qui tibi debetur, poteris euadere, si postquam probaueris perseuerantiam meam, vel sic credideris Christo. Ego enim de tuo interitu, non de mea passione conturbor. Passio enim mea haud vnius diei spatium occupat, haud duorum: tuus autem cruciatus nec per millia annorum poterit ad finem peruenire. Vnde desine iam miserias tuas augere, & ignem tibi æternum accendere noli. Tunc indignatus Aegeas, cruci eum affigi mandauit, carnificibus præcipiens, vt ligatis pedibus & manibus quasi in equuleo tenderetur, ne clauis affixus citò deficeret, sed longo potiùs cruciatu torqueretur. Cumque eum carnifices ad crucem ducerent, concursus factus est populorum, clamantium: Iustus homo & amicus Dei quid fęcit, vt ad crucem ducatur? Andreas verò populum rogare cœpit, ne se desiderata martyrij corona priuarent. Lætus enim & gaudens pergebat ad crucē, nec in ipso itinere à docendi officio cessabat. Cumque peruenisset ad locum vbi crux parata erat, videns eam à longè, exclamauit voce magna: Salue crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membrorum eius margaritis ornata. Antequam in te Dominus ascenderet, timorem terrenū habuisti; modò verò amorem cæleste spirans, pro voto susciperis. Norunt enim credentes, quanta intra te gaudia, quanta munera pręparata habeas. Securus ergo & gaudens venio ad te, ita & tu exultans suscipias me discipulum eius qui pependit in te: quia amator tuus semper fui, & desideraui amplecti te. O bona crux, quę decorem & pulchritudinem de membris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicitè amata, sine intermissione quęsita, & aliquādo iam concupiscenti animo præparata; accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo, vt per te me recipiat, qui per te me redemit. Et hæc dicens nudauit se; & vestimenta tradidit carnificibus: qui eum

in crucem leuauerunt, funibusque totum eius corpus (sicut ei iussum fuerat) ligauerunt. Aderant ibi ad viginti hominum millia, inter quos erat frater Aegeæ, nomine Stratocles, qui simul cum populo clamabat, iniusto iudicio sanctum virum pati. Sanctus verò Andreas mentes credentium Christo confirmabat, atque ad laborum tolerantiam hortabatur, affirmans non esse condignas huius vitæ passiones ad æternæ remunerationis gloriam.

Cæterùm cùm populus Aegeam grauissimè incusaret, quòd virum sanctissimum indigno supplicio affecisset, ille tumultum ac seditionem populi veritus, ad deponendū eum de cruce properabat. Cui Apostolus: Quid tu ad nos Aegea venisti? Si vis credere Christo; sicut promisi, aperietur tibi via salutis. Si autē ad hoc venisti, vt me soluas; ego hinc viuens in corpore deponi non potero. Iam enim Regem meum video, iam adoro, iam conspectui eius assisto. Sed de infelici sorte tua doleo: quia paratus te expectat æternus interitus. Curre pro te miser, cùm adhuc potes; ne tunc incipias velle, cùm minimè poteris. Attollentes autē manus ad crucem carnifices, ipsum penitus contingere non poterant: torpebant enim brachia eorum. Tunc voce magna S. Andreas, Ne me, inquit, permittas, Domine Iesu Christe, famulum tuum, qui propter nomen tuum pendo in cruce, solui; nec permittas eum, qui iam per crucem tuam cognouit magnitudinem tuam, ab Aegea homine corruptibili humiliari; sed suscipe me tu, magister mi Christe, quem dilexi, quem cognoui, quem confiteor, quem videre desidero. Suscipe Domine Iesu Christe spiritum meum in pace: quia iam tempus est vt ad te veniam, desiderās te videre. Suscipe me Domine Iesu Christe, magister bone; neque permittas me ex hac cruce deponi, nisi priùs spiritum meum susceperis. Et cùm hæc dixisset, videntibus cunctis splendor nimius sicut fulgur, de cælo veniens, ita illum circumdedit, vt videri pręmagnitudine splendoris omnino non posset. Cumque splendor ille dimidiæ fermè horæ spatio permansisset, abscedente lumine emisit spiritum, cùm ipso simul lumine ad Dominum pergens.

Hoc ergo modo gloriosissimus Christi Apostolus & martyr occubuit; hac passione Dominum glorificauit. In qua multa sunt consideratione dignissima, atq. in primis passionis eius diuturnitas. Neque enim celeri morte, sicut alij martyres; sed diuturna duorum dierum passione sic cruciatus est, vt sine vllo lethali vulnere animam exhalaret. Quo tempore, cùm paulatim vires corporis deficerent, virtus tamen animi adeò non deficiebat, vt astantem populum biduo illo præceptis ac monitis cælestibus imbuere non cessaret. Quàm pulchra ad Christianam

nam philosophiam docendam cathedra crux est! Quid igitur ex tali loco docere potuisset, nisi illud; quòd per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei? Et illud: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et illud: Momentaneum & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Hæc & his similia sanctus ex illa cælesti cathedra docebat: lætusque ipse & alacer, instante iam sui gloria triumphi, cum Propheta canere videbatur: Transiuimus per ignem & aquam, & deduxisti nos in refrigerium. Quid verò illud, quàm mirabile, quòd cùm paratam sibi à longè crucem vidisset, non vt patibulum, sed vt regalem thronum, & dilectissimam sponsam intuens, his eam amantissimis vocibus compellauit: Salue crux, quæ in corpore Christi dicata es, & membris eius tamquam margaritis ornata. Securus & gaudens venio ad te, ita & tu exultans suscipias me. Videtis (inquit Bernard.) quia non se capit præ magnitudine gaudij: Ita, inquit, & tu exultans suscipias me. Ergóne tanta est exultatio, vt exultet & ipsa crux? Quid priùs mirandum? quid magis supra rationem, supraque naturam, exultare crucem, an crucifixum exultare? Illi enim sensum natura negauit: huic verò (si quid ipsa præualet) gaudium omne exterminat, ingeritque dolorem. Et tamen supra naturam crux ad lætitiam vocatur: & crucifixus non modò non trepidat, sed exultat. Neque hoc solo cruciatu contentus, ad iudicem, antè crucis supplicium minitantem, ait: Quia in imprudentia tua perseuerans, me putas minas tuas posse formidare; quidquid tibi videtur in suppliciis maius, excogita. Neque enim ad solum hoc supplicium paratum & alacrem se esse sentiebat, sed ad omnia etiam quæ humana mens posset excogitare. Obsecro, fratres, homo est qui loquitur hæc, an Angelus? Vnde ergo in homine noua hæc exultatio, & lætitia hactenus inaudita? vnde in tanta fragilitate tam robustus animus? tanta constantia? Absit vt à seipso tantam ei credamus inesse virtutem. Planè Spiritus erat qui adiuuabat infirmitatem eius, per quem diffundebatur in corde ipsius fortis, vt mors, dilectio; imò & ipsa morte fortior. Spiritus autem hic super mel dulcis: adeò vt ne ipsa quidem dulcedini eius præualere queat amarissimæ mortis amaritudo. Quid ergo non temperabit illa dulcedo, quæ mortem quoque ipsam facit esse dulcissimam?

Bernard.

Discamus igitur hoc exemplo, fratres, aliquando labores desiderare pro Christo. Si enim tanta seculi homines propter fluxas & interituras opes, aut honores, aut principum gratiam sibi conciliandam quotidie patiuntur; & libenter quidem (dum ista aucupantur) patiuntur: cur, quæso, nos propter æternam

vitam propter nostram salutem, propter eum, qui ab æterno dilexit nos, condidit, nos, redemit nos, alit nos, gubernat nos, vitam & spiritum donat nobis, non libenter acerbum aliquid perferamus? Mihi credite; quidquid agatis, nisi durum aliquid aut asperum propter Christi gloriam subeatis, nunquam vocem illam audietis: Nunc cognoui quòd timeas Dominum, quia non pepercisti vnigenito tuo propter me. Quisquis autem huc vsque peruenerit, intelligat se aduersus omnes diaboli machinas instructum esse & armatum. Duplici enim ille via adoritur nos: aut enim voluptatibus & blanditiis carnis inescare contendit; aut tentationibus & pressuris ad impatientiam prouocare nititur. Quisquis ergo cooperante Dei gratia sic animo constitutus est, vt labores sibi propter Dominum intelligat excipiendos, hic planè neque deliciis capietur; quas vt lethale animæ suæ venenum fugiet: neque laboribus deterrebitur; quos propter Domini sui gloriam adeò nõ refugit, vt etiam desideret. Si igitur eò deducti fuerimus, vt nobis placeat tribulatio, superiores & seculo & dæmone facti sumus. Non enim habebit hostis ille tela quibus nos petat, quando & voluptates ipsas detestamur, & labores propter Deum diligimus. Videtis igitur, fratres, quò nos laborum amor efferat, & quibus nos armis sepiat & muniat?

Et quia hunc animum non natura, sed gratia, & Spiritus Christi donat, ideò hunc assiduis precibus à cælesti Patre postulemus: ad quod nos eius Vnigenitus hortatur, cùm ait: Si vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester cælestis dabit Spiritum bonum petentibus se? Perseueremus ergo pulsantes, orationesque ipsas ieiuniis, vigiliis, & bonis operibus cumulemus: nec nostra conquiescat industria, donec eò nos peruenisse experiamur, vt aliquando etiam tribulationes grato & libenti animo perferamus.

Luc. 11.

IN

IN CONCEPTIONE SACRATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ,

Concio prima: quæ primo loco de miseranda hominis conceptione in peccato agit, secundo verò eximias beatissimæ Virginis virtutes & laudes prædicat.

THEMA. *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Matth. 1.

INter omnia diuinæ pietatis beneficia, fratres carissimi, quæ humano generi exhibita sunt, redemptionis nostræ beneficium principem locum tenere constat. Duplici enim potissimùm nomine beneficium aliquod iure laudatur: vel quia multum in eo donatum est, vel quia multo constitit ei qui donauit. Aqua enim illa, quam tres viri robustissimi ex Bethlehemitica cisterna Dauidi sitienti attulerunt, non aliud quàm aqua erat, nihilo fortasse cæteris aquis melior: sed quia periculo vitæ deportantium allata fuit, digna visa est quæ à sanctissimo Rege Deo litaretur. At in redemptionis nostræ beneficio vtrumque ita reperitur, vt neque dono quicquam magnificentius, neque doni pretio carius quicquam excogitari possit. Quid enim maius æterna vita, quæ nobis per Christum collata est? Hæc enim inter tria illa numeratur, quæ tanta sunt, vt ne per diuinam quidem potentiam maiora illis in suo quodque genere effici possint: qualia sunt humanitas Christi, maternitas Virginis, & essentialis beatorum gloria, quæ in aperta summi boni contemplatione consistit. Pretio autem quo hæc nobis gloria comparata est, nihil etiam excogitari excellentius potest. Non enim (vt Petrus ait) corruptibilibus auro & argento, aut margaritis; sed pretioso Agni immaculati sanguine redempti sumus. Quo pretio quid maius? quid diuinius? Vtroque igitur nomine beneficium hoc multis partibus cætera omnia diuina beneficia antecellit. Vnde cùm in veteri Testamento hoc tantum beneficium hominibus per Ezechielem Dominus polliceretur; Bonis, ait, donabo maioribus, quàm vnquam habuistis ab initio. Magna quidem & præclara ea beneficia fuerunt, quibus Dominus populum suum ab Aegypto egredientem prosecutus est; adeò vt ipse ad Moysen dixerit: Signa faciam, quæ nunquam visa sunt super terram, neque

2. Reg. 13

1. Pet. 1.

Exod. 34.

in vllis gentibus; vt cernat populus iste, in cuius es medio, opus Domini terribile quod facturus sum. Cæterùm quæ is in hoc summo redemptionis nostræ opere designauit, tanto sunt præstantiora atq. maiora, vt idem Dominus per Isaiam dicat: Non erunt in memoria priora, neque ascendent in cor. Quantum enim vmbræ veritas, corpori anima, tempori æternitas præstant; tantum atque eo ampliùs hoc beneficium superiora illa antecellit. Quem igitur erga Deum animum pro hoc tanto munere nos gerere, quibus eum laudibus celebrare, quas illi gratias agere par est? Ad hoc enim grati animi officium nos Ecclesiasticus inuitat, cùm ait: Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris; posuit enim animam suam pro te.

Isaiæ 63.

Eccli. 29.

Quorsum hæc? Nimirum vt hac ratione, fratres, diei huius dignitatem & gloriam apertiùs cognoscatis. Hodie enim summum hoc redemptionis nostrę opus inchoatum est: hodie quippe Virgo illa concepta est, ex qua mundi conditor & redemptor carnem pro salute mundi erat assumpturus: hodie prima huius operis fundamenta iacta sunt: hodie arbor illa plantata est, quæ fructum vitæ erat prolatura, quo generis humani morbus, vetitæ arboris fructu contractus, sanandus erat. Hodie in paradiso Ecclesiæ virga illa de radice Iesse consita est, ex qua pulcherrimus ille flos emicuit, super quem Spiritus Domini requiesceret, de cuius plenitudine omnes acciperemus. Hodie item Spiritus sanctus telã texere cœpit, ex qua æterno Dei Filio mortalis naturæ vestem aptaret. Hodie denique caro & sanguis ille coagulatus est, ex quo carnem & sanguinem Filius Dei sumpturus erat, quem pro salute nostra funderet. Meritò ergo à nobis dictum est, summum illud redemptionis nostræ opus hodie inceptum fuisse. Vt igitur de hac tanta solemnitate dignum aliquid dicere valeamus, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Præsentis diei solemnitas, quæ sacratissimæ Virginis conceptioni dicata est, nos admonet, fratres, vt de nostra priùs conceptione pauca dicamus: huius enim rei cognitio, ad nostri ipsorũ cognitionem, & communis morbi remedium, maximo nobis adiumento futura est. Omnes enim graui languore ægrotamus, quia omnes in originali peccato concepti sumus: quod à Theologis languor naturæ appellatur. Et ideò quid ipsum originale peccatum sit, diligenter à nobis explicandum est: quotidie enim hoc originalis peccati nomen in concionibus auditis, nec facilè quisque, quid illud sit, explicare aut etiam intelligere potest. Quidam enim adeò crasso & hebeti ingenio sunt, vt atrã quandam & sordidam maculam animæ nostræ inhærentem esse arbitrentur:

biterentur: quocirca, quid hoc peccatum ſit, explicare neceſſe eſt: quod tamen fieri commodè non poterit, niſi altiùs totius rei ordine repetito.

Ad hoc igitur primò ſciendũ eſt, hominem ad altiſſimum finem à Deo conditũ fuiſſe: nempe, vt reuelata facie diuinæ maieſtatis gloriã cerneret, & eius beatitudine frueretur. Quæ quidem beatitudo adeò naturalis & propria Dei eſt, vt nulla creatura ne per diuinã quidem potentiam creari poſſit, cui ea beatitudo naturæ iure conueniat. Naturalis enim & propria Dei beatitudo ſolius Dei, non alicuius creatæ naturæ eſt. Quod autem non habet natura, largitur gratia. Deus enim ob immenſam ſuam bonitatem vſque adeò naturam extulit humanam, vt eam diuinitatis & felicitatis ſuæ conſortem efficeret.

Quia verò hic finis humanæ naturæ facultatem ſuperat; Dei verò opera perfecta ſunt: ideò homini, ad ſupernaturalẽ finem condito, facultates etiam & virtutes huic dignitati conuenientes contulit, quibus ad hunc finem aſſurgere poſſet. Ratio enim & natura rerũ hoc exigit, vt finis, & ea quę ad finẽ diriguntur, eiuſdem ordinis ſint. Ad hoc verò tria ſupernaturalia dona homini in eo ſtatu data ſunt: quorum primum originalis iuſtitia fuit. Huius autem doni vi fiebat, vt homo, qui rectus à Deo conditus fuerat, in eadem animi rectitudine permaneret; & qui omnium inferiorum dominus erat, omnia hæc inferiora ſibi ſubdita, & dicto obedientia haberet: vnde iuſtitia hæc, velut regia quædam corona extitit, quę principatum homini ſuper hæc inferiora tribuebat. Primùm itaq. animantia cũcta illius imperio parebant; deinde verò mors, & mortis comites morbi, ſub eius poteſtate erant: neque enim iuſtitiæ æquitas pœnã vllam eſſe patiebatur, vbi culpa non erat. Poſtremò (quod præclariſſimũ fuit) cùm duplex animæ portio, altera ſuperior, altera inferior ſit (in qua affectus & cupiditates noſtræ inſunt) ita diuina ſapientia vtramq. copularat, vt inferior ſuperiori pleniſſimè ſubderetur, quemadmodum modò corporis membra imperio ſubſunt voluntatis. Quod enim in omni benè inſtituta repub. fit vt maiores imperandi, minores verò obediendi officium exerceant, hoc in homine benè inſtituto perfectiſſimè ſeruabatur. *Simile.*

Deinde etiam idem Dominus originali iuſtitiæ gratiam adiunxit. Simul enim (vt D. Aug. ait) & naturam condidit, & largitus eſt gratiam: quæ videlicet animam Deo gratiſſimam redderet; quęq́ue illam ſupra naturæ ſuę conditionem ſic attolleret, vt eam Deus in filiam adoptaret, hęredemq́ue regni ſui inſtitueret. Poſtremò cum ipſa ſimul gratia, virtutum omnium habitus ab ea prodeuntes, ac præcipuè charitatem contulit: vt ita mens hominis per gratiam quidem pulchra, per charitatem verò *Auguſt.*

eſſet

esset operosa, & vtroque nomine Deo gratissima. Hæc igitur tria præstantissima & supernaturalia dona in eo statu diuina bonitas homini largita est; ea tamen lege, vt, si is in officio & fide persisteret, sibi posterisq; suis integra manerent; si verò ab officio recessisset, & sibi & posteris amitteret. Quia verò dona hæc nequaquam humanæ naturæ debita, sed gratuitò concessa fuere: sicut naturæ conditor naturam potuit sine illis creare, ita potuit, qua lege ipsi libitum fuit, ea donare. Cur verò hac lege donârit, non est præsentis instituti perscrutari.

Cùm igitur in hoc felicissimo statu ageret homo; diabolo adnitente, mandatum, quod illi à Deo iniunctum fuerat, transgressus, hæc omnia dona & sibi & nobis perdidit, & mortẽ cum peccato ad posteros transmisit. Ne verò quisquam hoc parum rationi & æquitati conuenire credat; naturæ atque iustitiæ leges attendat. Natura enim hoc habet, vt filius patris conditionẽ sequatur: ex patre enim nobili, nobilis; ex ignobili, ignobilis; ex parentibus liberis, liber filius; ex seruis verò emptitiis, filius quoque communi lege ancillarum seruus nascitur. Cùm enim pater sit causa filij, & filius item sit aliqua patris portio; consequens est, vt eadem sit vtriusq; conditio. Idem etiam æquitatis & iustitiæ lex postulat. Ciuiles enim leges hominem læsæ maiestatis reum bonis omnibus ita mulctant, vt eadem pœna ad hæredes vnà cum criminis infamia transeat: quamuis eiusmodi sit hæreditas, quæ maioribus natu filiis perpetuò debeatur. Itaque vnum patris crimen efficit, vt posteri omnes propter illud & inglorij & exhæredes nascantur. Hac ergo eadem pœna supernus ille mundi arbiter Deus communem generis humani parentem, proditionis reum, & posteros eius mulctauit. Donis ergo illis amplissimis spoliatum nasci; originale peccatum appellamus: quòd videlicet sit originalis iustitiæ (quæ inhærere homini debuisset) priuatio. Quamuis non ignoro hanc definitionem magis effectum peccati, quàm peccati naturam exprimere: ideoque originale peccatum aliud quiddam recentiores Theologi esse dicunt, nempe habitualẽ voluntatis auersionem à Deo, quæ ab hac originalis iustitiæ priuatione procedet. Verùm quia hoc & subtilius est quàm vt populi captus ferat, & minus nostro conuenit instituto, iam intueamur, qualis animæ nostræ facies post lamentabilẽ illũ generis nostri casum fuerit relicta.

Simile. *Simile.*

I.

Primùm quidem sublata originali iustitia (vt mortem, languores, cæterasq; corporis calamitates, in quas incidimus, omittam) portio animæ inferior cum toto affectuum & cupiditatum agmine aduersus spiritum rebellauit. Qui enim affectus præsenti originali iustitia velut freno quodam cohibebantur, soluto

iustitiæ

Iustitiæ vinculo, effrenati statim atque rebelles effecti sunt. Cuius rei velut imaginem quandam in arca testamenti in medio Iordanis posita videre licet. Ea enim in medio fluminis alueo consistente, superiores fluminis aquæ stabiles & immotæ perstiterunt, donec exercitus omnis filiorum Israël per arentem alueum transiret: vbi verò arca sublata est, aquæ protinus, quæ in vna mole constiterant, solito lapsu ad ima fluere cœperunt. Sic igitur affectus & motus animæ, quàm diu originalis iustitia in anima erat, velut suspensi & immoti permanebant, neque à rationis imperio discedebant: vbi verò ea per peccatum sublata est, præcipites ad ima ruere cœperunt, & vix habenas pati, aut vlla rationis lege cohiberi possunt: quorum effrenati impetus & motus, malorum ferè omnium seminaria existunt. Quemadmodum ergo inter monachos, vbi monasticæ vitæ disciplina viget, nullus eorum sui iuris est, nullus inconsulto prælato aut aliquid moliri, aut pedem domo efferre audet; si verò ea disciplina dissoluatur, iam omnibus, quod libet, licet, & ad votum suum quisque, non ad superioris præscriptum viuit: ita planè affectibus & cupiditatibus nostris per peccatum euenit; quæ cùm antea sub arctissima rationis obedientia degerent, modò soluta lege (nisi gratiæ virtus obsistat) per omnia vitiorum præcipitia rapiuntur.

Simile.

Ex quo apparet, hominis naturam, per peccatum, mirabili imò lamentabili modo fuisse inuersam. Rationis enim, velut præfecti cuiusdam, erat, affectus & motus animi regere, qui natura cæci sunt: modò verò vsque adeò affectuum & cupiditatum suarum imperio addicta est, vt ea non iam affectus & cupiditates imperio coërcere, sed ipsis seruire impellatur: hoc est, rationes excogitare, quibus earum cupiditatibus & commodis pleniùs indulgere & obsequi possit. Quo fit, vt ratio ipsa, à conditionis suæ nobilitate degenerans, in carnis quodammodo naturam versa sit. Quæ enim antea Deo adhærens, & vnus cum eo spiritus effecta, illius legibus plenissimè obtemperabat; modò carni adhærens, vim suam in explēdis eius cupiditatibus impendit. Cuius infelicem sortem non video quo alio exemplo exprimere commodiùs possim, quàm Andromachæ feminæ nobilissimæ, quæ Hectori, Priami Regis filio, matrimonio copulata, viro mortuo, & euersa Troia, Pyrrho Achillis filio, longè disparis nobilitatis viro nupserat: quam cùm fortè Aeneas vidisset, & pristina viri eius dignitas in mentē venisset, ad illā ait:

Heu quis te casus deiectam coniuge tanto
Excipit? aut quæ digna satis fortuna reuisit?
Hectoris Andromache, Pyrrhin connubia seruas?
Deiecit vultum, & demissa voce locuta est.

Virg. Aeneid. lib. 1.

Hoc

Hoc quidem nos quoque, fratres, ab humana ratione quęrere possumus, quę cùm ante peccati lapsum Deo desponsata, & vnū cum illo effecta, eius solùm legibus parêret; modò hoc nobilissimo sponso relicto, & carni copulata, & vnum cum illa effecta, sic eius obsequio addicta est, vt non tanquam vir, sed tanquam vile mancipium, vim omnem & acumen suum in eius cupiditatibus explendis impendat. Vnde enim tot deliciarum inuenta, vnde tot excogitatæ nocendi artes, vnde tot cupêdiarum, odoramentorum, & vestium cultissimarum genera, quibus carnem fouemus, ornamus, molliterq; tractamus, nisi à rationis & ingenij acumine manarunt; quod, veluti carnis mancipium, se totū carnis libidini atque obsequio addixit? Cuius rei similitudinem quandā Achitophel, prudentissimus Dauidis consiliarius, mihi exhibuisse videtur: qui vt pacis tempore fidissimus Dauidi semper extitit; ita vbi ad Absolonem defecit, pernitiosissima contra Dauidem consilia iniuit. Sic igitur ratio, quæ ante peccati lapsum fidelis & obediens Deo erat, vbi post lapsum carni adhæsit, & vnum quodammodo cum illa effecta est, atrociter & impiè aduersus Dei leges pugnare non veretur.

2.Reg.16.

Hæc igitur rebellio ex originalis iustitiæ amissione consecuta est. Amissa verò deinde gratia, qui anteà Deo gratus & decorus erat, factus est deformis: extincta autē charitate qua Deum super omnia diligebat, in sui ipsius amorē ita exarsit, vt à conditore suo auersus, totus ad se per immoderatum sui amorem fuerit conuersus. Et qui anteà ad Deum, tanquam ad vltimum finem, & se, & sua omnia referebat, modò se super omnia diligens, seque velut vltimum finem statuens, ipsum Deum, & reliqua omnia ad sui vnius obsequium & commodū dirigit. Quod quidē vulnus quàm sit lethale atque perniciosum, vix vlla oratio explicare pro rei magnitudine poterit. Nam primū hoc est in Dei quodammodo dignitatē inuadere, & quod ei diuinitatis iure debetur, sibi vindicare. Quoties enim homo commoditatis alicuius amore captus, Deum ac Dei leges contemnit, se ipsum vltimum finem facit, seque illi anteponit. Hoc est autem illud ingens malum quod Apostolus memorat, cùm de sceleratis hominibus loquens, eos voluptatum magis quàm Dei amatores esse ait. Quid verò detestabilius; quàm vt homo fœdam carnis voluptatem magis quàm Deum, à quo conditus est, diligat, seque ipsum in amore Deo præferat? Quid verò hinc consequatur, verbis explicare formido. Cùm enim homo se ipsum, voluptatesque suas Deo anteponit, easque magis quàm Deum diligit; priusquam in hunc peruersum animi motum prodeat, hoc iudicium in eo intellectu, qui practicus appellatur, præcedere necesse est: Ego planè dignior sum qui magis quàm Deus

2.Tim.3.

hoc

hoc tempore diligendus sum. O rem detestabilem! ô monstrum horrendum! Sed nihil (inquies) vnquã tale mihi venit in mentem. Intellige ergo quantum in tui ipsius peruerso amore virus lateat. Quotiescumque enim vtilitatis alicuius amore captus, Deum, Deique leges contemnis, hoc intra te iudicium retines. In omni igitur capitali crimine inest hæc tanta deformitas. Ex hoc item immoderato sui amore omnia alia crimina proficiscuntur; nemo enim peccat, nisi qui alicuius vtilitatis aut voluptatis, aut vanitatis amore inductus atque permotus, Dei leges transgreditur, modò id assequatur quod concupiscit. Hac enim de causa homines peierant, litigant, rapiunt, oderunt, inuident, belligerantur, & alienæ pudicitiæ insidiantur, cæteraque similia facinora suscipiunt.

II.

Iam ex his quæ hactenus dicta sunt, fratres, philosophari incipiamus. Primùm igitur ex his apertissimè, quanta sit lethalis peccati pernicies atq; malitia, liquet, quod iustissimus ille iudex tam graui supplicio puniendum esse decreuit. Sunt quidem & alia, quibus, quantum mali in peccato positum sit, agnoscere possumus. Nam & vnigeniti Filij Dei mors, qua peccatum expiatum fuit, & ignis æterni supplicium, satis indicant quale hoc malum sit, quod Christi sanguine expiandũ, & æterno supplicio plectendum fuit. Si quis autem est, cui hæc duo argumenta ad hoc intelligendum non sufficiant, in hanc saltem peccati pœnam quam hactenus descripsimus, oculos coniiciat. Quale enim illud malum fuit, quod totam generis humani massam infecit, quod tot animarum naufragia peperit, quodque in omnia secula peruasit? non enim vnum hominem, sed vniuersum genus hominum ab Adam propagatum, veneno suo infecit, sordidauit, & ad mortem damnauit. Quis igitur adeò stupidus erit, qui hac saltem ratione lethiferi peccati malitiam non agnoscat? Quæ cùm ita sint; non satis mirari queo, quo nam modo, qui hæc omnia firmissima fide credunt, tam facilè omnia huiusmodi peccata admittere non vereantur. Nam quòd Ethnici & infideles illa committant, qui ista non credunt, & qui mala hæc, quæ patimur, non culpæ supplicia, sed naturæ conditionem esse arbitrantur, non adeò mirum est: at verò quòd nos ipsi, qui cælesti magisterio docti, & fidei sacramentis imbuti, quique hęc ipsa mysteria vel cum periculo capitis palàm confiteri parati sumus, tam facilè propter res nihili sine vllo doloris sensu tam multa committamus, quis non miretur & obstupescat? Mirentur alij quæcumque admiratione digna iudicauerint; ego numquam satis hæc duo mirari potero; alterum, quòd tantum indignitatis & malitiæ in peccato sit; alterum, quòd qui hoc firma

firma fide tenent, tam leuibus de caufis tot peccata committant. Hoc igitur præcipuum & fummum eft, fratres, quod ex hac Chriftiana philofophia elicere debemus.

Quid deinde? Nimirum vt intelligamus præcipuum Chriftiani hominis officium effe, fpiritualibus armis fe aduerfus hanc generis humani peftem, hoc eft peccatum, munire atque armare. Cùm autẽ varia fint aduerfus illud arma atque remedia, quatuor, quę mihi præcipua effe videntur, vobis proponam. Horum primum eft, omnes peccatorum occafiones cautè & prudenter fugere, ne homini, ad malum naturæ corruptione propenfo, maius peccati incitamentum præbeamus. Quid enim de ægrotante homine fperandum effet, qui baculo innixus, vix pedibus confiftere poffet, fi quis illum externa vi impellere atq; profternere conaretur? At hoc eodem modo anima noftra fpirituali ægritudine laborat: quæ cùm fæpe ob ingenitam infirmitatem in peccata labatur, quid de ea futurum eft, cùm præfens voluptatis confpectus, & peccandi opportunitas illam ad peccandum alliciat? Præfens enim rerum, quas amamus, confpectus vehementer hominem ad malum excitat & incendit. Quantum verò occafionis periculũ fit, fatis abundè miferanda illa ruina Dauidis oftendit. Proximum verò eft, vt ad primũ peccati aditum, cùm ad cordis noftri oftium pulfare cœperit, celeritate occurramus. Vt autem celeritatis huius caufam intelligatis, humani cordis ingenium in hoc ftatu naturę lapfæ appofitiffimo (vt mihi videtur) exemplo vobis ante oculos ponam. Puluis fulfureus vbi vel minimo aquæ rore fuerit afperfus, ægrè admodum ignem concipit; fi verò omni careat humore, exigua ignis fcintilla fubitò inflammatur. Cor ergo noftrum huic pulueri meritò comparatur: ad diuina quippe diligenda, inftar humentis pulueris huius tardiffimè ignem concipit; ad carnalia verò atq; terrena, inftar pulueris omni humore vacantis, impura aliqua cogitatione velut exigua quadã fcintilla excitatus, fine vlla mora accenditur: quo non anima folùm, fed frequenter etiam corpus ipfum inflãmatur. Huius ergo periculi gratia Salomon ait: Omni cuftodia ferua cor tuum, quoniam ex ipfo vita procedit. Hac autem cura & ftudio fancti omnes cor fuum ab omni peccati labe purum feruare curabant. De illis namque myfticè in Cant. fcriptum eft: En lectulum Salomonis fexaginta fortes ambiunt ex fortiffimis Ifraël, omnes tenẽtes gladios, & ad bella doctiffimi. Nec fatis fuit dicere eos tenere gladios, fed adiecit etiam: Vniufcuiufque enfis fuper femur fuum propter timores nocturnos. Lectuli autem nomine, viri iufti cor intelligimus, in quo cæleftis Sponfus requiefcit. Qua autem cura & vigilantia hunc lectulum pij cuftodiant, Salomon expofuit, cùm fortes illos

Simile. 2.Reg.11. Simile. Prou.4. Cant.3.

illos super femur suum enses tenere dixit. Ensem quippe hoc modo tenere, est in procinctu esse ad eum sine vlla mora euaginandum, & ad inuadentem hostem depellendum. Quo exemplo Salomon celeritatem, qua malarum cogitationum principiis obsistere debeamus, satis apertè indicauit.

Sacramenta etiam Confessionis & Eucharistiæ maxima aduersus peccati morbum remedia esse constat: ad hoc enim ab auctore salutis nostræ Christo fuerunt instituta. De Confessione autem Cardinalis Caietan. ait, eam esse medicinam quæ magnopere hominem in Dei timore conseruat. Quod quidem efficaciùs præstat Eucharistia: cuius officium est, spiritualem vitam Confessionis beneficio partã, spirituali cibo alere atq. conseruare. Iam verò precandi studium, cùm malorum omnium commune remedium sit, tum præcipuè aduersus peccatum plurimum valere ostendit regius Propheta, cùm ait: Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. Et Apostolus item cùm varia nobis arma aduersus peccatum ministraret, huius præcipuè meminit, cùm ait: Per omnem orationem, & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu; & in ipso vigilantes in omni instantia & obsecratione.

Caieta. in Summul.

Psal. 24.

SECVNDA PARS.

Vidistis hactenus, fratres, quò miseriarũ homo per peccatum deuenerit: in quo quidẽ statu illũ diuina iustitia relinquere potuisset. Quis enim (ait Sapiens) dicet tibi, quid fecisti? aut quis stabit cõtra iudicium tuũ? aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorũ hominum? Neque Rex, neq. Tyrannus in cõspectu tuo requirẽt de his quos perdidisti. Noluit tamẽ diuina bonitas iure suo (quo iustè poterat) vti, sed ineffabili pietate atq. consilio ita saluti nostræ prospexit; vt qua via peccatũ & mors in mundũ fuerant ingressa, eâdem vita & iustitia redirẽt. Quod latè Apostolus ad Romanos declarat his verbis: Sicut per vnius delictum in omnes homines mors regnauit in condemnationẽ; sic & per vnius iustitiam in omnes homines (subaudi, regnauit gratia) in iustificationem. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores cõstituti sunt multi: ita per vnius obedientiam iusti constituentur multi. Voluit itaque diuina Sapientia, vt quemadmodum vnus homo mundum perdiderat; ita vnus nouus homo lapsum repararet: & sicut aliena culpa nobis tantòpere nocuit; ita aliena iustitia multo magis nobis prodesset. Quia verò primi hominis ea culpa fuit, vt, qui homo erat, eò vsque per superbiam efferretur, vt diuinæ similitudinis honorẽ affectaret; satisfactio planè secundùm iustitiæ leges ea esse debebat, vt, qui esset verus Deus, sese ad humilitatẽ humanæ naturæ demitteret. Nulla enim alia humilitas tantæ illi superbiæ

Sap. 12.

Rom. 5.

rectiùs opponi poterat. Ad hoc ergo vnigenitus Dei Filius è cælo descendit, ad hoc humanam carnem induit, vt sicut vnius hominis delicto mundus antè perierat; ita vnius Dei & hominis merito seruaretur. Si ergo Dei Filius verus homo futurus erat, matrem vtiq. habere debuit, ex qua humanā naturam assumeret. Qualis verò illa femina futura erat, quæ illum concipere & parere mereatur? Virgo certè, Angelis purior, astris splendidior, quæ venientem in has mortalitatis oras Dei Filium castissimis visceribus, & virgineo thalamo exciperet. Quę quidē ab æterno ad hoc munus destinata, hodie concepta est. Qua ex re, quanta sit huius diei sollemnitas, intelligere licet. Hodie Deipara virgine concepta (vt initiò dicebamus) summum illud humanæ redemptionis opus inceptum est. Duo autem celeberrimi dies habentur, cùm templum aliquod ingens, aut insigne opus construitur: alter, cùm opus incipitur; alter, cùm finitur. Hunc autem diem excellentissimi operis, hoc est, redemptionis nostræ initium fuisse, Petrus Damianus declarat his verbis: Solemnitas hodierna beatissimæ & intemeratæ Dei genitricis meritò præcipuum & singulare præbet omnibus gaudium, quæ totius extitit humanæ salutis exordium. Exultemus ergo, dilectissimi, in hac die, in qua dum beatissimæ Virginis præuenimus exordium, cunctarum etiam noui Testamenti festiuitatum celebramus initium. Primum enim fuit Virginem procreari: proximum verò ex ea Dei Filium carnē assumere, & in ea mundum expiare. Quam quidem expiationem cætera Sanctorum festa sequuntur; qui lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni. Quæ cùm ita sint; qua, quæso, alacritate, qua deuotione hic dies à nobis celebrandus est? Quid enim gratius, quid iucundius mundo nunciari potuit, quàm hoc ipso die purissimam quandam Virginem conceptam fuisse, ex qua Dei Filius humanam carnem pro salute mundi esset assumpturus?

Petrus Dam.

Cæterùm quando hac ipsa die nasciturо Dei Filio domus fabricari cœpta est, quis eius fuerit ornatus & elegātia, expendere incipiamus. Hoc (vt idē Petrus Damianus interpretatur) Salomon explicuisse videtur, cū ait: Sapientia ædificauit sibi domū, excidit columnas septem: quia videlicet septem Spiritus sancti donis, hoc est, gratiarū omnium charismatis, spiritualis hæc domus suffulta fuit. Hic enim vetustissimus diuinæ sapientiæ mos est, vt pro ratione munerū, ad quæ homines destinauit, gratiam illis, & cælestia dona impertiatur. Sic Prophetas admirabili rerum diuinarum cognitione illuminauit, sic Apostolos excellentissima charitate incēdit; sic Martyres, quos fidei suæ testes elegit, insuperabili fortitudine & constantia roborauit. Cùm ergo post Dei Filium nulla maior quā matris eius dignitas sit, effici-

Idem. Prou. 9.

tur ſanè, vt illius gratia tantum aliorum ſanctorũ gratiam antecellat, quantum eius dignitas illorum dignitatẽ ſuperat. Imò verò quas virtutes & dona cæleſtis Spiritus in omnes ſanctos liberaliſſimè effudit, longè præſtantiùs in hac ſacra Virgine copulauit. Quod D. Bernardus locum illum enarrans, In plenitudine ſanctorum detentio mea, cõfirmat his verbis: Verè in plenitudine ſanctorum detentio Virginis Mariæ, cui non defuit fides Patriarcharum, ſpes Prophetarũ, zelus Apoſtolorum, conſtantia Martyrum, ſobrietas Confeſſorum, caſtitas Virginum, ſed nec ipſa puritas Angelorum. Quare hoc? Quia nimirum (vt D. Hieronymus ait) quod natura nõ habuit, vſus neſciuit, ignorauit ratio, mens non capit humana, ſtupet cælum, pauet terra, creatura omnis, etiam cæleſtis, miratur: hoc totum eſt quod per Gabrielem Mariæ nuntiatur. Hæc ergo ſumma dignitas his tantis meritis atque virtutibus debuit honeſtari.

Bernard. Eccli. 24.

Hieron.

Hoc idem licet ex ſumma illa dignitate & ſanctitate humanitatis Chriſti philoſophari. Catholica enim fides tantã gratiarum omnium, cæleſtiumq. donorum abundantiam in hac ſacra humanitate eſſe prædicat, vt quicquid in theſauris diuinis reconditũ erat, in illã effuſum ſit, Ioanne Baptiſta teſtãte, qui ait: Nõ enim ad menſurã dat Deus Spiritũ, videlicet Filio. Cur ita? Nimirum quia cùm ſumma illa maieſtas ita noſtri gratia ſe demittere voluerit, vt humanã naturam aſſumere & verus homo fieri dignaretur; talis vtique illa humana natura futura erat, vt hoc diuini Verbi cõtubernio digna eſſet, nullumq. tãtæ illi maieſtati dedecus inureretur, quòd talẽ ſibi naturã in vnitate perſonæ copulaſſet. Cùm enim illius aſſumptæ naturæ vel decus, vel dedecus in Deũ caderet, debuit vtiq. humanitatis illa ſumma gratia & ſanctitate pollere; ne quid in ea eſſet, quod immenſam illam maieſtatem obſcurare, vel dehoneſtare vllo modo poſſet. Quod cùm ita ſit, ſimili quoque argumento ſacratiſſimæ huius Virginis dignitatẽ colligere licet. Conſtat enim verũ eſſe quod Salomon ait: Corona ſenum, filij filiorũ; & gloria filiorũ, patres eorum: nec minùs verum eſſe quod Eccleſ. ait: Gloria hominis in honore patris ſui, & dedecus filij, pater ſine honore. Quod quidem propter ſummã vtriuſq. partis neceſſitudinẽ adeò verum eſt, vt filios ex parentũ cõditione ſæpe & laudemus & vituperemus. Sic laudabat Gabelus Tobiam iuniorem dicens: Benedicat te Deus Iſraël, quia filius es optimi viri, & iuſti, & timentis Deum, & eleëmoſynas faciẽtis. Si ergo propter diuini Verbi honorẽ ſacrã eius humanitatẽ ſic attollimus, & ſumma præditam gratia & ſanctitate cõfitemur; conſequẽs etiã eſt, vt, quando cõmunis matri Virgini cum filio honor eſt, ſummo honore, ſummaq. ſanctitate eius matrem præditã eſſe fateamur; vt hac

Ioan. 3.

Prou. 17 Eccli. 3.

Tob. 9.

ratione filium quoque pariter honoremus. Præterea constat ex his, quæ modò diximus, decus atq. dedecus filiorum ex parentum dignitate vel indignitate magna ex parte proficisci. Hinc Saul Rex aduersus Ionatham filium grauiter cõmotus, volensq. illum insigni afficere contumelia, filium appellauit mulieris vltrò virum rapientis. Vt igitur magnum filij dedecus est, ex accusanda matre nasci: ita nõ vulgaris eius honor est, de honestissima genitrice gloriari. Quocirca si filiis in manu esset, vt matrem eligere aut efficere possent, haud dubium quin eam supra cunctas feminas ornatissimã & honestissimam eligerent. Cum igitur Dei Filius hac tanta potestate præditus esset, (qui solus & matrem eligere, & talem facere posset qualem vellet, nec hoc ipsum maioribus expensis, quàm sola voluntate efficere posset) quis iam dubitare queat, eum matrem supra creaturas omnes excellentissimã atq. sanctissimã elegisse? Quis enim rem adeò pretiosam, tam facili pretio, hoc est, solo voluntatis nutu cõparare nollet? Hanc verò summã Virginis dignitatem, & Gabriel Angelus, & beata Elisabeth Spiritu sancto acti facilè cõfirmant: qui consona eiusdem Spiritus voce illam inter omnes mulieres, hoc est, supra omnes mulieres benedictam appellarunt. Vnde etiam consequens est, vt Dei Filius, qui de Patre Deo gloriatur, talem sibi matrẽ eligeret, de qua etiam meritò gloriari posset: atque ita demum ex vtroque parente esset verè nobilis, & gloriosus. Hac ergo ratione, fratres, eximiam Virginis sanctitatem vtcumq. conijcere licebit. Quam si quis pro dignitate æstimare posset, non dubito quin in eam admirationis magnitudinẽ raperetur, qua magnus ille Dionysius, Apostoli Pauli discipulus, perculsus fuit, cum Virginem adhuc in carne degentem videre meruit. Quã rem Dionys. Carthusianus in elucidatione tertij cap. de diuinis nominibus magni illius Dionysij Areopagitæ memorat his verbis: Beatus Dionysius legitur à Græcia peruenisse in Iudæam, ac exorasse Ioannem Apostolum, vt ei dignaretur præstantissimam illã ostendere feminam, ex qua vniuersorum principium nasci & prodire dignatum erat. Cumque sacra Virgo suam illi præsentiam exhibuisset, Dionysius in tanta claritate, luce, & gloria ipsam intuebatur, quòd præ admiratione deficiens mox in terrã corruit. At tandẽ reuersus ad se dixit: Nisi ex ratione naturali ac fide nouissem, esse aliam deitatem, non putassem præter hanc esse aliam. Hoc idem recitat Vbertinus libro de vita Saluatoris; addens, quòd Dionysius circa præclarissimam Virginem vidit innumerabilem exercitum Angelorum. Hactenus Dionysius Carthusianus. Ex cuius verbis obiter colligere licet, fratres, quale beatarũ mentium futurum sit gaudium, cùm hãc ipsam Virginem cælesti gloria decoratam

1.Reg.20

Lucæ 1.

Dionys. Carth.

videant,

videant, quando tale fuit, eam in mortali adhuc corpore degentem vidisse.

Tale ergo hospitium Spiritus sanctus, cui Dominicæ incarnationis opus tribuitur, vnigenito Dei Filio præparauit. Locum enim locato conuenire debere, Philosophi tradunt. Quare non mirum, si talis locus tali hospiti paratus fuerit: qui nimirum pascitur inter lilia: quique nisi in lecto, virtutum floribus ornato, non quiescit. Quid igitur hæc ad nos? Multum planè. Nam si talis est Virgo qualem hîc depinximus; habemus vtique post Christum potentissimam apud Deum aduocatam. Et quidem (vt D. Bernard. ait) sufficere nobis poterat Christus (siquidem nunc omnis sufficientia nostra ex Deo est) sed nobis bonum non erat esse hominem solum: congruum magis vt adesset nostræ reparationi sexus vterque, quorum corruptioni neuter defuisset. Fidelis planè & potens mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus: sed diuinam in eo reuerentur homines maiestatem. Opus ergo nobis erit ad mediatorem mediatrice: nec altera nobis vtilior quàm Maria. Hactenus ille.

Bernard.

Quid igitur superest, fratres, nisi vt omni ratione mediatricis huius gratiam nobis conciliare studeamus; quo eam nobis in ærumnosæ huius vitæ periculis, atque adeò in ipsa mortis hora celerem adiutricē sentiamus? Quòd si quæratis qua potissimùm ratione hoc eius patrociniū cōsequi possimus, expeditissima ad hoc via est, si virtutes eius pro virili nostra imitari studeamus. Nihil enim magis amorē quàm similitudo cōciliat: amor enim, animorū vnio est. Similia verò, tanquā sibi cognata, facilè coniunguntur. Quod cùm ita sit, quisquis per amorem beatissimæ Virgini adiungi desiderat, & ab ea vicissim diligi, virtutes eius (vt diximus) quantum poterit, imitari contendat. Inter eas autem quatuor præcipuè memorātur, quæ in ea singulari quadam ratione floruerūt: virginitas, charitas, misericordia, & virtutum fundamentū, humilitas. Habuit enim Mariæ virginitas aliquid singulare, gaudium videlicet matris cū virginitatis honore. Habuit item & charitas aliud etiam singulare, quòd Deum ipsum non solùm vt communē Dñm, sed etiam vt verū filium, & gratuito, & naturali amore dilexit. Si verò misericordia charitatis affectus est, cùm tanta fuerit charitas, quanta erit misericordia! Si fons ita redundat, riuus ab eo deriuatus quā latè inundabit! Hinc D. Bernard. Quis (inquit) misericordiæ tuæ, ô benedicta, longitudinē, latitudinem, sublimitatē, & profundum queat inuestigare? Nam lōgitudo eius vniuersis eam inuocātibus ad nouissimū vsq. diem subuenit: latitudo eius replet orbē terrarum, vt eius quoq. misericordia plena sit terra: sic & sublimitas eius, ciuitatis supernæ, inuenit restaurationem: & profundū eius se-

Bernard.

 dentibus

dentibus in tenebris & vmbra mortis obtinuit redemptionem. Vt autem Virginis charitatem imitari valeamus, eius quoque humilitatem sectari debemus. Sicut enim ignis in cinere; ita charitatis ignis in humilitatis cinere inextinctus & integer adseruatur. His autem virtutibus, quibus beatissimæ Virginis sanctitatē imitamur, quatuor atrocissimos humanæ salutis hostes, qui magnam mundi partē infestant, superabimus; nempe impudicitiā, fraternū odium, auaritiā, atq. superbiam: quæ qui vicerit, in aliorum vitiorū victoria non perinde laborabit. Carnis enim petulantiam cohibere, odij rabiem frænare, aliena nō appetere, propria misericorditer largiri, teq. ipsum se posito supercilio aliis submittere, hoc opus, hic labor est. Quisquis autem maiora præstat, facilè vtique minora præstabit. Harum igitur virtutum cultus beatissimæ Virginis patrocinium & gratiam nobis conciliat, & salutem nostram in tuto collocat, & certissimum nobis aditum ad sempiternæ felicitatis gloriam parat.

Simile.

IN EODEM FESTO CONCEPTIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ

Concio secunda: in qua primo loco de incomparabili Virginis puritate & sanctitate; deinde verò de miseriis quæ originale peccatum (in quo sumus concepti) consequuntur, agitur.

THEMA. *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Matth. 1.

QVEMADMODVM beatissima Virgo Maria inter creaturas omnes dignum Dei Filio habitaculum præparauit; ita planè dignum erat, vt parem nos quoque hodie linguam prædicandis eius laudibus afferremus. Verùm quoniam hoc infirmitas nostra præstare non potest, ne tamen in hac tanta solemnitate, quæ omnium aliarum noui Testamenti initium est, omnino muti & elingues inueniamur, dicendi facultatē ab ea, quæ gratiarū omniū mater est, solita oratione imploremus.

AVE MARIA.

Quoniam beatissimę Virginis conceptio humanę redēptionis & salutis exordiū fuit, ideo, vt mysteriū hoc à prima origine repetamus, ab ipsa humani generis ruina (cuius hodie instauratio cœpta est) oratio nostra initiū sumet. Constat igitur primorū parentum peccatum, communē totius generis humani lapsum extitisse. Cōstat itē, inter omnia peccata, quę hactenus cōmissa sunt,

sunt, quęque in posterũ committentur, nullum fuisse, cuius pernicies tam latè porrigeretur: vtpote quod genus humanum infecerit, & à Dei amicitia, & cælesti hæreditate deiecerit. Quo enim maiora dona primus ille homo acceperat, eo grauiùs deliquit: vt hac ratione intelligant, qui pluribus à Deo donis ditati sunt, quantũ sibi à quouis delicto cauere debeant; quandoquidẽ donorũ magnitudo vehementer delictorũ grauitatẽ exaggerat. Ea tamẽ Dei nostri bonitas & clementia fuit, vt non continuerit in ira sua misericordias suas, sed eodem tempore, quo recens adhuc peccati vulnus erat, salutẽ homini lapso pollicitus fuerit. Hoc enim verba illa designant, quibus is serpentem, huius tanti mali auctorẽ, allocutus est: Inimicitias ponã inter te & mulierẽ, & inter semen tuum & semẽ illius: Ipsa cõteret caput tuum. Quod perinde est ac si diceret: Tu tibi nũc dæmon triumphare videris, quòd mulieris opera peccatum inuexeris in mundũ, per quod mũdi princeps effectus es: verũ tẽpus aderit, quo mulier, quæ hanc tibi potestatẽ contulit, eandẽ rursus eripiat, regnumq́. tuum exscindat, & caput cõterat, hoc est, vires & potentiã tuam elidat. Hoc enim pręstitit beatissima Virgo Maria, cùm Dei Filium genuit, qui caput serpẽtis antiqui cõtriuit, impleuitq. illud quod in Esaia scriptũ est: In illa die visitabit Dñs in gladio suo forti & duro super Leuiathan serpentẽ vectem, & super Leuiathan serpentẽ tortuosum; & occidet cetum qui in mari est. Vectem autẽ appellat dæmonẽ quasi oblongum, ad modũ vectis; quòd imperium suum quàm latissimè per totum penè terrarum orbem porrexisset. Tortuosum autẽ, quòd sinuosis cuniculis, & fraudibus incautos homines adoriretur. Cuius caput Saluator in cruce contriuit: per quam vetus homo noster simul crucifixus est, & peccati regnũ euersum. Hanc ergo victoriam, hoc salutare generis humani remedium, vix dum transgressione finita, immensa Dei bonitas & misericordia promisit. Et quidẽ homines vbi insigni aliqua contumelia affecti sunt, quã diu ira feruet, & illatæ contumelię memoria viget, nihil de iniurię remissione cogitant: at diuina bonitas & clementia hac mora non eguit, sed iustissimã iram adhibita misericordia temperauit, ne homines, salutis suæ desperatione concepta, in omnia flagitiorũ dedecora prolaberentur. Atque hoc forsitan scriptura designat, quę Dñm inducit post peccatum illud deambulantẽ in paradiso ad auram post meridiẽ. Quid enim sibi vult quòd Dñs deambulet, quodq. instar hominis, calore nimio æstuãtis, refrigerãtis aurę solatium captet, nisi quòd hac imagine Spiritus sanctus diuini furoris temperamentum voluerit insinuare? qui cùm peccantẽ hominẽ potuisset irreuocabili sententia damnare, noluerit tamẽ hac seueritate cum illo agere, sed tãta vti benignitate, vt feliciorem

Psal. 96.

Genes. 3.

Isaiæ 27.

Genes. 3.

Lib. 11. de Ciuit. Dei, c. 12

quodammodo D. Auguft. iudicet hominē in hoc ftatu, propter Chriftum patientem, quàm eundem terreftris paradifi deliciis affluentem. Eius hæc verba funt: Quis primos illos homines in paradifo negare audeat fuiffe beatos ante peccatū, quamuis de fua beatitudine, quàm diuturna, vel vtrū æterna effet, incertos? Effet autem æterna, fi non peccaffent. Quantum itaq. pertinet ad delectationem præfentis boni, beatior erat primus homo in paradifo, quàm quilibet iuftus in hac infirmitate mortali: quantum autem ad fpem futuri boni, beatior quilibet in quibuflibet cruciatibus corporis (cui non opinione, fed certa veritate manifeftum eft, fine fine fe habiturū omni moleftia carentem focietatem Angelorum, in participatione fummi Dei) quàm erat ille homo fui cafus incertus, in magna illa felicitate paradifi. Hactenus Auguft. Itaque quamuis effent primi illi humani generis parentes ad cæleftem hæreditatem adeundam magnis cæleftium donorum præfidiis inftructi: eorum tamen felicitatem illud valde deprimebat, quòd ab ea intelligerent fe poffe cadere, nec vlla eius recuperandæ certa illis adhuc fpes affulfiffet. Nec enim ante exitium illud, & vaftitatem quam in humanum genus Adæ crimen importauit, mifericordiam Deus peccanti homini pollicitus erat: nec ampliffima Chrifti beneficia, quæ in nos erant conferenda, adhuc expofita erant: quamuis pœna hominibus illis effet denunciata, fi interdicto illo cibo vefcerentur. Inde adeò fit, vt feliciores eos haberi debeamus, qui, quamuis grauiffima miferiarum mole oppreffi, certiffima mifericordiæ confequendæ fpe reficiuntur; quàm illos, qui magna bonorum opulentia circumfluentes, nec diutiffimè ea retinendi, nec amiffa recuperandi, certa erant fecuritate confirmati.

Ex hac igitur diuina promiffione conftat, Deum ad genus hominū inftaurandū, non aliquē ex fupernis illis fpiritibus (quod facilè poterat) fed verum hominem ex muliere propagandum elegiffe: vt quoniam per feminā mors inducta erat in mundum, per feminæ quoque felicem partum vita reuocaretur in mundum. Quod Sanazarius Poëta eleganter expreffit his verbis:

Sanazarius de par. Vir. lib. 1.

Cumq; caput fuerit, tantorumq; vna malorum
Femina principium, lachrymasq; & funera terris
Intulerit; nunc auxilium ferat ipfa, modumq;
(Quà licet) afflictis imponat femina rebus.

Ex hac igitur diuina promiffione colligimus, mundi Saluatorem verū hominem futurū. Sed non contentus hac promiffione Dn̄s, aliud quiddam mirabilius adiecit: nempe non hominem tantùm, fed Deum etiam eundem futurū. Quod magnis clamoribus prænunciari per Ifaiam iuffit, cùm ait: Super montem excelfum afcende tu, qui euangelizas Sion: exalta in fortitudine

Ifa. 40.

vocem

vocem tuam, qui euangelizas Ierusalem: exalta, noli timere. Dic ciuitatibus Iudæ, Ecce Deus vester: ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur. Idemque alibi, Ecce, inquit, Deus vester vltionē adducet retributionis: Deus ipse veniet, & saluabit nos. Quod perinde est ac si diceret: Non iam Iosue, non Iephte, non Samsonem, non Gedeonem, cæterosque similes saluatores mittet; sed nec Angelos, aut Archangelos ad hoc opus destinabit, verùm idem ipse hominum & Angelorum Dominus hoc nouæ salutis & redemptionis munus per se administrabit. Quæ cùm ita sint, fingamus, quæso, fratres, omnes homines hac voce è cælo nunc primùm allata, rei nouitate atque magnitudine stupefactos in vnum conuenisse, & consilium inire cœpisse, quo honore, qua reuerentia, quo hospitio tantus hic Saluator è cælo veniens esset excipiēdus. Prudentissimus verò quisque ad hunc modum responderet: Si solus homo in mundum venturus esset, potuissent vtique homines opibus & ingenio præstantes, conueniens illi hospitium pręparare: si verò Angelus esset mittendus, Angeli vtique idem præstitissent. Cùm verò is non Angelus quidē, sed Angelorum Dominus sit, qua ratione aut Angelorum dignitas, aut humana infirmitas talem hospitem dignè poterit excipere? Salomon septem annorum spatio templum incredibili expensarum & operarum numero ædificauit. Erant enim septuaginta millia eorum qui onera portabant, & octoginta millia latomorum, atque præpositi tres mille ac trecenti, qui singulis operibus præerant. Tantum verò auri, argenti, æris, & ferri in opere expēsum est, vt vix vllo numero cōprehendi posset. Quo tamen opere expleto, Rex sapientissimus adeò nihil diuina maiestate dignum se fecisse iudicauit, vt diceret: Ergo ne credendum est, quòd verè Deus habitet super terram? Si cęlum, & cæli cęlorum te capere non possunt; quanto magis domus hæc quam ædificaui! In templo autem illo, quo nihil vel elegantius vel ornàtius in mundo erat, non Dominus, sed arca Domini, quę ipsius typum gerebat, collocata fuit. Quòd si domus illa, ad arcam Domini seruandam destinata, tantis sumptibus & laboribus parata & ornata fuit: qualis ea domus esse debet, in qua non arca Domini, sed ipse Dominus, humana carne vestitus, collocandus erit? Hanc certè nemo, nisi solus Deus, dignè extruere & ornare poterit.

Isaiæ 39. 3. Reg. 5. 3. Reg. 8.

I.

Hunc igitur hodie, fratres, diem celebramus, in quo Deus ipse hanc sibi domum parare cœpit. Quid enim aliud est Deiparæ Virginis conceptio, quàm virginalis palatij constructio, in quo Dei Filius habitaret? Hodie igitur hæc domus fabricari cœpta est: hodie paradisus ille voluptatis, hoc est, omniū spiritualium

deliciarum, omniumque virtutum & gratiarum floribus adornatus, manu diuinæ sapientiæ consitus fuit: in quo videlicet secundus Adam, mundi conditor & instaurator, collocandus erat. Et quidem in illius paradisi medio erat lignum vitæ: in hoc autem fuit ille qui de se ait, Ego sum via, veritas, & vita.

Ioan. 14.

Ille etiam paradisus variis fructuum & florum stirpibus erat consitus: inter quas nullæ herbæ noxiæ, nulli tribuli & spinæ erant. Herbas enim noxias post peccatum ortas esse, quidam ex eo loco probare contendunt, quòd Dominus omnem herbam ad vescendum hominibus eo tempore concesserit. Nunquam autē in cibum datę essent, si quidquam lethiferum, aut noxium retinerent. Spinas autem & tribulos ibidem non fuisse, apertè D. Ambros. testatur, qui rosam sine spinis ante peccatū ortam asserit, pulcherrimumque florem sine vlla fraude vernasse, post peccatum vero spinis septam fuisse gratiam floris. Hoc ita fuerit, nec ne, parum admodum refert. At in hoc nostro paradiso certum est nihil lethale, nihil noxium, nihil spinis obductum; sed omnia suauia, lenia, & salutaria fuisse. Flores etiam omnis generis, hoc est, cunctarum virtutum germina ibidem fuisse constat. Ibi enim castitatis lilium, patientiæ rosa, humilitatis viola, cæterique pulcherrimi virtutum flores vernabant, quibus diuinus Spiritus insideret, quibusque apis illa cælestis, hoc est, incarnata Sapientia ibidem habitans pasceretur.

Ambros.

Quia verò domum Dei sanctitudo decet, ideo sanctissimam Christus Dominus matrem elegit, in cuius virgineo vtero, tanquam in regio palatio, habitaret. Quantum verò summus ille sanctitatis & puritatis amator puritatem diligat, in lege olim satis hoc indicio declarauit, quòd omnia, quæ ad cultum templi necessaria erant, multis purificationum legibus astrinxerit. Itaque & vasa in quibus thura adseruabantur, & mortariola in quibus terebantur, mundissima esse præcepit. Quæ quoniam Rex Babylonis polluere ac temerare in conuiuio est ausus, eadem ipsa nocte vita simul & imperio spoliatus fuit. Ex ministris verò templi, quo quisque propiùs ad sacra mysteria accedebat, eo purior & mundior esse iubebatur. Cuius rei gratia Sacerdotes longiori, Leuitæ verò faciliori ritu purgabantur. Cùm igitur omnes, qui ad res sacras accessuri essent, purificari priùs deberent; aliter tamen Dominus populum, aliter Leuitas, aliter Sacerdotes mundari sanxerat. Quo enim ordo sublimior, eo puritas maior indicebatur. Cùm ergo inter omnes meras creaturas beatissima Virgo propiùs Deum attigerit; quippe quæ illum superueniente Spiritu sancto conceperit; necesse erat vt tanto magis puritatem hominum & Angelorum vinceret, quanto ipsi puritatis fonti propior erat.

Psal. 92.

Ex

Ex puritate autem cõſcientiæ, quæ iis, quæ ad ſacrã Euchariſtiã accedũt, Apoſtolica auctoritate indicitur, huius virgineæ puritatis coniecturam facere licet. Nam & qui ſacrum Domini corpus piè & religiosè ſumũt, & ſancti ſacerdotes qui illud conſecrant, & manibus tractant, & aliis miniſtant, quanta poſſunt puritate, reuerentia & deuotione ſe ad hoc ſacramentum præparant. Cùm ergo beatiſſima Virgo ad hoc electa fuerit, vt hoc ipſum ſacratiſſimum Domini corpus, non aliena ſpecie velatum, ſed in ipſa humanæ naturæ forma retectum, manibus ſuis contingeret, vberibus lactaret, brachiis ſtringeret, gremio contineret, veſtiret, nudaret, in lectulo reponeret, atque iugiter tractaret; & quod ſemel in die Sacerdotes faciunt, ipſa die noctéq. inceſſanter expleret: qua reuerentia, qua deuotione, qua poſtremo puritate eam præditam fuiſſe credendum eſt! Hoc enim perinde eſt, ac ſi altari ſemper aſſiſtens, à ſacratiſſimi corporis tractatione nunquã ceſſaret. Ad hoc autem ſingulare ei quoddam priuilegium conceſſum eſt, vt videlicet cæleſtis gratia, in eam pleniſſimè effuſa, non ſolùm animam eius ornaret (quo pulchra eſſet vt luna, electa vt ſol) ſed ipſam etiam carnem ſic afficeret, vt à Spiritus lege nunquam diſſentiret, nullumque rebellem aduerſus eum motum excitaret: quod quidem donum, nec Apoſtolis ipſis) qui plenitudinem Spiritus acceperunt) nec alicui ſanctorum poſt Adæ lapſum conceſſum fuit. Quo factũ eſt, vt inter medios huius vitæ turbines ac procellas ſanctiſſima illa anima in ſumma pace & tranquillitate ita degeret, vt nulla eam perſecutionum tempeſtas, nulla humanarum rerum varietas ab hoc feliciſſimo ſtatu, atque à iugi Dei cõtemplatione auocaret. Fuerunt in lege olim Nazaræi, qui præſcripto dierum numero Deo conſecrati erant. Inter alia verò quæ ex legis inſtitutione ſeruare iubebantur, hoc præcipuum erat, vt toto conſecrationis ſuæ tempore illorum caput ferrum non attingeret: pro quo verbo Chaldæa paraphraſis habet; Terror nõ aſcendet ſuper caput eorum. Quo verbo ſignificatur, eos, qui Deo conſecrati ſunt, ab omni inordinato timore, atque adeò ab omni perturbatione immunes eſſe debere, vt videlicet, terrenis cupiditatibus ſubactis, Deo in ſumma pace & trãquillitate ſeruirent. Hoc autem nullus Sanctorum ita præſtitit, vt hęc Virgo ſanctiſſima, cuius nõ ſolùm anima, ſed corpus etiam Deo conſecratum fuit: ideoque in ſumma pace & quiete agere debuit, vt dignum illi habitaculum pararet, cuius in pace locus eſt. Quòd ſi cui hæc tanta Virginis puritas & trãquillitas in mortali carne incredibilis videtur, cogitet hanc omnipotentis Dei matrẽ eſſe, quam tanta hæc puritas, ob ſingularem huius nominis dignitatem, decet. Cùm enim beatam Virginem aſtris ipſis, imò & Angelis

Num. 6.

Angelis puriorem facimus, nihil inopinatum aut incredibile dicimus; cùm eam non solùm hominis, sed Dei quoque matrem confiteamur.

Nec solùm à peccatis omnibus immunem, sed cunctis etiam diuinis muneribus ac virtutibus ornatã fuisse prædicamus. Domum quippe Dei decet sanctitudo; hoc est gratiarum omnium & virtutum decus & ornamentum. Quam rem ipsa quoque veteris Testamẽti arca, quę beatissimæ Virginis typũ tenebat, non obscurè repræsentabat: illa enim primùm ex lignis Setim compacta erat, quæ nulla temporũ vetustas absumere poterat. Hoc autem incorruptam almę Virginis mentem designat: cuius tam incorrupta puritas extitit, vt ne totius quidẽ vitę spatio vlla peccati venialis labe respersa fuerit. Quòd certè inter maxima diuinæ gratiæ opera computandũ est: hoc enim ne Apostolis quidem contigit, quibus Dominus orare præcepit; Dimitte nobis debita nostra. Intra illam verò arcã, legis tabulę adseruabantur: at Virgo illa sanctissima longè perfectiùs intra se eas tabulas in visceribus scriptas continebat; quę in lege Domini meditabatur die ac nocte, neque vnquam à colloquiis diuinis & oratione cessabat: vtpote quæ in carne degens, cęlestium virtutum mores & officium imitabatur. In illa erat vrna aurea, quæ manna olim patribus in deserto exhibitum adseruabat, in quo erat saporum omnium suauitas: in Virginis autẽ pectore verũ illud manna inclusum erat, cuius illa deliciis tanto pleniùs fruebatur, quanto erat ab omni terrenarũ rerũ amore purior. Intra arcam illã erat virga Aaron, quę sine vllo humano cultu frõduerat: intra huius verò mentem regia illa virga delituit, quæ non humano satu, sed diuini Spiritus virtute concepta, & in lucem edita, æternæ vitæ fructum mortalibus protulit. Illa denique arca purissimo auro interiùs exteriúsque vestita erat: hæc autẽ arca nostra charitatis auro non modò intus erga Deum, sed foris etiam erga proximos benignitatis officiis exequẽdis miro decore fulgebat. Vera enim charitas quo magis in Deum per amorem ascendit, eo magis ad iuuandos homines, qui ad Dei imaginem conditi sunt, pietatis & misericordiæ affectu descendit. Hinc thalamus ille, quem Ezechiel intra mysticum illud templum positum esse describit, tantundem latitudinis, quantum longitudinis habere dixit. Hunc verò thalamum Diuus Gregor. piorum hominum mentem esse docet, qui cælesti sponso per amorem copulantur. Atque hi parem longitudinis ac latitudinis mensuram continent: quoniam pro charitatis magnitudine, qua in Deum feruntur, proximos etiam pari charitatis mensura propter Deum diligunt. Audiant hoc qui se Deum diligere prædicant, cùm in homines steriles & immisericordes sint. Non enim ego ex dilectio-

Psal. 92. Exod. 25. Matth. 6. Hebr. 9. Ibidem. Ezech. 4. D. Greg.

lectione in Deum tua, quam non video, sed ex ea quam in homines video affectum tuum pensare & iudicare debeo. Est quidem Dei dilectio prior, sed proximi tamen apertior & notior: ex his autẽ quæ notiora nobis sunt ad ea quæ minùs nota sunt: hoc est, ab his quæ videntur, ad ea quæ non videntur, procedere & philosophari debemus. Vt igitur ad institutum redeamus, his clarissimis virtutum gemmis beatissimæ Virginis animam Pater cælestis ornauit, vt Filius eius in mundum veniens in ea dignum sanctitate & maiestate sua habitaculũ inueniret, in quo molliter requiesceret. Naturæ conditor solertissimè hoc prouidit, vt auiculæ, quæ nidos ex luto paleisque in sublimi positos nectunt, pennis aut lanugine, siue blanda aliqua materia asperitatem niduli molliant, ne pulli adhuc implumes, luti duritie, vel stipularum aculeis lædantur. Si hac ergo naturæ conditor indulgentia erga pullos auium est vsus; quale, quæso, domicilium Vnigenito suo in visceribus beatissimæ Virginis parasse credendus est, vt nihil ibi esset quod illum summæ puritatis auctorem vel leuissima in re offenderet? Quæ hactenus diximus, fratres, ad gloriam Virginis potissimùm spectare videntur; nunc ad eruditionem vitæ nostræ, de miserabili hominum conceptione pauca dicamus.

Simile.

SECVNDA PARS. II.

Porrò autem quemadmodũ Virginis conceptionẽ tanquam salutis nostræ initium, Ecclesia summis laudibus celebrat; ita communem hominum conceptionem, velut perditionis nostræ causam sancti viri incredibili dolore lugẽt. Quid enim luctuosius, quid funestius, quàm quod S. Iob de conceptione sua (imò nostra omnium) lamentatur, cùm ait: Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est, Conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras: non requirat eam Deus desuper, & non illustretur lumine. Noctem illã tenebrosus turbo possideat: non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus: obtenebrentur stellæ caligine eius. Expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis auroræ. Quid ais, ô sanctissime vir, qui in omnibus doloribus tuis non peccasti, neque stultum quid contra Deum locutus es? Certè vir sanctus, non creaturæ Dei (quæ nihil ei nocuit) sed peccato, in quo fuit conceptus, tot mala imprecatur. Cùm enim ea mala quę patiebatur, & quę totus mundus patitur, ab hoc fonte manasse intelligeret, in ipsam malorũ omniũ causam tam acri oratione inuectus est. Nec id quidem mirum. Ea namq. mala ab hoc fonte manarũt, vt minimum sit quidquid in hac re oratio nostra cõprehendere possit: breuiter tamẽ pro ratione tẽporis nonnulla eorũ attingam, quo vos cautiores & paratiores ad ea expugnanda reddã. Hoc enim consilio

Iob 3.

Simile.

lio medici ægroto, medicamenta respuenti, ægritudinis magnitudinem & periculum ob oculos ponunt, quo illum medicinæ præceptis obedientem efficiant. Similique ratione duces in bello, militum negligenter & incautè se gerentium, proposita hostium potentia atque ferocia, curam & solicitudinem acuunt. Ad hunc ergo modum necesse est nos quoque humanæ naturæ morbum, hostiumque nostrorum vim & potentiam declarare, vt, ea perspecta, diligentiam vestram, solicitudinem, & salutarem metum excitemus. Hac enim ratione Petrus Apostolus nos ad sobrietatem & vigilantiam, proposito immanissimi hostis nostri furore, hortatur; qui tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Huius igitur periculi ac morbi magnitudinem paucis exponam; non vt vos desperatione frangam, aut inaccessam virtutis viam esse demonstrem, sed vt cautiores & instructiores ad spiritualia certamina reddam.

Simile.

Quòd si à me requiratis, quænā ista mala sint? Primùm quidem inimicitia Dei est, hoc est, nasci filium iræ, mancipium diaboli, & regni cælestis extorrem. Quo malo quid calamitosius atque funestius? Deinde mortis legibus obnoxij nascimur, qui immortales antè cōditi eramus. Stipendium enim peccati mors. Quia enim nemo militat stipēdiis suis, ideo qui dæmoni militant, hoc ab eo stipendiū percipiunt. Tertiò, ex hoc peccati fonte prodierunt omnes mortis comites atq. satellites, videlicet infinitæ morborum species, exilia, vincula, flagella, vulnera, milleque subiti & insperati casus, quibus vita nostra quotidie intercipitur atq. vexatur; qui adeò frequentes sunt, vt cætera omnia, aliena quodammodo à nobis esse videantur; miseros autem esse, velut proprium ac genuinum sit. Cuius rei Plinius argumentum esse ait, quòd sine doctore & magistro per se pueri infantes flere sciant, cùm cętera omnia, vt edere, ingredi, loqui, quamuis maximè naturalia sint, doctrina tamen aliqua egeant, si fieri rectè debēt. Dum ergo infans nascitur, velut calamitatis suæ propheta, fusis lachrymis, luctuosæ vitæ (quam ingreditur) miserias vaticinatur. Itaque miseros esse post lamentabilem illum generis humani casum, commune omnibus est. Cuius rei (vt alia prætermittamus) hoc argumentū est; quòd si quis ad præteritæ vitæ cursum mentem reuocet, & lætitiæ ac tristitiæ tempora computet, inueniet planè raram lætitiam, tristitiam verò, curas, & solicitudines innumeras; & lætitiæ quidem oblectamenta læuia, tristitiæ verò angores acerbissimos fuisse: vt non immeritò Sapiens quidam dixerit: Non sunt bona paria malis, etiam pari numero: constat enim & plura in vita esse tristia, quàm læta; & vehemētiùs tristia pūgere, quàm læta oblectare.

Plinius.

Verùm hæc corporis mala sunt. Quanto verò animi morbi grauiùs

grauiùs nos excruciant, nempe solicitudines, angores, cupiditates, metus, suspiciones, inuidiæ, odia, vindictæ cupiditas, libido dominandi, cupido plus habendi: qui quidem affectus adeò molesti & acerbi sunt, vt meritò D. Aug. dicat, eos ipsos sui vindices esse, & pœnā suam secū trahere, ac de auctore suo quodammodo supplicium sumere. Sic enim ait: Iussisti, Domine, & verè sic est, vt pœna sibi ipsi sit animus inordinatus. Hos autem turbulentos motus grauiùs hominem quàm corporis mala cruciare, apertè Eccles. docet: qui nullam esse plagam supra cordis plagam asseuerat. Cui sententiæ ratio quoque ipsa suffragatur: quia cùm vis sentiendi in anima sita sit, longè molestius erit quod animam, quàm quod corpus sauciat; quippe quòd ab anima vim sentiendi trahat. Sed hæc tamen tolerabilia esse videntur: illud verò multo grauius & miserabilius, quod ipsum quoque Apostolum, qui in infirmitatibus corporis gloriabatur, vehementer angebat, cùm diceret: Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Hoc verè luctuosum, hoc verè acerbum & miserandum est: quandoquidem rebellio hæc omnium ferè peccatorum quę animam inquinant, & à Deo auocant, origo atque seminarium est. Cuius rei gratia hæc membrorum lex à Theologis peccati fomes appellatur: quia quemadmodum ignis lignorum appositione sustentatur atque augetur; sic peccata, carnis atque membrorum nostrorum cupiditatibus nutriuntur & excitantur.

D. Aug.

Rom. 7.

Simile.

His autem calamitatibus extremam addo, non tam naturæ vitio conciliatam, quàm culpa nostra quæsitam: nempe quòd cùm propositū nobis sit, cum hoc familiari & domestico hoste perpetuò decertare, & hunc calorē noxium, vel potiùs flagrantissimum ignem, lachrymarum imbre, ieiuniis, & precibus restinguere; nos contrà adeò stupidi atque cæci sumus, vt, perinde ac si nos pœniteret parum miseros esse, hunc ipsum ignem augere quotidie studeamus, dum corpus molliter educamus, dum carni omni cura & studio indulgemus, dum oblectamenta sensuum vbique captamus, dum animum variis modis ad voluptatem impellimus, dum omnium ferè mortalium ingenia ad procliuem in vitia naturam illecebris irritandam atque exstimulandam conspirant. Quid enim Orientis aromata; quid cælata Persarum cubilia; quid pretiosæ vestes, exhauriendis magis opibus, quàm induendis corporibus accommodatæ; quid Africanus succus; quid Germanica aulæa, auro atque serico contexta; quid meretricius hic cultus, quem matronarum magis dignitas, quàm ratio atque religio honestum fecit;

(atque

(atque vtinam facere potuisset, ne vehemēs esset ad libidinem aculeus) quid Indica condimenta, quid dulces illæ transmarinæ & insulanæ dapes, quid deniq. omnia, quę sola ambitio & cupiditas fecit necessaria, nobis cōferunt? an non hæc ipsa accensæ per se cupiditati ignem facesque subiiciunt, & æstuanti carni fomenta ignium ministrāt? Itaque cùm propositum nobis esse deberet, vt proculcata carne diuini Spiritus ductum sequeremur: nos contrà, pro spiritu carnem, pro ratione affectum, pro lege Dei corruptam voluntatem, ac denique (quòd est multo luctuosius) pro Deo dæmonem, vitæ studiorumque nostrorum ducem sequimur. Quodque his omnibus est longè calamitosius: dum in hoc miserando statu sumus, more illorum qui phrenesi laborant (qui diuturnam morbi consuetudinem in naturam quodammodo verterunt) mala nostra non agnoscimus. Itaque sicut Aethiopes, qui sub torrida zona nati atque educati sunt, non admodum molestè eius regionis intemperiem ferunt, quæ tamen non assuetis molestissima est: ita multi vsque adeò se per omnem vitam cupiditatum suarum obsequio tradiderunt, vt hæc tanta mala nihilo magis eis turpia & indigna videantur, quàm quæuis alia consueta naturæ officia. Cùm autem huc peruentum est, quæ spes reliqua salutis manet? Rectè enim sapiens quidam ait: Periere res, quando quæ vitia erant, mores fiunt: diuinæ sanè misericordiæ non diffido, sed animū tamen diuturna peccandi consuetudine obfirmatum, in summo salutis discrimine versari non ambigo. Quid enim inter animæ mala miserabilius, quàm spiritualem sensum amisisse, & in media morte positum, variisque sceleribus irretitum, non modò nihil sentire, sed securum agere, edere, bibere, ludere, ridere, perinde atque iam tutus in portu nauigaret? Aiunt Physici herbam quandam esse, quam qui comedunt, ridentes moriuntur: quam quidem herbam nos miseri comedisse videmur, qui in media morte constituti, risu atque inani lætitia soluimur. Quod quidem obstinati animi non leue indicium est: si enim anima, quæ sic ægrotat, morbum suum agnosceret; nequaquam sibi tantopere placeret, nec tam securè ageret, sed de remedio interim cogitaret.

Simile.

Quid igitur nostra interest, fratres? Primùm quidē vt status huius conditionē, in quo nos originis nostræ peccatum posuit, agnoscētes, intelligamus hoc nobis in huius vitæ curriculo propositū esse; vt quando hunc natiuum cōcupiscentiæ ignem penitus extinguere non possimus, sopire saltem, ac minuere contendamus. Hoc autē potissimùm præstat aqua illa quæ salit in vitam æternam, quæ sordes peccatorū abluit, quæ fructus æternæ vitæ profert, quæ desideriorum nostrorum sitim dulcedinis

suæ

suæ iucunditate restinguit, atque ita demum carnalis concupiscentiæ ardorem temperat. Hanc autem salutarem aquam ex Christi meritis profluentem oratio impetrat; Sacramenta verò nouæ legis ex eiusdem Christi latere manātis conferūt. Quare qui spiritualis huius aquæ copiā desiderat, instet obsecrationibus die ac nocte. Omnia enim quæ infirma sunt, alieno subsidio egēt. Infirmus, qui vix pedibus cōsistere valet, frequēti eget alimonia, qua nutantia membra sustentet. Cæcus, qui per iter difficile graditur, continuo eget dūctore, qui ipsum inoffenso pede dirigat. Arbor in arido plātata solo, frequētibus eget aquis, vt fructū ferat. Vlcus ardore suo finitimam carnem incendens, frigidis assiduè fomentis refrigerandū est. Hæc autē mala omnia nobis spiritualiter propter peccatum euenerunt: nos enim debiles & infirmi; nos cæci & oculis capti; nos in arido huius mundi solo plantati; nos peccati fomitem intra mētis sinus gestamus, & vlcere pessimo à plāta pedis vsque ad verticem ęstuamus: ideoq. frequentissimis remediis & medicamentis indigemus. Præsentissima verò remedia sunt ea, quę modò proposuimus, quibus carnis maceratio, & sensuū, ac pręcipuè oculorum, & linguæ diligens custodia, occasionū peccandi fuga, cæteraq; pietatis officia iungēda sunt. Hæc enim omnia imbecillitatem nostram adiuuant, sine quorum adminiculis infirmitas nostra inter tot mūdi laqueos, tot offendicula, tot dæmonum insidias, magnopere periclitatur. Si enim, qui his præsidiis vitam suam muniunt, non omnino periculo vacant; in quo periculo erunt, qui hæc omnia humanæ infirmitatis remedia negligunt?

Simile.

Ex his autem quæ diximus, liquidò apparet, vitam Christianam esse militiam, qua non solùm aduersus principem tenebrarum, sed etiam aduersus cupiditates nostras (quæ spiritum assiduè impugnant, & de omni statu deijcere nitūtur) certare perpetuò debemus. Est enim (vt Apostolus ait) in vnoquoque nostrûm duplex homo; interior videlicet & exterior: quorū alter spiritualis ac diuinus, spiritualia ac cælestia, Angelorum more (quorum similis est) meditatur; alter verò vilis & terrenus, qui carnalia tātùm, pecudum more (quorum natura participat) captare solet. Quæ cùm ita sint, hoc maximū inter probos & improbos discrimen est; quod cùm homo in harum duarum partium confinio positus sit, liceatque alterutri illarum adhærere, probi quidem inferiorem ac viliorem partem (quæ brutorum propria est) cōculcantes, totos se ad spiritualis ac diuinæ portionis ductum accommodant, atque hoc studio Angelorum vitam & mores, in carne degētes, quoad licet, imitātur: improbi cōtrà, hac nobilissima sui parte neglecta, se carnis cupiditatibus & libidinibus dediderunt, & hunc sibi vitæ scopū proponētes, curas

2. Cor. 4.

& cogitationes suas omnes ad illum destinarunt. Quo quid esse turpius aut miserabilius potest? Videmus enim homines qui ex ignobili quidem matre, sed nobili patre procreati sunt, suppressa materni cognominis vilitate, de patris solùm genere & cognomine gloriari, illiusque semper ingenuos mores sequi. At quanto aliter nos facimus, qui, nobiliori ac diuina nostri parte contempta, de sola ea, qua pecudibus similes sumus, gloriamur, illiusque nos totos obsequio, vt vilissima mancipia, tradimus!

Simile.

Quòd si dicas, Quî fieri potest, vt, cùm vtraque hæc animæ portio naturalis pars nostri sit, vt ipsam, cum qua nati sumus, naturam exuamus? Rectè sanè ais, si hoc per te præstare deberes: nec enim eadem natura supra se, nisi aliunde iuuetur, assurgit: gratia tamen & vis diuini Spiritus natura lapsa potentior est. Hanc igitur gratiam, fratres, (vt paulo antè diximus) continuis à Domino precibus postulemus: præcipuè verò beatissimæ Virginis patrocinium ad hoc implorare studeamus, suppliciter ab ea peetntes, vt, quæ misericordiæ mater est, huic tantæ miseriæ, in qua concepti & nati sumus, opem ferre dignetur: sic enim fiet, vt pia eius intercessione, & in hac vita carnis petulantiam & superbiam comprimamus, & in futura triumphi huius palmam atque coronam cum electis omnibus percipere mereamur.

IN COMMEMORATIONE ANNVNCIATIONIS DOMINICÆ, CONCIO vnica: in qua lectio Euangelica explanatur: in cuius explanatione de glorioso beatæ Virginis nomine, eiusque sacra virginitate, præcipuè agitur.

THEMA. *Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco.* Lucæ 1.

PRAESENTIS diei sollemnitas, fratres charissimi, virginitatis Mariæ laudibus dicata est. Ea enim virtutis huius dignitas in Maria exstitit, vt meritò Ecclesia festum hoc ad illius gloriam instituendum curauerit. In aliis quippe virginibus sola virginitas, in hac autē virginitas cū fœcunditate supra omnem naturæ conditionem commendatur: in qua quidem laude beatissima Virgo nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Quomodo enim aliter aut concipere, aut parere debuit,

buit, quæ non hominem solum, sed Deum & hominem peperit? aut quomodo non salua omnia ei esse deberent, quæ peperit Saluatorem? Hanc autem singularem eius gloriam Sponsus in Cant. commendat, cùm ait: Venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus liliis. Appositissima quidem similitudine vtramque Virginis dignitatem explicauit. Quòd enim vterum eius aceruo tritici comparat, miram eius fœcunditatem insinuat: quòd verò eundem vallatum liliis commemorat, virginitatis eius candorem, liliorũ nomine designat: vtrunque enim summa ratione Virgini matri conuenit. Hoc etiam sacræ Virginis festum à septem Antiphonarum initiis, quas Ecclesia hodie decantare incipit, in Hispania nomen accepit. His enim septem diebus, qui Natalem Domini Saluatoris diem antecedunt, magnis clamoribus quotidie instauratis, velut morantem Dominum Ecclesia ad se venire postulat. Quod quamuis toto hoc Aduentus tempore fecerit, his tamen diebus, qui natiuitati eius viciniores sunt, ardentiùs facit. Hoc enim proprium veræ deuotionis & dilectionis est, quo plura percipit, plura desiderare, & famem satietate augere, sicut scriptum est: Qui edũt me, adhuc esurient: & qui bibũt me, adhuc sitiẽt. Itaque non mirum, si Ecclesia, quo diutiùs in his clamoribus perseuerat, eo nũc vehementiùs instet, cùm dilectissimũ Sponsum aduentare propiùs cernit. Hoc ipsum autem pudicę vxores facere solent, quæ viros apud Indos diu commorantes, importunis litteris & precibus ad se reuocare contẽdunt; quorum aduẽtu solitudini & inopiæ suæ consultum iri sperãt: ac vbi iam nauim soluisse, & ad portũ appulisse sciunt, ibi magis pia ipsarum desideria crescunt, celeritatemq. omnem, tarditatem ac moram esse arbitrantur. Sic igitur cùm Ecclesia hoc tẽpore Dei Filium in mundum veniẽtem repræsentet, qui immẽsis illis gratiarum opibus, quas è cælo secum affert, ipsius paupertatẽ ditet; nihil mirũ si instantiùs clamet, si has voces amoris, desiderij, ac deuotionis plenissimas quotidie fundat. Iam verò cùm paruulum & vagientem in sinu Virginis contẽplatur amoris facibus inflammata, hoc facit quod facere piæ matres solent, quæ infantes, quos in gremio sustinent, miris titulis & nominibus blandiẽtes cõpellare solent. Sic igitur Ecclesia, Christi mater simul & sponsa, puerum Iesum variis iisdemque dignissimis nominibus hisce diebus appellat: sic enim ait: O Sapiẽtia, quę ex ore Altissimi prodiisti! O Adonai, & Dux domus Israël! O radix Iesse, qui stas in signũ populorũ. O clauis Dauid, quę aperis, & nemo claudit! O oriẽs splendor lucis æternæ, & Sol iustitiæ! O Rex Gentium, & desideratus earũ! Ab eodemq. magna cõtẽtione petit, vt ad nos veniẽs, iis in nobis officiis fungatur, quæ hisce nominibus designãtur. Veni, inquit, ad docen-

Cant. 7.

Eccli. 24.

Simile.

docendam nos viam prudentiæ: Veni ad liberandum nos: Veni, & educ vinctos de domo carceris: Veni, & illumina sedentes in tenebris & vmbra mortis: Veni, & salua hominē, quem de limo formasti: Veni ad saluandū nos, Domine Deus noster. Hæ sunt igitur voces, hi affectus, hæc pia desideria, in quibus Ecclesia hisce diebus occupata est, ad quæ nos etiam exēplo suo tāquam pia mater adhortatur. Verū hæc admonitio, fratres, non ad omnes ex æquo pertinet, sed ad eos præcipuè, qui nihil aliud quærunt, nihil aliud dies noctesq. in animo versant, quàm quomodo cælesti huic Sponso placeāt, ipsumq. in intimis animæ suæ sensibus condant, in quo vno se habere omnia gloriantur; ideoque, terrenis voluptatibus spretis, hoc vno thesauro contenti sunt.

Cant. 2. Hunc autem affectū Sponsa in Cant. repræsentat, quæ vbi diu multumq. cum Sponso versata esset, illeque paululum discessisset, huius adeò breuis absentię impatiens, importunis illum clamoribus reuocat, dicēs: Reuertere, reuertere, dilecte mi: similis esto capreæ hinnuloq. ceruorum super mōtes Bethel. Quid habes ô Sponsa, quid te angit, quid quæris, quæ abeuntē Sponsum tanta celeritate reuocas, vt velis eum ceruorū & caprearum velocitatem imitari? Num alicuius rei oblita es, quam dictā oportuit? Omnium (ait Bernard.) atque sui etiam oblita est: ideoq.

Bernard. non mirum si tota eius anima in illum transformata, sine illo

Serm. 74. super Cant. viuere, nisi magno cum mœrore, nō potest. Hoc autem affectu atque animo D. Bernardū fuisse ipse quoque de se ipso, cum fratribus suis agēs, declarat his verbis: Vbi à me abscessit Verbum, perinde ac si ollæ bulliēti subtraxeris ignem, quodam illicò languore interiora mea torpescere & frigescere incipiunt; atque hoc mihi signū abscessus eius est. Quo tempore tristis est anima mea donec reuertatur: ideoque non cessabo clamitare quasi post tergum abeuntis ardenti desiderio, vt reddat mihi lætitiam salutaris sui, reddat mihi seipsum. Fateor vobis filij, nihil interim libet, dum non præstò adest quod solum libet. Hoc est igitur, fratres, ad quod hoc tempore nos hortatur Ecclesia, vt morantem Dominum rogemus, ad nos venire, & prēsentiæ suæ lumine visitare dignetur. Ad hoc autem opportunè nobis hodierna sancti Euangelij lectio proponitur; quę Dominici Aduentus exordium continet: quam deinceps explanare incipiamus.

I.

Missus est Angelus Gabriel à Deo. Opportunè nobis in hoc loco

Ioan. 3. verba illa Domini Saluatoris vsurpare licet; Sic Deus dilexit mundū, vt Filium suum vnigenitum daret. Cùm enim redemptionis nostræ beneficiū, multa ac penè innumera complectatur quę nos cū Deo æterni amoris vinculis adstringāt: tum illud summum est, quòd cùm Deus multifariè multisq. modis salu-

tem

tem nostram operari potuisset, hanc potissimum delegit, vt non Angelos, aut Archangelos, sed ipsum Vnigenitum suum, salutis nostræ vindicem, & libertatis assertorem ac redemptorem esse voluerit. Pro quo beneficio quas tibi laudes, Domine, fragilitas humani generis persoluet? Infelix planè sors mea futura esset, si, cùm tu me sanctissimis manibus tuis effinxisses, alius quã tu me à sempiterna morte redemisset. Cùm enim longè maius sit redimi quàm creari, indignum profectò erat, vt tibi quidẽ gratias agerem quòd me creasses; alij verò, quòd me à morte redemisset: tibi, quòd à te esse naturæ percepissem; illi, quòd esse mihi gratiæ, hoc est, esse diuinum contulisset: tibi, quòd mortalem hominis filium condidisses; illi verò, quòd me immortalis Dei filium, & hæredem regni eius effecisset. Non igitur æquum erat, Domine, vt laudem tuam alteri traderes, & maioribus ego beneficiis ad alium quàm ad te diligendum incitarer. Itaque qui conditor meus eras, redemptor esse voluisti; & qui me ad imaginem tuam feceras (quam ego variis sceleribus deformauerã) tu pretiosi sanguinis tui cruore collapsam instaurasti, & ad pristinam formam renouasti. Itaque iam non est, cur, ô homo, amorem tuum inter duos partiri debeas; cùm idem Dominus vtriusque muneris & beneficij sit auctor. Hinc appositissimè D. Anselmus, Ne amorem, inquit, diuideres inter creatorem & redemptorem, idem tibi factus est conditor & redemptor.

Anselm.

Cùm ergo misericordiarum Pater Vnigenitum suũ in mundum mittere decreuisset, legatũ priùs ad intemeratam Virginem destinauit, vt sacri huius mysterij rationẽ illi declararet, & eius simul consensum & beneplacitum impetraret. Hic enim diuinæ prouidentię mos est, vt honorem semper libero arbitrio, quod nobis ipse contulit, deferat; nec quicquam in nobis inuitis nobis operetur, nisi cùm pro sceleribus meritas à nobis pœnas exigit. Tunc enim (vt D. Bernard. ait) iustè homo patitur quod nolit, qui non peccat, nisi velit. Fuit autem hoc aptissimum humanæ redemptionis exordium, vt Angelus mitteretur ad Virginem partu consecrandã diuino: quia prima perditionis humanæ causa fuit, cùm serpens à diabolo missus est ad mulierem spiritu superbiæ decipiendam. Ex illa igitur prima serpentis antiqui legatione, venenum mortis in omne genus humanum effusum est: ex hac autem cælesti legatione, salutis & vitæ poculũ mundo propinatum est. Mittitur ergo Angelus ad Virginem desponsatam Ioseph. Quæ est, inquit Bernardus, hæc Virgo tam venerabilis, vt salutetur ab Angelo? tam humilis, vt desponsata sit fabro? Sed quid mirum, si hæc tanta sublimitas in matre cum tanta humilitate coniungitur, quando in filio ima summis, hoc est, diuinitas cum humanitate copulatur.

Bernard.

Bernard.

Et nomen, inquit, *Virginis Maria*. Nullo modo credendum est, dulcissimum hoc nomen casu Virgini inditum fuisse. Si enim Abrahæ, si Saræ, si Israëli, si Ioanni Baptistæ, si Apostolo Petro noua nomina diuino consilio imposita sunt (quæ eorum dignitatē, & officij rationem designarent) quis credat Deiparæ Virgini casu nomen impositum fuisse; præsertim cùm hoc Mariæ nomē eius laudibus & virtutibus appositissimè quadret? Triplicem namq. interpretationē sortitur hoc nomen. Maria namq. mare significat: quod quidem nomen gratiarum eius affluētiam aptissimè designat. Sicut enim flumina omnia intrant in mare; ita omnia cælestium gratiarum munera atque charismata in beatam gloriosæ Virginis animam effusa sunt. Sicut igitur initio mundi Deus aquas omnes quę sub cęlo erāt, vnum in locum congregari præcepit, quas appellauit maria: ita modò omnium cælestium gratiarum flumina in vnam hanc Virginē confluere voluit, similiq. illam nomine appellauit. Verè enim sacra Virgo gratiarū omniū mare est. Quæ enim virtus, quę gratia, quę Spiritus sancti dona huic Virgini deesse potuerunt, quam cælestis Pater in filiam, Filius in matrem, Spiritus sanctus in amantissimam sponsam, Angeli verò in Reginā ac dominā acceperunt?

Gènes. 1.

Finxerunt olim Ethnici Poëtæ (diuinum fortè aliquid præsagientes) fuisse virginem quandam diis omnibus gratissimam, quam singuli eorum, suis quisque muneribus ornarunt; quam propterea Pandoram (hoc est, deorum omnium muneribus ornatam) nuncuparunt. Hæc quidem commentitia Poëtarum fabula est, quæ tamen appositissimè Virginis nostrę dignitatem explicat. Ipsa enim vera Pandora est, quam beatissima Trinitas cęlestibus donis atque virtutibus mirificè decorauit. Pater namque illam virtutis robore confirmauit: Filius clarissimo sapientiæ splendore illuminauit: Spiritus verò sanctus flagrantissimo charitatis ardore eius voluntatem incendit. Talibus quippe donis Regis æterni palatium ornari, talibusque virtutum odoribus cubile eius aspergi debuit.

Hoc item Marię nomen amaritudinē designat: quod quidem cum ea, quam exposuimus, interpretatione maximè quadrat: quæ enim mare gratiarum, eadem quoq. amaritudinum mare esse debuit. Nullo enim modo diuina Sapientia inerti otio munera sua atq. talēta nobis credita cōsumi patitur, sed in eos vult vsus accōmodari, ad quos nobis ab eo donata sunt. Omnia verò cælestia dona aut ad bona opera facienda, aut ad mala perferenda data sunt: quandoquidem (vt D. Bernardus ait) Christiani hominis vita in bonis operibus exequēdis, & incōmodis perferēdis, sita est. In vniuersa autē natura adeò nihil segne aut otiosum est, vt vnumquodq. propter suam operationem conditum esse

Bernard. in Serm. Petri & Pauli.

esse à Philosophis dicatur. Vnde Aristoteles colligit, id quod inter ea quæ vitã habent, nihil operetur, omnino non esse. Si ergo diuina prouidẽtia in operibus naturæ nihil esse otiosum voluit; quo modo in operibus gratiæ otiosum aliquid patietur? Vnde facilè colligitur, pro magnitudine collatæ gratiæ, onera quoque & labores piis hominibus à Dño ita distribui, vt, quo quis maiora perceperit dona, eo maiora perferre onera teneatur. Hinc videmus viros sanctissimos magnis sæpe laboribus & incõmodis iactatos fuisse. Quis enim B. Iob, quis Pauli, quis sanctorum Prophetarum, Apostolorum, & Martyrũ labores & agones enumerare queat; qui spectaculũ facti esse dicuntur mundo, Angelis, & hominibus? Nec ab hac cõmuni sanctorum lege liberam esse matrem suam Dei Filius voluit; sed illud potiùs decreuit, vt quantũ omnes alios sanctos dignitate, tantũ laborum patientia superaret. Cùm enim cogitaret sacra Virgo quemadmodũ Dei suusq; Filius Iesus Christus, semper contemptui, semper passionibus fuisset expositus, omnẽ vitam suã ad varias afflictiones, suiq; ipsius depressionẽ præparabat: quibus adeò se totã offerebat, vt numquam illas à Deo vel breuiari vel minui postularet. Eas namq; ad nouissimũ vsq. vitæ punctum tã voluntaria subiectione pertulit, vt parata esset etiam sempiterno tẽpore in doloribus permanere, si id diuinæ voluntati placitũ fuisset. Considerãs enim quo modo Filius suus acerbissimã passionẽ plenissima patientia absq. vllo murmure ex ingenti atque ardẽtissimo erga nos amore pertulisset, ipsa quicquid patiẽdum occurrebat, flagranti desiderio, & æstuanti dilectione cum lætitia tolerabat. Qua ex re liquidò constat, fratres, quanto errore teneantur, qui ideo se à Deo derelictos putãt, quòd variis laboribus & incommodis conflictentur, cùm hoc tamen non semper derelictionis & iræ, sed multò magis probationis & miserationis diuinæ argumentum sit. Hinc quidã ex Patribus adolescenti ægroto salutẽ à se poscenti respondit: Rem tibi necessariam cupis auferri: si enim aurum es, per ignem probaris; si ferrum, rubiginẽ amittis. Quod autẽ huic vni dictum est, omnibus nobis dictũ putemus: cùm nemo nostrûm extra duas has hominum classes positus sit.

Aristot.

In Vitis Patrum.

Postremò Mariæ nomẽ maris Stellam significat: quo nomine eam in Hymno appellat Ecclesia, quòd videlicet quemadmodum stellæ in hoc mari magno & spatioso nauigantes dirigunt; ita nos quoq; beatissima Virgo variis in huius mundi pelago tẽpestatibus iactatos ductu suo gubernat, & ad æternæ felicitatis portum perducit: quæ eius dignitas magnopere cum præcedente cohæret. Sicut enim decuit Christum per omnia fratribus assimilari, vt misericors esset (in eo enim quòd tẽtatus est, potens est & his qui tẽtantur auxiliari) ita decuit Virginem

Hebr. 2.

(quæ leuandis calamitatibus nostris à Deo profecta est) varijs laboribus agitari, vt ipsa quoque non ignara mali, miseris succurrere disceret. In Genesis libro legimus creasse Deum duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei; & luminare minus, vt præesset nocti. Eadem autem prouidentia idem Dominus ad Ecclesiæ suæ gubernationem vsus est, cui Solem iustitiæ Christum, tanquam luminare maius, vt diei præesset, contulit: beatissimam verò Virginem, tanquam luminare minus, vt præesset nocti, destinauit. Noctis autem nomine calamitosos homines, & peccatorũ tenebris oppressos intelligimus, quibus iuuandis misericordię matrem à Deo pręfectam esse credimus. Itaque D. Bernardus miseros omnes admonet, vt in omni pressura & calamitate ad illius opem confugiant: cuius præsidium adeò certum esse testatur, vt idem ipse dicat: Sileat miserationes tuas, ô benedicta, quisquis te in tribulationibus suis inuocatam, sibi meminerit defuisse. Videtis ergo quàm apertè huic Virgini, Mariæ, hoc est, Stellæ maris, nomen inditum sit.

Genes. 1.

Bernard.

Ad hanc ergo Virginem ingressum Angelum ait Euangelista: quo verbo secretũ eius & silẽtium tacitè subindicauit. Qua de re sic D. Ambrosius: Hæc, ait, ab Angelo inuẽta domi in penetralibus sine comite fuit, ne quis intentionẽ eius abrũperet: nec enim comites feminas desiderabat, quæ bonas comites cogitationes habebat. Quin etiam tũc sibi minùs sola videbatur, cùm sola esset. Nã quemadmodũ sola, cui adessent tot libri, tot Archangeli, tot Prophetæ? Iam verò si quãdo ab illo secreto digrediendũ, & cũ hominibus agendũ esset, antequã loqueretur, in seipsam intrans prudẽter expendebat, quid, quomodo, & quo fine loquendum esset: vtpote quæ omnibus in rebus solam Dei gloriam propositã sibi ante oculos haberet. Modum porrò loquendi, & ipsius externi hominis gestum atq. modestiam idem Ambrosius miris coloribus depingit his verbis: Nihil in ea erat quod nõ Virginis pudorem, sinceritatẽ, & innocẽtiam deceret, vt ipsa corporis species simulachrũ fuerit mẽtis, figura probitatis. Bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci, vt primo prætẽdat ingressu nihil ibi latere tenebrarũ, vt mens nostra nullis repagulis corporis impedita, tanquam lucernæ lux intus posita foris luceat. Iã verò quid in illo solitudinis secreto Virgo ageret, facilè quisque diuinare poterit. Hoc enim agebat, quod numquã non agebat: tota quippe eius vita velut iuge quoddam spiritus sacrificiũ, & perpetua oratio extitit, vtpote quæ nunquã à Dei conspectu mentis oculos dimoueret. Verùm hoc tẽpore sublimius aliquid atque diuinius eam animo agitasse credẽdum est. Clarissima enim Dei dona orantibus, & mente diuina tractantibus, sæpissimè conferũtur. Cornelius Cẽturio, hora nona in ora-

Ambros. lib. de Virg.

Idem ibidem.

Act. 10.

in oratione persistens, Angelum Dei cãdida veste amictum vidit, qui illi cognoscendæ veritatis, & adipiscendæ salutis viam ostendit. Petrus verò hora sexta orans, cælum apertum, & vocationem Gentium mirabili specie atque ratione præuidit. Zachariæ verò iuxta altare incensi oranti Gabriel Angelus lætissimũ salutis humanæ,& nasciturae sobolis nunciũ attulit. Iã verò ipse gratiarũ omnium fons (in quo plenitudo diuinitatis corporaliter habitat) cùm claritatis & gloriæ suæ speciem quandam discipulis exhibere vellet, orare in monte cœpit, ibique facta est species vultus eius altera, & vestitus albus atq. refulgens. Quare minimè dubitandũ est, sacræ Virginis mentẽ in sublimi aliqua contemplatione suspẽsam fuisse, cùm eam cælestis nũcius inuisit, & diuini consilij arcanum reuelauit. Quamuis enim sancti viri Deo per charitatis habitũ coniuncti sint, coniunctiores tamen illi fiunt, cùm ipsa charitas, vim suã exerens, Deo illos per amoris opus iungit & copulat. Tunc enim pia mens, vt purior, Deoque coniunctior atque similior, magis idonea fit, vt micantes claritatis diuinæ radios, & cælestia dona intra se recipiat.

Lucæ 1.

Coloss. 2.

Luc. 9.

Ingressus ergo Angelus orantem Virginem magnificentissimis titulis salutans, *Aue*, inquit, *gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.* Cuius salutationis sensum Sanazarius Poëta eleganter expressit his verbis:

—— Oculis salue lux debita nostris,
Iampridem notum cælo iubar, optima Virgo;
Cui sese tot dona, tot explicuere merenti
Diuitiæ superûm: quicquid rectiq; probiq;
Æterna de mente fluit: purissima quicquid
Ad terras summo veniens Sapientia cælo
Fert secum, & plenis exundans gratia riuis.

Verè enim (vt Bernardus ait) sicut in prima femina abũdauit delictum; ita in secunda omnis plenitudo gratiarũ exundauit. Plena verò gratia fuit; non vt Stephanus, qui plenus gratia & fortitudine fuisse dicitur; nõn vt Zacharias & Elisabeth, qui Spiritu sancto repleti fuisse memorantur; sed vt eã decebat, quę gratiarum omnium fontem erat paritura: ideoque ipsa, tanquam fonti propior, largiùs & copiosiùs ex eo fonte potauit.

Bernard.

Act. 6.

Lucæ 1.

II.

Quid igitur ad hæc Virgo? *Turbata est*, inquit, *in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio.* Itaque adeò his tam magnificis titulis & laudibus oblectata non est, vt magis perturbatione ac timore cõmota fuerit: alioqui nunquã illi Angelus dixisset, Ne timeas Maria, nisi sacra eius mens non modò turbata, sed metu etiam concussa fuisset. Quæ res eo magis Virginis humilitatem cõmendat, quo humana mẽs laudis & gloriæ auidior esse solet.

Nulla est enim tanta humilitas, quæ dulcedine gloriæ nõ tangatur. Omnes enim homines gloriæ cupiditate adeò incendimur, vt vix inter humanos affectus hoc vno alius ardentior sit, ac vehemẽtior. Quare nihil mirũ, si oblata homini gloria, cùm adest, oblectet: quę cùm nõ adest, sitienter appetitur. Quomodo enim aridæ & sitibundę fauces instillata frigida nõ oblectentur? Non minùs autẽ humana mens honorẽ & gloriã, quàm aridæ fauces frigidã desiderãt, nisi diuina gratia mentem hominis cælestibus donis imbuat, & ad laudis & glorię contẽptionẽ inducat. Cuius autẽ periculi sit, hominũ laudibus inaniter efferri, D. Bernardus indicat his verbis: Leuiter volat, leuiter penetrat, sed non leue vulnus ingerit inanis gloria. Cuius vulneris atrocitatem facilè declarãt cũ multa alia, tũ maximè miserrimi Herodis exẽplum: qui cũ ex edito loco ad Sidoniorũ populũ concionaretur, adulatorq. populus acclamasset; Voces Dei, & non hominis; illeq. has tãta laude mirificè oblectatus fuisset: eodẽ tẽporis momento ab Angelo diuinæ gloriæ vindice ita percussus est, vt protinus exesus à vermibus impurã animã efflauerit. Quodq. mirabilius est, cùm is antea Iacobũ Apostolũ, eũdemq. fratrẽ Dñi iugulasset, Petrumq. catenis vinctũ tenuisset, vt simili eũ supplicio afficeret, nullas tunc diuina cẽsura propter hæc tãta scelera pœnas ab eo expetiit, quem tamẽ repentino supplicio ob hãc mentis elationẽ castigauit: adeò scelestũ est, hominẽ debitã Deo gloriam sibi arrogare. Hoc autem scelus typicè Dñs in lege prohibuit, cùm thymiama, diuina institutione confectum, & sacris vsibus destinatum, sub interminatione mortis, ne quis eo vteretur edixit: indignũ videlicet ratus, humanis vsibus deseruire, quod erat vnius Dei venerationi sacratum. Quid autem Deo magis debitum, quã honor & gloria, quæ illius propria est? Hãc enim ipse sibi velut castissimam coniugem desponsauit, cętera verò hominibus vtenda concessit. Quisquis ergo hanc gloriam sibi vendicare studet, is vtiq. sponsam Dei adulterare atq. corrũpere nititur, idemque thymiamate illo, vni Deo dicato, per summum scelus abutitur: nec non etiã diuinæ glorię fur est & latro, quando, quod vnius Dei proprium est, sibi insolenter tribuit. Hinc D. August. anxiè Dñm deprecatur, ne se in tantum nefas ruere permittat, vt debitam illi gloriã furari, sibique vsurpare audeat. Legerat enim illud Apostoli: Quid habes quod nõ accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Quare nihil mirum si beatissima Virgo diuini Spiritus magisterio instituta, periculi huius magnitudinem intelligens, salutatione Angeli, titulisq; illis honorificentissimis turbatur ac timet. Quamuis enim Angelum esse sciebat, qui eam iis præconiis honoraret, à cuius ore fraudes omnes lõgissimè abesse nouerat, nihilominus

Simile. Bernard. Act. 12. Exod. 30. August. in Medit. 1. Cor. 4.

minus tamen trepidat atque turbatur: vsque adeò magnum periculum in laudibus, Angelico etiam ore prolatis, humanis mentibus impendet.

Itaque cæleſtis nuncius trepidationem & ſilentium Virginis, & cauſam eius intelligens, metum hunc illi adimit, & bono animo eſſe iubet: ſic enim ait: *Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum.* Mariam proprio nomine, tamquam ſibi antea notam & familiarē, appellat. Angelis enim cognata virginitas, Angelorum vtitur familiari colloquio & cōtubernio: ſunt enim Virgines Angelis Dei ſimiles, qui nec nubunt, nec nuptui tradunt. Dignior tamē & gratior virginitas in hominibus quàm in Angelis exiſtit: hāc enim natura, illam verò efficit gratia, ideoq. Angelis in cælo non debetur aureola, quæ tamē hominibus corporis & animi puritatem perpetuò retinentibus donatur. Quod quidem Dominus apud Iſaiam pollicetur his verbis: Et non dicat eunuchus: Ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus eunuchis, Qui cuſtodierint ſabbata mea, & elegerint quæ ego volui, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum nominatum, & nomen melius à filiis & filiabus. Videtis ergo nomen melius ab aliis ſanctis (hoc eſt, ſingularem quandam gloriam) eunuchis illis promitti? Eunuchis, inquam, non his qui tales ex vtero matris ſuæ nati ſunt, ſed qui ſeipſos (vt Saluator ait) propter regnum cælorum tales fecerunt.

Iſai. 56.

Matt. 19.

III.

Cùm ergo Angelus trepidationem Virginis diſcuſſiſſet, & conceptū Filij Dei nunciaſſet, illa ad conceptionis verbum magis trepida, *Quomodo*, inquit, *fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco.* Quæ quidē verba magnā nobis philoſophandi materiam præbent. Primùm enim ex his verbis liquet, Mariā Spiritus ſancti ductu virginitatis ſuæ florē Deo conſecraſſe. Si enim deſponſata Ioſepho, cæterarum coniugum more vitam ducere ſtatuiſſet, ſuperuacaneum & ſtultum eſſet dicere, *Quomodo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco*, ſi ſe poſtea cognituram ſperaret. Liquet igitur iamdudum eam virginitatis votum, Deo ad id inſtigante, emiſiſſe. Sed ais, Quomodo ergo deſponſata Ioſeph, votum hoc illibatū ſeruare poſſe ſperabat? Hoc planè firma in Deum fides, cuius ductu votum illud emiſſum erat, præſtabat. Sicut enim Abraham filium ex præcepto Domini immolare parabat, & ſobolem tamen à Deo promiſſam ex eo naſcituram firmiter expectabat (quę duo ſoli Deo poſſibilia ſunt) ita beatiſſima Virgo coniugium ſimul cum virginitatis voto, ſingulari Dei prouidētia & beneficio ſeruaturam ſe eſſe credebat. Sed quid mirum ſi hanc tantam rem beata Virgo ſperaret, quam & Cæcilia virgo ſperare potuit, quæ Valeriano nupta, & illum in coniugem accepit,

Geneſ. 8.

accepit,& virginitatem suam à Deo illibatã conseruãdam sperauit? Verissimè enim Saluator ait; omnia possibilia esse credenti. Hac ergo fide & spe beatissima Virgo confirmata, prima inter omnes feminas virginitatis votum emisit. Cuius rei gratia meritò ab Ecclesia Virgo virginũ nũcupatur; quod eius exemplum innumerabiles deinde virgines in Ecclesia mira alacritate ac deuotione secutę sunt. Quodq. mirabilius est, eo potissimùm tẽpore hoc votũ vouit, quo fecũditas laudabatur; virginitas verò, quemadmodũ sterilitas, probro erat. Nondũ enim in mundũ emerserant illi, qui vt nubes volarẽt, quique Angelis Dei similes, terrena omnia relinquentes, cæleste in terris vitã meditarentur. Itaque virginitatis inuentum huic virginum Reginæ Ecclesia debet. Quàm verò dissimilia sunt nostrarũ virginum inuenta, quæ tot vestium genera, tot corporis & oris ornamenta (ne dicã libidinis irritamenta) quotidie excogitãt? Quotidiani enim cultus fastidio laborantes, noua quotidie ornamenta moliuntur. Principes autem viri cùm peregrinas regiones peruagantur, solent inde non solùm varia condimẽtorum & ferculorum genera, sed etiam peregrinarũ vestiũ cultũ asportare, vt notas patriæ delicias peregrinis etiã cumulent. At Virgo nostra cùm in huius vitæ peregrinatione solo corpore cõstituta, mente & cogitatione inter Angelos versaretur, longè dissimili ratione, nõ carnales vilesq. delicias, sed angelicas virtutes, quas in illorũ moribus deprehẽdit, in hunc mundum asportare curauit. Virginitatis namq. decus eximiũ, Angelicæ naturæ proprium est: quod illa primùm è cælis traxit in terram. Quòd si olim abiectissimarum rerum inuẽtoribus (quæ modò ad humanæ vitæ vsum conferrent) diuinitatem antiquitas tribuebat (quod fecit his qui vel aratri vsum, vel rationem colendi agros ostẽderunt) quid huic Virgini tribuendum esse putatis, quæ hoc puritatis, tranquillitatis, quietis & sanctitatis inuentum prima omnium excogitauit: Huius autẽ virtutis opes facilè intelliget, quisquis nuptiarum labores, curas, & molestissimas occupationes expertus est. Verissimè enim Apostolus de cõiugibus ait; Tribulationem carnis habebunt huiusmodi, hoc est, multiplices & varios angores & solicitudines, quas quotidie illos sustinere necesse est, qui coniugibus seruire, filios procreare, rem familiarem augere, & curarum domesticarum onera sustinere tenẽtur: à quibus omnibus incommodis liber est, quisquis cælibem, imò cælestem in terris vitam ducit. Vtriusq. autem vitæ discrimen hac similitudine vtcunque intelligere licebit. Fingamus animo & cogitatione decem milites laboriosum aliquod iter cũ duce suo ingredi, quorum quisq. & commeatum suum, & arma humeris imposita, non sine labore baiulet, cæteris verò fatigatis, iubeat dux

1. Cor. 7.

dux vnum aliquem ex militibus omnes aliorum sarcinas humeris superpositas deferre. Hoc autem mandato accepto, an non miles ille meritò queri posset: Quid agis, ô Dux? an non satis mihi est, quòd & me, & sarcinas meas in hoc difficili itinere circumfero, sed aliorum etiam onera fractis penè humeris imponere iubes? Si enim, quæ mea sunt, circumferre vix possum, quonam modo ea decuplo aucta circumferam? Quis non iustissimam militis huius excusationem iudicaret? Quis non grauissimum ac penè importabile onus illud esse censeret? Hoc ergo exemplo, fratres, coniugatorũ & virginum discrimen (quod ad vitę molestias attinet) intelligi vtcunque poterit. Virgo enim & cælebs non aliud onus quàm sui corporis & animæ gestat; nec aliis vel necessitatibus, vel morbis, vel inopiæ, nisi suæ tantùm consulere tenetur: at quę nupta est, & viri, & filiorum ac filiarum suarum onera, propter amoris vim, quem natura ipsa conciliat, non minùs quàm sua reputat, nec minùs horum omnium magis torquetur, quàm si ipsa eisdẽ illis omnibus premeretur. Hoc enim proprium verè amantis est, dilectæ rei siue bona siue mala, sua reputare, illisq. perinde atque suis affici. Quot igitur vxor habet filios, tot habet corpora, quæ vestire; tot ventres, quos alere; tot morbos, quos curare; tot necessitates, quibus consulere; tot funera quæ deflere, ac postremò tot labores & incommoda, quæ subire debeat. Coniugis namque & filiorũ omnium dedecora, indigentiæ, fames, lites, solicitudines, curæ, cæteraque mala, non minùs parentum viscera, quàm eorum quos diligit, cruciant atque dilaniant: à quibus omnibus in cælibatu immunis prorsus extitisset. Quid igitur diuinius, quàm eam viuendi rationem excogitasse, qua homo non modò vberiora apud Deum merita cumulet, & singularem in cælo gloriam virginibus propositam consequatur, sed etiam quietam & tranquillam ab huiusmodi curis vitam in turbido huius mundi pelago degat. Hoc igitur tam præclarum inuentum sacræ Virgini debemus: quę sicut virginitatis inuentrix, ita etiam adiutrix est, cui se committere debent, qui vel eius exemplum sectantur, vel ab impuro fornicationis spiritu immunes esse volunt.

Sed ad historiæ seriem redeuntes: Cùm sacra Virgo, quonam modo sacer ille conceptus esset perficiendus, ab Angelo quæsisset, isque nõ humano more, sed omnipotẽti diuini Spiritus virtute efficiendum esse dixisset, sterilisq. Elisabeth exemplo (quæ tunc sextum iam mensem vterum gestabat) cælestis oraculi fidem fecisset; sacra Virgo nihil de Angelica legatione dubitans, summa cordis humilitate, fide, atq. obedientia se totam diuinæ voluntati permittens, *Ecce*, inquit, *ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Quis autem oratione consequi possit, quanta horum

horum verborum vis fuerit, & quàm multa hac simplici & humili responsione perfecta sint? Ibi namque Verbum Dei, quod erat in principio apud Deum, per quod omnia facta sunt, caro factũ est: ibi ima summis, terrena cælestibus indissolubili fœdere sociata sunt: ibi Prophetarum oracula, Patriarcharum vota, Dei promissa impleta sunt: ibi denique feliciſſimũ illud tempus aduenit, in quo iuxta Danielis vaticiniũ delenda erat iniquitas, & sempiterna iustitia in mundũ adducenda. Sicut enim in aduentu Domini sterilitas Elisabeth nouo partu ditata fuit: ita mundi sterilitas nouo virtutum ac pietatis germine fecundanda erat. Quod multo antè in spiritu Propheta videns, pro hoc tanto beneficio gratias Domino agebat his verbis: Confiteãtur tibi populi Deus, confiteãtur tibi populi omnes. Quamobrẽ? Nimirũ quia terra dedit fructum suum, hoc est, terra, quæ multis antea seculis sterilis & inculta permãsit, cælestes agricolas accepit; susceptoque semine Euangelij, pulcherrimos virtutum fructus tulit. Idẽ quoque Esaias aperta oratione pronunciauit his verbis: Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium: germinãs germinabit, & exultabit lętabunda & laudans. Quod quidẽ tunc impletum est, & quotidie in Ecclesia impletur, cùm steriles & incultæ mẽtes, quæ nullũ pietatis & iustitiæ fructum, nullum virtũtis germen vnquã protulerunt, Euangelij virtute in amœnum paradisum, & voluptatis hortũ, diuinarum virtutum plantis & arboribus consitum, cõmutantur.

Dan. 9.

Psal. 66.

Esaias 35.

Vt igitur finẽ principio iungamus, hoc in causa fuit cur olim sancti Patres tãto ardore Christi aduẽtum desiderarẽt, suspensiq. semper ad illum pẽderent, fatigatosq. iam oculos diu multumq. in hac expectatione sustinentes, ad Dñm cum Propheta clamarent, Conuerte nos Deus salutaris noster, & auerte iram tuam à nobis. Nunquid in æternum irascẽris nobis, aut extendes iram tuam à generatione in generationem? Quod perinde est ac si diceret: Quousque tãdem detinebis in ira tua, Domine, misericordias tuas? quousque tanta hæc munera tua differes? quousque procul à te auersi, per vias difficiles & laboriosas aberrabimus? Nunquid ergo in æternum irascẽris nobis? Conuerte nos, quæso Domine, ad te, & ostende nobis misericordiã tuam, & salutare tuum, hoc est Vnigenitum tuum, da nobis. Has ergo voces regius Propheta tam longæ moræ impatiens fundebat; vt qui probè nouerat, qua cælestium donorum & gratiarum affluentia Dei Filius in hunc mundum esset venturus. Cùm ergo nos illũ modò, fratres, nasciturum speremus, & ante oculos positum (quod illi tantopere desiderarunt) habeamus; ne, quæso, tantã hanc salutis opportunitatem vacuam abire sinamus: nec patiamur Dei Filium frustra ad nos venisse, frustra inter homi-

nes versatum fuisse, frustra famem, sitim, frigus, æstus, lacrymas, nuditatem, inopiam, & stabuli vilitatem, ac præsepij angustias pertulisse. Hi enim tã multi labores facilè declarant, multum esse quod in terra nobis impensum est, ac multo maius quod est in cælo promissum; & incõprehensibile malum illud extitisse, quod tantis impendiis extinguendum fuit. Nemo igitur, fratres, Deum tam prodigum vitæ suæ æstimet, vt eam profundere voluerit, nisi maxima essent ea mala, à quibus nos morte sua redemit; maximeque expetenda sempiterna sanctorum gloria, quam nobis vitæ suæ dispendio comparauit.

IN FESTO BEATI THOMÆ APOSTOLI, CONCIO PRIMA: IN QVA, post enarrationem lectionis Euangelicæ, verba thematis latiùs tractantur.

THEMA. *Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.* Ioan. 20.

PARS PRIOR.

IN lectione sancti Euãgelij, fratres charissimi, insigne quoddã diuinæ miserationis opus continetur, quod Dominus Iesus à morte excitatus edidit: quod tamen opus ab humana incredulitate ortum habuit. Thomæ quippe Apostoli incredulitas occasionem Domino præbuit, vt & seipsum illi post resurrectionem ostẽderet, & sacratissima vulnerum suorum stigmata palpanda traderet. Non enim ignorare vos arbitror, hunc esse diuinæ bonitatis & prouidentiæ morem, vt ex malis semper bona eliciat; quemadmodum diabolicæ prauitatis est, in malum semper bona cõuertere. Id cũ multis exẽplis ostẽdi possit; vnum afferã ex prima illa parẽtum nostrorum ruina desumptũ. Diabolus enim cùm videret primos illos homines diuinis muneribus affluentes; propter quæ dignum erat, vt, quo maiora à Deo beneficia perceperãt, eo magis illum colerent atq. diligerent; sic negotiũ inuertit, vt ex diuinorum bonorum opulentia occasionẽ sumpserit, eos ad superbiã & diuinæ maiestatis cõtemptum incitãdi. Atq. in hunc modum maximã Dei bonitatem & largitatem, in maximum hominis malum, Deique contemptum, vertit. Quid verò diuina bonitas hoc tanto scelere prouocata? Nempe vt lapsum inuidia diaboli hominem liberaret, homo fieri, & in crucem agi misericorditer voluit: quod quidem omnium

nium diuinorum operum & maximum & pulcherrimum fuit: hæc enim illi præcipua veniendi & moriendi causa extitit. Tolle morbos, tolle vulnera, nulla erit causa medicinæ. Neque enim (vt D. Augustinus ait) illum de cælo ad terram merita nostra, sed peccata traxerunt.

August.

Cæterùm quoniam filiorum est, parentum exempla sectari; eosdem planè mores in filiis Dei, & filiis diaboli, inuenire licet. Filij enim Dei, qui Spiritu eius aguntur, hoc sibi ante omnia proponũt, vt non modò aliena prauitate ad malum non impellantur, sed ex ea magis ad pietatis & iustitiæ studiũ excitentur: quod contrà filij diaboli faciunt; qui cùm eius spiritu ducantur, ipsius etiã mores & exẽpla sequũtur. Hinc Saluator ait: Vos ex patre diabolo estis; & desideria patris vestri vultis facere. Sed quo res fiat dilucidior, vtriusque rei exẽpla subiiciã. Ditat sæpè aliquos magnis opibus Dñs, vt beneficiis illos sibi deuinciat. Quid autẽ ex hoc cõsequens erat? Certè vt tales diuinis muneribus aucti & locupletati, tantorũ bonorũ largitorẽ impensiùs diligerẽt, studiosiùs colerẽt, & in homines inopes, propter communis Dñi amorẽ liberales & benigni existerẽt: tales videlicet se erga cõseruos exhibẽtes, qualẽ erga se Dominũ experti sunt. Quidam tamen sunt ingenio adeò malo prauoque, vt, vnde colendi & obsequendi materiã sumere deberent, inde superbiendi, luxuriandi, & lasciuiendi occasionem arripiant. Itaq. euenit illis quod per Prophetã Dominus ait: Saturaui eos, & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabãtur. Et alibi idem Dominus, Dedi eis, inquit, aurum meum, & argentum, quæ fecerunt Baal. Alius item, terrenis rebus spretis atq. contemptis, se totum diuino obsequio mancipauit, Ecclesiæ limina terit, orationibus vacat, improborũ hominũ consortia vitat, linguæ intemperantiam cohibet, pauperes pro facultatibus suis fouet, similiaq. pietatis opera edit. Hoc quidẽ exemplo alij ad simile virtutis studiũ incitari debuissent: quandoquidẽ natura hominis vehemẽter earum rerũ imitatrix esse solet, quæ ab aliis laudantur, & in pretio habentur. Quidam tamen ea mẽte atq. ingenio sunt, vt ipso lucis splendore (quod noctuis accidere videmus) tenebras incurrant, & medicamentis ipsis (quod desperatis ægris euenit) deteriores fiant. Liuore enim & præcipiti temeritate obcæcati, quæ laudare & imitari debuerãt, dãnant, improbant, atque proscindunt; & cum ipsa externa opera accusare nequeũt, animum tamẽ operãtis reprehẽdunt, dũ ea non virtutis studio, sed ostentationis gratia fieri dicũt. Hoc quid aliud est, quàm Dei gloriam & officiũ vsurpare; cuius est cordis penetralia intueri? Rursus videt aliquis vicino suo omnia prosperè cedere, videt horrea & cellaria eius cunctis opibus, Deo annuẽte, redundare. Quid hîc

Simile.

Chri-

Christianum hominem facere par erat? Nempe Dei benignitatem & largitatem agnoscere & amare,& huius tantæ munificentiæ argumento sibi quoque benè sperare. Sed quid tandem multi faciunt? discruciantur, rumpuntur; liuore atque inuidia contabescunt; & (quod omnem ferè superat nequitiam) in eos frequenter infensi sunt,quorum opibus sæpe iuuantur. Alienam itaque felicitatem in suam vertunt miseriam: & inde liuoris & mœroris occasionem capiunt, vnde gratulationis & lætitiæ sumere debuissent.

Nunc contrà filiorum Dei mores dispiciamus. Euenit aliquando, vt improbus homo innocentem hominem, & benè de se meritum,maledictis incessat, & falsam illi litem intentet,vt opes & patrimonium eius per calumniam diripiat: at is charitatis, patientiæ & timoris Domini clypeo munitus, adeò ad mutuum odium his iniuriis non mouetur, vt hinc & benefaciendi, & pro illo Dominum orãdi occasionem sumat; præclarissimum illud Apostoli consilium sequens: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Hoc enim victoriæ genus clarissimum & pulcherrimum est. Vix enim quisquam adeò immani & efferato ingenio est, vt non interdum tanta bonitate vincatur, vt non aliquando tacitus intra se dicat: Quid me potest esse inhumanius, qui ne tot quidem beneficiis ab eo homine exhibitis vincor, cuius ego toties lenitatem & patientiam irritaui,quem tot iniuriis lacessiui; cùm is tamen sic læsus atque offensus, nouis me muneribus ornare nunquam intermittat? Quòd si ne his quidem beneficiis nondum pectus inimici molliatur, non ideo vir pius consueta benignitatis officia deserit, sperans fore, vt nouorum accessione,veterum quoque gratiam recipiat. Qua in re sagittariorum exemplum se imitari ait: qui cùm emissas sagittas non inueniunt, alias rursus atque alias eodem in loco consistẽtes iaciunt; vt posteriorum indicio priores inueniant. Videtis ergo, fratres, quemadmodum pij homines, tanquam legitimi filij Dei, paternum morem imitãtes, ex malis bona elicere soleant? Quid hîc Martyres commemorem, qui immanium tyrannorum feritatem in suam gloriam commutarunt, dum eorum equuleis & craticulis ascensum sibi in cælum parauerunt? Sed iam ad Euangelicæ historiæ lectionem veniamus: in qua longè clariùs doctrinæ huius exemplum reperiemus.

Rom. 12.

Simile.

I.

Cùm Dominus, à mortuis resurgens, toties se discipulis videndum præbuisset (nam & Simoni Petro,& sanctis mulieribus, & duobus discipulis in Emmaus pergentibus, & omnibus item discipu-

discipulis in vnum congregatis,eo ipso die quo resurrexit,apparuit) Thomas, qui per id temporis ab hoc aberat collegio, nec Petro affirmanti, nec duobus discipulis idem confirmantibus, nec reliquis Apostolis idem citra vllam hęsitationem afferentibus fidem habere voluit,sed in incredulitate sua persistens,*Nisi*, inquit, *videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum,& mittam manũ meam in latus eius,non credam.* Itaque tantum abest vt vestro testimonio fidẽ habeam, vt ne ipsis quidem oculis meis habiturus sim,nisi tactus indicio de Dominici corporis resurrectione certior fiam. Quid ais, Thoma?an non diuina lege præscriptum est, vt duorum vel trium testimonio stet omne verbũ? An non irritam faciens quis legem Moysi, absque vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur?Quo modo ergo tam multis,eisdemque incorruptis testibus fidem habere recusas: præsertim cùm mortuos ab hoc eodem Domino excitari iam antè vidisses? An non tu Domino paulo antè ad Lazari resurrectionem pergenti te comitem exhibuisti, cæterosque discipulos trepidantes, & ab hoc itinere Dominum reuocare conantes, inuicto animo hortatus es, dicens,Eamus & nos,& moriamur cum illo? Qui igitur istis oculis quatriduanum Lazarum, tetrum odorem exhalantem, sola huius Domini voce à morte excitatum vidisti, qua ratione dubitare potes, hoc sibi beneficium sumere nõ potuisse quod aliis impenderit; quique stupendi huius miraculi indicio se vitæ & necis potestatẽ habere declarauit? Itaque incredulitas tua nullum prorsus excusationis velamen admittit. Quid igitur Thomas ob hanc tantam incredulitatem merebatur? Nimirum vt ab eo desereretur, cui,tam multis testibus adhibitis, obfirmato animo reluctabatur. Sed hæc hominum misericordia est,quę facilè,quauis vel leui occasione,dissoluitur. At ea Dei nostri misericordia est,quæ impugnata non succumbit,lacessita crescit, & interdum etiam iniuriis prouocata mitescit. Quod quidem,aduersus filios phrenesis morbo laborantes, piis patribus cõtingere solet: quos tum maximè miserantur, cùm maximè insanire vident. Hoc autem misericordiæ suæ specimen Dominus exhibuit,cùm Paulum aduersus se furẽtem, & minas atque cædes in discipulos suos spirantem, in cælum sustulit, & arcanorum diuinorum cõscium, vas electionis,& fidei,quam euertere conabatur, præconem fecit. Nos itaque, qui & pusillo animo, & exigua misericordia sumus, qui vitam & sanguinem propter fratrum nostrorum salutem non fudimus, nequaquam vlteriùs in hoc miserationis officio progrederemur; at cuius bonitas & misericordia nullis finibus circumscripta est, cui tã chara salus nostra fuit, vt eam sanguinis sui pretio compararuerit,non protinus

Ioan. 11.

Simile.

tinus à consuetæ misericordiæ officio desistit, sed alia aggreditur via, vt nos tandem ad viam salutis reuocet. Itaque pij patris morem imitatur, qui non contentus ægrotanti filio varia medicamenta adhibuisse, alia deinde atque alia excogitat, nihilque intentatum relinquit, quo illum ad sanitatem reducat. Quod quidem exemplum (vt hæc quoque obiter admoneamus) spirituales in Ecclesia patres imitari deberent, cùm eorum confessiones audiunt, qui ab his vitiis, quibus diu assueuerunt, resilire nolunt: horum enim pertinaciam variis modis, variisque remediis, curare deberent. Quòd si semel hoc perficere non possent, aliis rationibus tentanda res est, nec protinus spes omnis salutis abiicienda; vt, qui vno medicamento curati non sunt, multis sanentur. Sed quanta hîc lugendi materia sese offert, cùm passim videre liceat huius officij ministros cursim & properanter, ne dicam oscitanter, munus hoc, quod omnium humanorum operum ferè maximum, maximeque necessarium est, administrare!

Simile.

Itaque Dominus Thomam Apostolum, quem tot testibus ad fidem resurrectionis adducere non potuit, hac noua ratione curauit. Transactis enim octo à Resurrectione diebus, cùm discipuli in vnum congregati essent, & Thomas cum eis; *Ingressus est Iesus ianuis clausis, & dixit eis, Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, &c.* Quod perinde est ac si diceret, Aequum erat, vt tu quidem, Thoma, voluntati meæ annueres, non ego tuæ; hoc est, vt tot resurrectionis meæ testibus crederes: sed quoniam eò res deducta est, vt nolit seruus quod præcipit dominus, velit dominus quod exigit seruus; itaque si hoc apud te statuisti, vt non alia ratione crediturus sis, nisi & oculos tuos, & digitos resurrectionis meæ testes habeas, fit ita sanè: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* Videtis ergo, fratres, vnde Saluator occasionem sumpserit tantam hanc misericordiam discipulo exhibendi? Sed quid mirum, si discipulo suo palpandam carnem præbuit, quam pro salute nostra Iudæis tradidit crucifigendam? Quanto enim plus est pro aliena salute vulnerari, quàm tractanda vulnera exhibere! Imò verò ea Christi Domini charitas est, vt, si pro salute hominum iterum illi hæc eadem vulnera accipienda essent; non dubitaret eadem libenter accipere, quo infidelitatis vulnus in eis sanaret. Vt autem hoc nemini nouum aut incredibile videatur, ipsum Dominum hæc eadem prædicantem in testem adducam. Cùm enim vir sanctissimus Carpus, zelo diuinæ gloriæ accensus, vehementer aduersus hominum scelera incandesceret, vocem Domini Saluatoris è cælo loquentis

audiuit: Carpe, Carpe, paratus sum iterum pro peccatoribus crucifigi. Qui igitur hac tanta charitate flagrat, quid non faceret vt errãtem discipulum in viam salutis reuocaret? Ita factum est, vt, quod vnum Dominicę resurrectionis argumentum discipulus desiderauit, illi præstiterit. Qua in re ita se Dñs gessisse videtur ac negotiator, qui in nundinis, mercis alicuius eximio amore captus, illam, quocumq. pretio prostiterit, emere decernit; cumq. illam venditor iusto pretio distrahere nolit, ipse tandem quicquid pro illa petitur, etiam si plus iusto sit, libenter exhibet. Sic ergo cùm Dominus discipuli salutem ardenter optaret, neque is (quod æquum erat) aliorum discipulorum testimonio acquiesceret, eius se voluntati accõmodauit, &, quod vnum discipulus ad fidem argumẽtum exigebat, clementer impendit. Itaque ait: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, &c. Respondit Thomas: Dominus meus, & Deus meus.* Modis omnibus ad Dominicæ resurrectionis fidẽ Thomas reuocatus est. Externorum enim sensuum indicio hoc additũ est, quòd Dominus, tanquam rerum omnium conscius, incredulitatis verba, quæ is anteà protulerat, ad mentem reuocauit. Thomas igitur hoc clarissimo diuinitatis argumento, simul & tanta Domini benignitate mirabiliter incensus, velut extra se positus, illa clarissima confessionis verba protulit: *Dominus meus, & Deus meus.* Hominem vidit, & Deum in homine latentem confessus est, & ita confessus, vt vix in sacris litteris vlla diuinitatis Christi confessio clarior habeatur. Quo autem is ardore, qua cordis lætitia, qua admiratione & stupore fuerit affectus, quando, quem solum hominem mortis vinculis constrictum credebat, præter omnem fidem & spem, victorem mortis, & omnipotentem Deum agnouit; eundemque talia erga ipsum charitatis viscera exhibentem, & tam blanda & amica oratione compellantem vidit: quæ oratio, quæ dicendi facultas consequi possit? Hoc illi relinquamus, qui re ipsa hanc tantam Domini lenitatem simul & maiestatem agnouit; vel illi potiùs, qui hanc tantam lucem, tantamque admirationis & lætitiæ materiam discipulo præstitit. Nos verò, eo relicto, ad nosipsos veniamus, ad quos illa Domini verba pertinent: *Quia vidisti me Thoma, credidisti. Beati qui non viderunt, & crediderunt.*

Simile.

PARS POSTERIOR II.

Prima Propositio.

Quoniam in his Domini verbis, quæ à me proposita sunt, de fide sermo est, ideo quòd hæc Domini sentẽtia fiat illustrior, fidei ratio prius à nobis explicanda est. Fidem Apostolus rerum non apparentium argumentũ esse ait; hoc est, fidem esse lucem singulari Spiritus sancti dono in mentem viri fidelis effusam: quæ

quæ ita eius intellectum afficit & illuminat, vt sine vllo aut miraculo, aut humanæ rationis argumento, certissima & firmissima esse credat, quæ à Deo reuelata, & nobis ab Ecclesia ad credendum proposita sunt. Itaque quod in aliis rebus firma ratio, aut sensuum iudicium facit, hoc cumulatiùs cæleste illud lumen præstat; vt videlicet certiora esse credamus quæ fide concepimus, quàm quæ euidenti ratione, aut oculorum sensu vsurpauimus. Hæc fides in sanctis Martyribus præcipuè eluxit, quorum multi cùm nec miracula vlla vidissent, nec ad credendum mundanæ sapientiæ argumenta quæsissent, hoc tamen fidei lumine & magisterio instructi, adeò stabiles in fidei confessione perstiterunt, vt nullis promissis aut minis, nullis immanium tormentorum machinis ab ea deduci potuerint. Eos ergo Dominus beatos hoc in loco pronunciat, qui hoc cælesti lumine illustrati, fidem piè colunt, nec vlla aut signa, aut humanæ sapientiæ argumenta requirunt. Signa enim quærere, vel nutantis fidei, vel incredulitatis indiciũ est. Hinc illa Domini obiurgatio: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Hac de causa Zacharias, Ioannis Baptistæ pater, nouem mensium silentio punitus fuit, quòd ab Angelo signum petierit, quo eius promissioni fidem adhiberet. Hinc D. Augustinus alienum à fide sua esse ait, vt à Domino signum aliquod aut miraculum requireret. Quæ cùm ita sint, meritò illi à Domino beati prædicantur, qui, cum hæc fidei signa & argumenta non habeant, nihilominus tamen, interno Spiritus sancti lumine irradiati, fidem sanctè colunt: quorum Dominus pietatem & religionem per Prophetam commendauit, cùm dixit: Populus, quem non cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.

Ioan. 4. *Marci 1.* *August. in lib. Confessionum.* *Psal. 17.*

Hæc igitur fides inter Dei dona primũ est, quòd alia omnia ordine antecedit; sine fide namque impossibile est placere Deo. Quod quidem tãta firmitate in anima nostra Dominus stabilit & roborat, vt, cùm omnes aliarum virtutum habitus quouis lethali crimine intereant, fides tamẽ & spes adhuc in anima perseuerent, nisi vel perfidia, vel desperatione intereãt. Sicut enim domo aliqua euersa, fundamenta in imo iacentia manent, quæ toti fabricæ supposita erant: ita virtutum omnium structura per peccatum corruente, fidei tamen virtus, quæ totius spiritualis ædificij fundamentum est, immobilis perseuerat. Hoc enim diuina pietas clementer disposuit, ne extincta penitus fide, spes omnis salutis adimeretur. Fides enim dux nobis in cælum est; fides magistra vitæ; fides lucerna pedibus nostris, & stella micans, quæ nos (tanquam Magos olim) perducit ad Christum. Fides item columna ignis & nubis est, quæ ducatu suo nos in terram viuentiũ dirigit; & semen cæleste, quod operum bonorum

Secunda propositio. *Simile.*

fructus germinare poteſt: ac denique talentum illud, quo(ſi adſit charitas)æterna vita comparatur:ideoq̃.quàm diu ipſa illæſa & integra manet,quamuis cætera Dei dona nobis pereant, non protinus ſpes omnis ſalutis adempta eſt. Mercator qui opes omnes, quas habebat, amiſit, ſi nondum apud homines fidem perdidit, adhuc eius beneficio adiutus, & negotiari, & in priſtinam fortunã redire poteſt: quod amiſſa ſimul cum rebus fide non facilè contingit. Sic igitur Chriſtianus, qui, meritorum ſuorum opibus amiſſis, adhuc fidem retinet, eius ductu atque magiſterio, aſpirante tamen Domino, in viam reduci,& in priſtinæ dignitatis gradum reſtitui poteſt.

Simile.

Tertia propoſitio.

Verùm illud hoc in loco diligenter adnotandum eſt, fidẽ aliquando perfidiæ crimine interire, cùm eã fidelis homo ſegnem prorſus & otioſam retinet. Vera eſt enim illa Domini ſentẽtia: Qui habet,dabitur ei,& abundabit:ab eo autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Hac item ratione Dominus in Apocal. Epheſiorum Eccleſiã ad pœnitentiam vocat: alioqui minatur fore,vt cãdelabrũ eius ab illa moueatur. Quid autem candelabri nomine niſi fidei lumen intelligimus, quod Dñs extingui permittit,cùm nos illud fruſtra retinemus? Præclarè enim à D. Ambroſ. dictum eſt, fidem inexercitatam citò areſcere. Videmus equos, quos ad curſum natura formauit, ſi diu in ſtabulo torpeant atq. deſideant, claudos effici & mancos, & vim illã currendi, quam naturæ beneficio acceperant, amittere. Ferrum quoque quod vſu ſplendeſcit, & argenti nitorem imitatur, ſi diu in terra conditũ iaceat, paulatim rubigine cõſumi,ac tandem in terrã verti conſtat. Sed quoniam fides(vt antè diximus) Chriſtianæ vitæ radix & fundamentum eſt, ex radicis natura fidei naturã explorare licebit. Videmus autem arborem, abſciſſa coma,quæ à radice vitalem ſuccum trahit,radicis beneficio rurſum reuireſcere, & ſurculos propagare: quos ſi euulſeris,alios item atq. alios ſubinde germinare. Verùm,ſi tu in hac contentione perſiſtas, vt propagines omnes ſuppullulare incipiẽtes euellas;ipſa demũ radix tam diu fruſtra nixa, omni vitali humore deſtituitur & areſcit. Ad hũc ergo modum,ſi fidei(quæ cæterarũ virtutum radix prima eſt) bonorum operum propagines ſcelerate viuendo abſcideris, ipſa tamen fides, quæ adhuc manet integra, te rurſus ad virtutum officia latenti quadam vi incitare nõ ceſſat: cuius tu beneficiũ ſi pertinaciter à te repellere inſiſtas, tandem ipſa(Deo ita permittente) areſcit, dum te in hæreſis aut perfidiæ crimen(pro eo ac pertinacia tua meretur) labi ſinit. Huius enim rei gratia ficulneam illam, quæ nullum cultori ſuo fructum referebat, abſcondi paterfamilias iuſſit, ne fruſtra terram occuparet. Quæ cùm ita ſint, diligenter cõuenit

Mat. 13.

Apoc. 2.

Ambroſ.

Simile.

Simile.

Simile.

Luc. 23.

nos,

nos, fratres, vigilare, ne fidẽ otiosam & inertẽ habeamus, ne hoc tam pretioso thesauro, in quo salutis nostrę pignus positum est, spoliari mereamur. Quòd si quis ita se in fide stabilitum & immobilẽ sentit, vt nullis ab ea viribus se auelli posse vereatur; hoc ei periculũ metuendum est, ne fides apud illum sterilis & otiosa existat. Fixa enim manet illa Ioannis Baptistæ sentẽtia: Iam securis ad radicem arboris posita est. Omnis arbor quæ nõ facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Videmus fidelium multos, qui ita sibi de sola fide blandiuntur, ita hoc solo Dei dono securi degunt, vt, quamuis nihil egregium in vita moliantur, nullamq́; pietatis & iustitiæ curam gerant, certo tamen sibi salutẽ hac vna fide polliceãtur. Quo quid periculosius, quid diuinis literis magis aduersum? O te miserum & amentẽ! Nunquid non audisti vnquam illud Apostoli: Si habuero fidem, ita vt mõtes transferã, charitatem autem non habuero, nihil sum?

Matth. 3.

1. Cor. 13.

III.

Verumtamẽ leuius hoc sanè malũ haberetur, si nihil periculi esset, nisi quòd hæc nos fides nihil ad salutem iuuaret. Est aliud lõgè quidẽ grauius, ac multo magis formidãdum, nempe quòd fides sic otiosa manẽs, nõ modò nõ iuuat desides & inertes, sed multò etiã maioris criminis reos facit. Quod quidem nõ leui argumento Moyses indicauit: qui vbi diuinæ legis librũ (in quo fidei dogmata continebantur) absoluisset. Leuitis tradidit in arca fœderis collocandũ: Vt sit ibi, inquit, contra te in testimonium. Quid ais, Propheta? librũ fœderis, librũ testamẽti & pacti Dñi, librum diuinæ legis (quæ Deo placere, vitam moderari, mores componere, & iter in cælum docet) quo nobis Deus & amicitiæ suæ pignus, & sapientiæ suæ donum contulit, aduersarium mihi facis, & contra me ibidem adseruari præcipis? Si ciuiles leges viri clarissimi Deorum inuentum ac munus esse dixerunt, quo modo mihi tu Dei leges (hoc est, diuina munera & inuenta) in damnationis testimonium vertis? Sed huius tamen argumenti solutio facilis est. Verè enim (vt Salomon ait) obsequentibus mandatũ lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinę; inertibus autẽ & negligentibus iudex & testis est. Eadẽ quippe regula, & recti mensura esse dicitur, & obliqui, dum quæ recta linea sit, & quæ obliqua, rectitudine sua demonstrat. Sicut ergo vir pius meritò in lege Domini gloriatur, qui per eam vitæ ducem, & infantiæ suæ pædagogum nactus est: ita contrà improbus, qui diuinæ legis institutione nihil proficit, habet vtique cur meritò timere debeat. Cur enim Saluator Dei legẽ aduersarium nostrum appellat. (Sic enim quidam illa eius verba interpretãtur; Esto consentiẽs aduersario tuo citò, dum es cum eo in via;) nisi quia improbos & sceleratos homines diuina lex coram su-

Quarta propositio.

Prou. 6.

Simile.

Matth. 5.

Rom. 2. perno iudice accusatura est, Apostolo testante, qui ait: Qui sine lege peccauerunt, sine lege peribunt: & qui in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Prętereà quid sibi Saluator voluit, cùm Ioan. 5. Iudæis de diuinæ legis munere gloriantibus dixit: Est Moyses qui accusat vos in quo vos speratis? Illi namq. & genus Abrahę, & Moysi legem à Deo latam iactabant, seq. scelerate viuentes hoc nomine Gẽtibus præferebant: cùm tamen hoc ipso timere magis debuissent, quòd nec tanti patris obedientiam sectarentur, nec tam præclari legislatoris præcepta seruarent; ideoq. meritò Dominus eundem Moysen ipsorum accusatorem futurum pronunciat: quem ipsi, vana persuasione delusi, patronum sibi Simile. futurum arbitrabantur. Nemo miratur, quòd terra, quę exculta non est, nullum germinet fructum; illud tamen & miramur, & indignè ferimus, quòd terra assiduo labore culta, & iacto semine fecundata, nullũ cultori suo proferat fructum. Sic igitur nemo miratur, barbaras & incultas infidelium nationes nullum pietatis fructum producere, quæ nullum diuini verbi semen exceperunt, at fidelium terra, quæ hoc cæleste semen suscepit, & venientem suprà se bibit imbrem, profert autẽ spinas & tribu- Hebr. 6. los iis à quibus colitur, nónne (vt Apostolus ait) reproba est, & Simile. maledicto proxima, cuius consummatio in combustionẽ? Qui nondum ad pubertatis annos peruenerũt, si quod flagitium admiserint, nequaquam legitimis iuris pœnis, sed aliis mitioribus iudicum arbitrio puniuntur; quòd illa ætas ciuiliũ legum ignara, delicta ipsa leuiora faciat. Quod cõtrà in his accidit, qui hac ignorantia minimè laborant. Idem ergo inter fidelium atque infidelium nationes discrimen est. Infideles quippe, ignorantiæ tenebris obducti, velut paruuli sunt, qui propter insitam diuinarum rerum ignorationem excusatiùs peccant: at fideles, velut maturæ ætatis homines haberi debent, vtpote quos diuina institutio ab hac puerili ignorantia vindicauerit: ideoque vt grauiùs peccant, ita seueriùs plectendi sunt. Quid in causa esse putamus, quòd regnum Dei à Iudæis ad Gentes translatum sit, cùm vtrique ferè in improbitate pares essent; nisi quòd Iudæi grauiùs delinquebant, cùm acceptis legibus, non ad vitæ continentiam, sed ad insolentiam, & aliorum contemptum, abuterentur? Hier. 25 Quoties in Prophetis hæc Domini verba legimus: Et misi ad vos omnes seruos meos Prophetas, de nocte consurgens, mittensque, & non audistis! Itaque cùm diuina monita nihil apud eos efficerẽt, protinus se Dominus in eos indignationis suæ furorẽ effusurum cõminatur. Quæ verba vos, fratres, vehementer perterrefacere debent, quando vos quoque Dei voces, ministrorum suorum ore pronunciatas, quotidie in templis auditis, quæ vos à vitiis auocant, quæ ad pietatem hortantur, quæ vi-

cinæ

cinæ mortis periculum denunciant, quæ diuini iudicij seueritatem ob oculos ponunt, quæ æterna præmia piis proposita, acerbissimaque supplicia improbis constituta declarant, ad quas tamen voces ita obsurduistis, vt callos; iam quodammodo diuinis verbis audiendis obduxisse videamini.

Fateor planè, beatos esse (vt Saluator ait) eos qui nō viderunt, & crediderunt: sed qui fidei talentum (quo cæleste regnū mercari poterant) in sudario repositum seruauerunt, quid aliud sibi polliceri possunt, quàm quòd seruus iste nequam assecutus est, qui iussu Domini in tenebras exteriores detrusus fuit? Quid autem aliud significat pecunia ligata & reposita in sudario, nisi quod multi faciunt, qui veritatē Dei in iniustitia detinent? Fidem quippe in sudario repositam ligant, qui eam in solo intellectus angulo inclusam & vinctam tenent, nec ad alias animę vires permanare, & radios suos effundere sinunt, vt eas pro ratione lucis atque doctrinæ suæ piè & sanctè afficiant. Fidem præterea inclusam tenent, qui numquam diuina eius dogmata, quæ & multa & varia sunt, explicant atq. considerant: qui numquam ea, quæ illis fugienda & sequenda proponit, contemplantur: qui numquam acerrimos eius aculeos, & vehementissima ad virtutes incitamenta sentiunt: qui nunquam illam in operum suorum consilium adhibent: qui nequaquam illius ductu & magisterio vitam dirigunt: qui nunquam, quid cælestium diuitiarum in illius sinu lateat, animaduertunt: qui numquam in silentio & quiete animi ea speculantur, quæ fide profitentur: qui ita deniq; credunt, ac si omnino non crederent; cùm apud eos fides (quæ virtutum semen, quæ vitæ medicamentum, quæ talentum ad spiritualia mercimonia exercenda est) otiosa maneat. Semen quippe in terram spargi debet, vt germinet: medicina vulneribus adhibenda est, vt salutem afferat: pecunia in vsus expendenda est, quo incrementum accipiat. Si enim reposita in sudario ligetur, (quod ad lucrādi fructum attinet) quid refert, an aurum, an lutum in sudario condas? Itaque, fratres, vt propter hoc fidei donū felices & beati prædicemur, eius ductum sequamur, illam vt vitæ magistram audiamus, illam omnibus in rebus in consilium adhibeamus; auresq. nostras, Sirenarum huius magni maris vocibus obstruentes, ad illius voces & monita apertas habeamus. Quidquid aduersus eam vel astutus serpēs, vel fallax mundus, vel garrula & importuna caro, vel prudentia terrena suggesserit, tanquam diaboli inuentum repudiemus, Propheticam illam vocem animo versantes: Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua. Hoc igitur facientes, non dubium, quin fides, quæ à Deo in nos delapsa est, rectà nos eò, vnde est digressa, per cælestis vitæ semitas felici cursu reducat.

Lucæ 19. Mat. 25. Luc. 19. Rom. 1. Simile. Psal. 118.

IN FESTO BEATI THOMÆ. APOSTOLI, CONCIO SECVNDA: IN QVA vulnerum Domini Saluatoris argumento & indicio (quibus ad fidem resurrectionis eius Thomas Apostolus inductus fuit) totius fermè Christianæ philosophiæ summa colligitur.

THEM. *Infer digitum tuum huc, & cognosce loca clauorum, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* Ioan. 20.

HODIERNA sancti Euangelij lectio, fratres dilectissimi, beati Thomę incredulitatem, & miram Domini bonitatem huic morbo clementer medicinam adhibentem continet. Ait igitur sanctus Euangelista: *Thomas vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum discipulis quando venit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* & cætera quæ sequuntur.

AVE MARIA.

Satis constat inter animæ nostræ vires intellectũ principem locum obtinere, cui ius in omnes alias eiusdem animæ vires imperandi, & vitam nostram dirigendi, naturæ lege commissum est. Quo fit, vt, intellectu perturbato & cæcutiente, cæteræ quoque animæ vires, velut milites sine duce, aut nauis sine gubernatore, incertis motibus fluctuent, & periculosissimè iactentur. Ex quo fit, vt intellectus humani peruersio, malorum omnium, quæ in vita contingunt, origo & seminarium sit. Hoc ipsum autem Saluator sub oculorum similitudine insinuauit, cùm dixit: Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex (hoc est, si mentis tuæ oculus nullis fuerit errorum tenebris obfuscatus) totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam (hoc est, obscurus fuerit) etiam corpus tuum tenebrosum erit, hoc est, omnia opera tua, quæ lucem ab hoc mentis oculo percipere debebant, tenebrosa erunt, vagisque & errabundis motibus agitabuntur. Ex his autem mentis humanæ tenebris oritur quod improbis Dominus per Prophetam improperat, cùm ait: Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum;

Matth. 6.

Esaiæ 51.

malum; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Qui autem hoc modo de rebus iudicant, quid in vita rectè moliri poterunt? Vitiata quippe radice mentis nostræ, quid non vitiosum cõsequi poterit? Ab hoc igitur fonte omnia humanæ vitæ mala deriuantur. Cùm ergo Saluator noster ad hoc venerit in mundum, vt mala nostra pelleret; inter præcipua verò mala, intellectus humani peruersio sit (quam malorum ferè omnium caussam esse diximus) hanc præcipuè è medio tollere cælestis Magister debuit. Quod quidem adeò cumulatè præstitit, vt Isaias dicat, vniuersam terram scientia Domini in eius aduentu esse replendam. Quo nomine Christum Dominum accensæ lampadi & splendori comparat, his verbis: Propter Sion non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur vt splendor iustus eius, & Saluator eius vt lampas accendatur: quæ videlicet lampas clarissimo diuinæ cognitionis lumine erat mundum illuminatura. Hinc Ioannes initio statim Euangelij sui, lucis nomine Christum Dominum non semel designat, cùm ait: Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illũ. Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Huius autem verbi repetitione sanctus Euangelista apertè docuit, non solùm Christum aduentu suo humanis mentibus lucem prætulisse, verùm etiam omnes mundi sapientes (quod ad salutarem rerum diuinarum cognitionem attinet) si Christi lumine destituantur, in magna errorum caligine versari. Ab his ergo tam horrẽdis tenebris nos Sol iustitiæ Christus vindicauit, dum apertissimã nobis diuinarum rerum cognitionẽ tradidit. Hoc autem designat liber ille quem Ioannes in Apocal. septem sigillis clausum atque obsignatum vidit; quem nullus eorum qui vel in cælo, vel in terra, vel subtus terram morabantur, poterat vel aperire, vel respicere. Cumque sanctus Euangelista hac de causa vehementer angeretur, angoremque suum lacrymis testaretur, vnus ex viginti quatuor senioribus, qui diuinæ maiestatis throno assidebant, bono animo illum esse iussit, quòd Agnus qui occisus erat, dignus esset qui eum librum aperiret; hoc est, qui latentia diuinæ sapientiæ mysteria humanis mentibus inaccessa, reuelaret.

Isai. 16.

Isai. 62.

Ioan. 1.

Apoc. 5.

Sed iam hìc quæret aliquis, quónam modo id effecerit Christus. Si enim dixeris, hoc in Euãgelicis litteris effecisse; responderi poterit, non omnes ad earum litterarum cognitionem, nisi doctrina aliqua imbutos, posse peruenire; & multos etiam esse omnis generis litterarum ignaros. Quomodo ergo verum erit quod

quod Propheta dicit, repletam esse terram scientia Domini? Et alibi, Omnes, ait Dominus, scient me, à maiore vsque ad minorem, Paulus, diuinorum mysteriorũ interpres, sapientissimè huius quæstionis nodũ dissoluit. Cùm enim is alibi dixisset, se imperitum quidẽ sermone, sed non scientia; alibi tamen ait, se nihil aliud scire nisi Christum, & hunc crucifixum. Quomodo ergo, Paule, scientiã tibi vindicas, si nihil te scire profiteris, nisi Christum crucifixum? Perfecta enim scientia multarum rerum cognitione constat. Est ita planè. Sed hæc tamen quæ in cruce discitur scientia, exactissimam rerum omnium, quæ ad benè beateque viuendum requiruntur, cognitionem præbet. Hinc idem Apostolus; Nos, inquit, prædicamus Christum crucifixũ, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Iudæis & Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Hæc igitur erat Pauli sapientia, hæc eius Philosophia, hic liber in quo dies noctesque legebat; cuius lectione mundum vniuersum illuminauit, & veræ sapientiæ compotem fecit.

2. Cor. 11
1. Cor. 2.
1. Cor. 1.

Hic est enim liber ille à Deo traditus Ezechieli, scriptus intus & foris; longè videlicet dissimilis alteri libro, quem Isaias nec à litteratis, nec ab illitteratis legi posse testatur. Hic enim ab vtrisque & legi & intelligi facilè potest, quando & illitterati, quæ foris patent, legere sciunt; & litterati reconditiora mysteria, quæ intus latent, perspicere queunt. Quo planè fiet, vt, quicumque hunc librum legerint, à maiori vsque ad minorem, Dominum agnoscant.

Ezech. 2.
Isaiæ 29.

I.

Verùm vt propositis exemplis res fiat illustrior, nos qui in minorum numero computari debemus, & erudiri ad salutem cupimus, ad ipsum Dominum in cruce pendentem accedamus, vt ab eo, quę nobis ad salutem necessaria sunt, discere possimus.

1.

In primis igitur dicet aliquis: Ego, Domine, qui minorum minimus sum, & ad scientiam salutis aspiro, mei ipsius, hoc est, vtriusq. partis meæ, animæ videlicet & corporis, cognitionẽ habere cupio: hoc enim Christianæ philosophiæ caput & fundamentum est. Desidero igitur ante omnia, animæ meæ dignitatem cognitam & exploratã habere, vt sciam qua cura & studio hanc mei partem præcipuam curare debeam. Si hoc igitur tantopere concupiscis, facilem tibi tuæ dignitatis agnoscendæ rationẽ tradam. *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, &c.* Hoc est, vide quæ pro anima tua liberanda passus sum; vide pretium quo illam à diaboli seruitute redemi: vide quæ illius expiandæ & ornandæ gratia tormenta pertuli: & ex huius pretij magnitudine, simul & mercatoris prudentia, mercis huius valorem æstimare poteris. Si enim aurum esse dicitur, quod auro emptum

est:

est: ergo sanguis Christi est, quod Christi sanguine redemptum est. Ea verò est sanguinis huius dignitas, vt vel vna eius gutta rebus omnibus, quæ à Deo siue in cælo siue in terra cōdita sunt, meritò anteferatur. Hoc ergo pretio animam tuam æstimare debes, & talem eius curam gerere, qualis eius dignitas existit: quæ tam pretiosa & chara Deo visa est, vt non dubitauerit vel vitæ suæ dispendio illam emere. Huius autem rei consideratione Augustinus, animæ suæ dignitatem & valorem æstimans, aiebat: Postquam intellexi me pretioso Christi sanguine esse redemptum, nolui me ampliùs exhibere venalem. O si vel hoc vnum cum animo suo cogitarent, qui more Esau rem adeò pretiosam propter momentaneam carnis voluptatem, vel vile lucrum, passim vendunt? Quid pius & prudens pater ageret, cùm hæreditatem, quam filio suo totius patrimonij dispendio comparauit, ille vilissimo pretio distraheret, quod protinus in ludo aleaq; consumeret? Quid ergo paterna illa Domini Iesu viscera sentient (si ea dolor attingere posset) cùm animas, quas ipse morte sua à diaboli potestate redemit, nos iterū exigui lucelli, aut voluptatis pretio, eiusdē satanæ potestati permittimus? Videtis igitur quomodo Christi vulnera, & pretiosus eius sanguis, animæ nostræ dignitatem & pretium declarant? Video planè: sed non solùm animæ meæ dignitatem, sed etiam carnis meæ fragilitatem, prauitatem, rebellionem, superbiam, intemperantiam, & cupiditatum eius vim agnoscere volo; vt intelligā qua cura & studio animā meam ab eius contagione & importunitate immunem conseruare debeam: hac enim ratione vtriusq. partis meæ plenissimam cognitionem nactus ero. *Infer ergo digitum tuum huc, & vide manus meas, &c.* Hoc est, agnosce vulnera, quæ propter sananda intemperantiæ tuæ vulnera sustinui: qua humilitate superbiā tuam, quibus corporis mei cruciatibus delicias tuas, quibus iniuriis ferēdis iracundiam tuam, quibus doloribus voluptates tuas, qua inopia auaritiam tuam, qua denique obedientia rebellionis tuæ vulnera sanare curauerim. Qualis enim illa superbia est, quæ tot conuiciis, tot alapis, tot plagis, tot sputis, tot contumeliis, ac postremò ignominiosissimo crucis supplicio curanda fuit! qualis illa auaritia, quæ extrema nuditate omnium rerum Domini sananda fuit! qualis illa intemperantia, quæ felle & aceto castiganda! qualis illa licentia, quæ affixis in cruce omnipotentis Dei manibus comprimenda fuit! Quis ergo adeò stupidus erit, qui huius medicinæ dignitate morborū suorū magnitudinē & naturæ vulnera non agnoscat? Minimū quidem Dominici corporis vulnus ad humani generis redēptionem satis erat: verùm is tā multa, tamq; atrocia in corpore suo vulnera excipere voluit, vt efficacissima in eis sanandis

August.

Simile.

II.

cupidi-

cupiditatum nostrarum vulneribus exempla atque remedia haberemus. Quæ enim tanta superbia erit, quam summa illa Dominicæ crucis humilitas nō deiiciat? Quæ tanta lucri cupiditas, quam crucifixi Dñi nuditas non extinguat? Quis tantus furor & iracundia, quam maxima Domini mansuetudo non leniat?

III. Pergis deinde, & virtutis atque iustitiæ dignitatē (circa quam salutis doctrina versatur) quanta sit, nosse desideras. *Infer ergo digitum tuum huc*, & considera cuius rei gratia hanc tantam prouinciam cælorum Dominus susceperit, vt non iam Prophetas, vt olim, ad homines destinauerit, sed ipse per se venire, & femineis visceribus includi, homo fieri, inter homines humano more versari, ac tandem post varios multiplicesque labores in crucem agi sustinuerit. Horum enim laborum causam Apostolus exponit, cùm ait: Dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Idemque rursus sub alia similitudine tradidisse se Christum ait propter Ecclesiam, vt exhiberet eam sibi gloriosam, non habentem rugam neque maculam. Hæc eius præcipua cura, hæc ardens illa sitis, quæ nec crucis quidem supplicio restingui potuit. Tanto enim spiritualis pulchritudinis (quæ in pietate & iustitia sita est) amore flagrauit, vt eam pretioso sanguinis sui cruore illustrare non dubitarit. Qualis ergo illa pulchritudo & species virtutis est, quam splendor paternæ gloriæ, & candor lucis æternæ, sanguinis sui purpurisso clariorem efficere voluit!

Tit. 2.

Ephes. 5.

Sap. 7.

IIII. Sed ais: Facilè hoc argumento virtutis pulchritudinem & dignitatem agnosco: sed quoniam prima iustitiæ pars est, à malo, hoc est, à peccato declinare, cupio etiam peccati deformitatem & malitiam perspectam habere; quo maiori illud odio prosequar, & quasi à facie colubri ab eo fugiam. Infer ergo digitum tuum in vulnera Christi; & diligēter animaduerte, cuius gratia his vulneribus fuerit cruentatus. Qua de re sic D. Bernardus: Filius, inquit, Dei iubetur occidi, vt pretioso sanguinis eius balsamo vulneribus meis medicina fiat. Agnosce ergo, homo, quàm grauia illa fuerint vulnera, pro quibus necesse fuit Christum Dominum vulnerari. Si non essent hæc ad mortē, & mortem sempiternam, nūquam propter illa Dei Filius mortis supplicium subiret. Itaque ex satisfactionis magnitudinie, debiti magnitudinem agnosce. Ea enim peccati deformitas & malitia est, vt iustitiæ diuinæ lege seruata, omnia omniū hominum atq. Angelorum merita vnius capitalis criminis debitum exoluere nequeant. Qualis ergo illa peccati iniuria extitit, quæ non alia ratione, quàm Vnigeniti Dei sanguine expianda fuit! Hoc eodem argumento summū Dei odium aduersus peccatum colligere

Bernard. in Serm. Na. Do-

ligere licet. Tanto enim illud odio prosecutus est, vt Filium dilectionis suæ, in quo sibi bene complacuit, ad mortem tradiderit, vt peccatum extingueret, & à fideliũ cordibus eliminaret. Itaq. cùm hinc amantissimi Filij mors, inde peccati regnum ei propositum esset; tãto ardore peccati regnum exscindere concupiuit, vt quando hoc nulla ratione commodiùs, quàm dilectissimi Filij morte, fieri poterat, non dubitauerit eum morti tradere, vt peccati regnum euerteret. Quale ergo odium hoc fuisse putandum est? Quale, quæso, esset viri alicuius erga inimicum odium, quod eousque progrederetur, vt; si non alia ratione inimicum occidere posset, nisi vnicum filium pariter occideret, nihil moraretur ambos eodem gladio transfigere, vt, ruente etiam filio, aduersarius simul occumberet! Hoc certè odio vix vllum excogitari maius posset. Huc vsque ergo Dei odiũ aduersus peccatum processit, quẽ constat Filium ad crucẽ tradidisse, vt in nobis peccatũ crucifigeret. Vnde facilè colligi potest, quem animũ Deus erga peccatorem gerat propriis peccatis inquinatum, quando ita se ob aliena delicta erga dilectissimũ Filium gessit. Hoc enim illa Saluatoris verba innuunt. Si hoc fit in ligno viridi, in arido quid fiet? Hinc etiam intelligere licet, quod Apostolus ait, nempe eos qui lethaliter peccant, iterum Dei Filium crucifigere: quoniam id committunt, quod illum iterum ad mortem impulisset, nisi mors antè suscepta ad hoc plenissimè suffecisset.

Simile. Luc. 23. Hebr. 6.

V. Satis quidem nos Domini vulnera ad iustitiæ amorẽ, & peccati odium, his rationibus quas modò retulimus, excitant; sed quoniam spes præmij calcar etiam torpentibus addit; vellem etiam, quæ laboribus meis spes proposita sit, intelligere: vt non solùm peccati odio, & virtutis amore, sed præmij etiam spe atq. desiderio ad pietatis & iustitiæ studium excitaret. Video enim Apostolum, vbi corporum nostrorum resurrectionem firmissimis rationibus comprobasset, adiecisse: Itaque, fratres mei, stabiles estote, abundantes in omni opere Domini, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino. Si igitur de resurrectione corporum (quæ altera gloriæ nostræ portio est) certior fieri vis, *Infer digitum tuum huc*, & tange loca clauorum: nec enim incredulitas tua Thomæ incredulitatem poterit superare; quæ hoc argumento conuicta fuit. Eadem quippe vulnera facilè declarant, idem illud corpus quod patibulo affixum, & tumulo clausum fuerat, à mortuis resurrexisse. Quamuis enim & vacuũ corpore Dominico sepulchrum, & testes Angeli illud ipsum corpus, quod tumulo conditum fuerat, surrexisse clament; vehemẽtiùs tamen hoc mihi probant illa vulnerũ indicia, quibus Dominus non credenti discipulo resurrectionis suæ fidem fecit, omnemq. illi dubitandi materiam sustulit. Hoc igitur argumento disce

1. Cor. 15

carnem istam tuam, si se hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem immolauerit, & se ipsam, vt spiritui seruiat, abnegauerit, cupiditatibusque suis necem intulerit, plenissimum laborum suorum fructum in resurrectione esse percepturam, & momentaneos eius labores æterna requie & lætitia compensandos. Nam de animæ gloria & felicitate quid attinet hoc loco dicere, & latè patentem materiam angustis finibus terminare? Satis enim ad hoc erit, si, eodem vsus argumento, inferas digitum tuum in vulnera Christi, vt hinc colligas, qualis illa beatorum gloria futura sit, quam æterna Patris sapientia sanguinis & vitæ suæ pretio comparauit: neque ipsam tantas opes malè collocasse vnquam pœnituit. Facilè ergo ex pretij magnitudine, propositæ mercedis dignitatem colligere licebit.

II.

VI. Iam verò si quis diuinæ iustitiæ pariter & misericordiæ magnitudinem velit agnoscere; quorum altero ad timorem, altero ad spem excitamur (quæ duo Propheta iunxit; cùm dixit, Beneplacitum est Dño super timentes eum, & in eis qui sperāt super misericordia eius) inferat digitum in hæc ipsa vulnera Christi, & oculi eius illico aperientur, quibus clarè vtrumq. cernere valeat. Quanta enim, quæso, illa iustitia fuit, quæ summum illum parentem impulit, vt amantissimū Filium ad mortem tradi pateretur, nec peccatum inultum relinqueret! Quantaq. rursus illa Christi misericordia, quæ in se omnium filiorum Adæ peccata & debita suscepit, vt ea non auro & argento, sed sanguinis sui pretio dissolueret! Is enim, vt nos à communibus generis humani ruinis atque vastitate defenderet, & cum Patre, à quo diffidebamus, in gratiam reduceret, se medium inter infensum nostro sceleri numen & nos ipsos interposuit, diuinæque seueritatis tela in homines intenta, vnus pro vniuersis excepit, sanguineque suo omne humanum nefas extinxit, atque nos cum Deo, cuius legem oppugnabamus, miro amore coniunxit. Quo autem Filij supplicium extitit acerbius, eo & Patris æterni iustitia seuerior, qua peccatum tam acri animaduersione puniuit: atq. eo itē misericordia maior, quę gratis tā copiosum redēptionis munus delinquētibus tribuit. Cumque misericordia & iustitia inter se pugnare videantur, & altera alteri locum non relinquere; diuina tamen sapientia sic eas in vnum copulauit, vt iustitię magnitudo, misericordię magnitudinē non excluderet, sed augeret. Quo enim iustitia erga Filiū seuerior, eo misericordia erga seruū copiosior; cui videlicet tā copiosa redēptionis gratia sine vllo suo merito data est. Inter præclara Gentiliū facta hoc magnis laudibus prædicatur, quod præfectus quidā adeò iustitiæ cultor extitit, vt pro adulterij crimine quod filius admiserat,

Psal. 146.

alterum

alterum oculum filio, alterum sibi erueret. Duos igitur læsæ parti oculos pro vna filij morte obtulit. At quanto maius seueritatis, & iustitiæ argumentũ est, amantissimi filij vitã propter aliena crimina ad mortẽ tradere, quàm nocẽtis & adulteri filij oculum vnum eruere! Itaq. cùm Filius in cruce in mediis dolorum fluctibus à Deo Patre relictus esset, Filiusq; ad Patrem clamaret, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? respondere vtiq. cælestis Pater potuit; Dereliqui te, amantissime Fili, ne iustitiæ leges violarem, ne peccatum inultum maneret, ne quid inordinatum in mũdo existeret, si culpa sine supplicio esset; ne ita misericordiam explicarem, vt iustitiæ legem desererem.

VII. Sed dicet aliquis forsitã: Magnos ista mihi ad pietatis & iustitiæ studium stimulos addunt: sed quoniam vitæ Christianæ perfectio in charitatis perfectione sita est; charitas autem in Deũ perfecta, ipsius in nos charitate maximè augetur, quanta sit eius in me charitas, cum primis discere vellẽ. Vt enim ignis igne, ita charitas mutua charitate maximè inflammatur. Si hoc igitur scire cupis, infer digitum tuũ, & vide manus eius; & affer manum tuam, & mitte in latus eius. Sunt quidem magnifica opera, quę olim Dominus in populi sui gratiam designauit: quibus potentiæ suæ magnitudinem declarauit; at quanto maiora sunt, quibus immensas charitatis & misericordiæ suæ opes hominibus ostendit! Ipse quidem omnipotẽtiam suã notã mundo fecit, cùm ad vocem ducis sui Iosue properantem in itinere suo Solem in cælo stare fecit immotum; cùm maris rubri fluctus contortis in se vorticibus aquarũ diuisit; cùm tot immissis plagis Aegyptum attriuit; cùm aquarum fontem è durissimo silice eduxit; cùm omnes Aegyptiorum filios natu maximos vna nocte interemit. Hæc verè maxima sunt, & quæ mirabilem Dei potentiã apertissimè demonstrant; at quanto maiora sunt, quæ is, vt misericordiam & charitatem in homines declararet, operatus est? Magnum profecto fuit, quòd Sol in cælo steterit immotus; at quanto maius, quòd ipse Sol iustitiæ è cælis in terram salutis nostræ causa descenderit! Magnum, quòd per vndas maris rubri iter populo suo in terrã promissam patefecit; at quanto maius, quòd per sanguinis sui vndam iter nobis in cælum aperuit! Magnũ fuit, quòd tot plagis Aegyptios affecerit; at quantò maius est, ipsum tot plagas in corpore suo nostri causa suscepisse! Magnum, quòd percusso silice populo sitienti aquã præbuit; sed quãto maius, quòd pretiosum latus suum aperiri lancea passus est, vt inde nobis vitæ fontem propinaret! Magnum denique fuit, hostium primogenitos propter liberãdos adoptionis filios ad mortẽ tradidisse; at quanto maius & mirabilius est, quòd Pater æternus amantissimum Filium occidi passus fuerit,

Simile. Iosue 10. Exod. 14. Exod. 17. Exod. 11.

vt indignos seruulos à diaboli potestate redimeret? Quod enim maius veræ dilectionis signum exhiberi hominibus potuit? Meritò enim huius tantæ dilectionis admiratione Ecclesia stupefacta exclamat: O ineffabilis dilectio charitatis! vt seruum redimeres, Filium tradidisti. Si ergo scire cupis, quanta Christi sit erga homines charitas, infer digitū tuū in manus, & mitte manū tuam in latus eius: hoc est, admirāda hæc eius opera considera: hæc enim tibi amoris eius certissima signa dabunt. Quā eius charitatem hoc præcipuè nomine commendat Apostolus, quòd non solùm ad pios & amicos, sed etiam ad impios & hostes progressa sit. Vix enim, ait, pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commēdat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus secundùm tempus, Christus pro nobis mortuus est. Quòd si quæras, quinam sint inimici isti; non dubiū quin omnes illi, qui eum in crucem sustulerunt. Sustulerunt autē illum nō solùm carnifices illi, qui tanti sceleris ministri fuerunt, sed omnes etiam posteri Adæ, propter quorū scelera expianda in crucē sublatus est. Cuius rei illud indicio fuit, quòd nō aliquis seorsum solùs, sed omnis turba simul, (quę totius generis humani typū gerebat) illum ad necē postulauit. Itaq. nos illū sceleribus nostris crucifiximus, & mortē ei, cæteraq. supplicia irrogauimus. Cùm enim manus nostras ad incōcessa porreximus, tūc innocentes eius manus ligno crudeliter affiximus. Cùm pedes nostri veloces ad cursum mali operis extiterūt, tūc beatos illius pedes immissis clauis terebrauimus. Cum cor nostrū omnibus impuris cogitationibus patuit, tūc sacrū eius latus lancea perforauimus. Cùm exquisitis deliciis & voluptatibus carnis nostræ lasciuiā & petulantiam auximus, tunc illū amaro fellis & aceti calice potauimus. Cùm deniq. corpus & caput nostrum nimio cultu pretiosisq. monilibus ornauimus, tūc illū purpureo vestimēto illusimus, & regiū eius caput spinarū aculeis coronauimus. Neq enim diaboli satellites talibus Dñm iniuriis afficere potuissent, nisi nostra illis crimina, & clauos, & malleos, & flagella præbuissēt. Itaq. si adhuc hæres & dubitas an te diligat Christus, infer digitū tuū, &c.

Rom. 5.

Sed dicet aliquis forsitan: Quomodo ergo si me diligit Christus, tot laboribus & calamitatibus premi; quomodo inopia atq. inedia cōfici patitur? non enim Deus amat, & deserit. Ad hoc tibi paucis D. Bernard. respondet; Non, inquit, interroges homo quæ pateris, sed quæ ille pro te passus est. Quanti enim te fecerit, ex iis quæ pro te passus est, cognoscere potes. Quòd si tibi opes istas, & felicitatem quam expetis, nondum largitus est; quære etiam quod pater ægrotanti filio, importunissimisq. vocibus frigidam petēti constanter negat. Piè siquidē negat, quod crude-

Bernard.

Simile.

crudeliter largiretur. At non minus interdum opulentia ista quam expetis, hominibus, quàm aqua frigida ægrotantibus nocet; alioqui nunquam Propheta dixisset; In labore hominũ non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua. Senectutem & inopiam omnes grauiter accusant, quibus tamen hoc debent, quòd indigna multa nõ cõmittant; senectus enim cupiditatem frenat; paupertas verò multis sceleribus materiam subtrahit. Psal. 72.

Constat igitur ex iis, quantum nobis Dominicæ crucis mysterium ad veram Philosophiam atque sapientiam conferat. Qua enim ratione harum rerum quas supra memorauimus dignitatẽ agnouimus; eadẽ quoq. aliarũ ad salutẽ nostram pertinentium pretiũ agnoscere poterimus. Cùm enim nihil admirabilius humanæ menti, quàm omnipotens Deus in cruce pẽdens obiici possit, isq. tantũ hoc supplicium subire voluerit, vt homines à diaboli potestate redimeret, vt à peccatis expiaret, vt pietatis & iustitiæ muneribus ornaret, vt cum Patre suo in gratiam reduceret, vtque illos in cælestis patrimonij possessione collocaret; quid in his minimum esse poterit, si ad Deum in cruce pendentem conferamus? Quid verò magis immensam Dei erga homines charitatem, quàm hoc eius singulare beneficium patefaceret? Præclarè quidem D. Bernard. Tale est, inquit, erga nos cor Dei Patris, quale nobis expressit qui de eius corde processit. Quod idẽ ipse Saluator significauit, cùm Philippo dixit: Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Itaq. nihil aberrauerit, qui Dominicam crucẽ spiritualium rerũ stateram iustissimam appellauerit. Vt enim statera rerum omnium corporearũ pretia & pondera sine vllo errore declarat, ita Christus Dominus propter cõstituendam generis humani salutẽ in crucis statera pendens, spiritualiũ rerum pretium & dignitatẽ apertissimè declarat. Hæc enim omnia ad illũ relata, & sanguinis eius pretio stabilita, quid habeant dignitatis, facilè ostendunt. Cuius rei cognitio miro modo ad pietatẽ & iustitiã adiuuat. Omnium enim malorũ (vt ait Seneca) fons & origo est, quòd nõ ad rationem, sed ad opinionẽ viuimus; quòd vera rerum pretia ignoramus, quòd earum valorem non ex illarum natura, sed ex vulgi temeritate atq. iudicio metimur. A quo malo nos iustissima Dominicæ crucis statera liberat, quæ rebus omnibus ad animæ salutem pertinentibus pretium suum & dignitatem tribuit. Bernard. Simile. Seneca.

III.

Hoc igitur vulnerum Domini argumento, quo mens nostra ad rerum diuinarum cognitionem illuminatur, fides quoque Apostoli Thomæ, quæ mortua erat, excitata & illuminata est. Vbi enim hæc sacratissima vulnerum signa vidit, maxima voce

maiorique fide exclamauit: *Dominus meus, & Deus meus.* Quibus verbis non solùm Dominicę resurrectionis veritatem adstruxit, sed etiam diuinitatis gloriam apertissimè confessus est. Cui Dominus: *Quia vidisti me Thoma, credidisti. Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Nos ergo (dicet aliquis) beati, qui cùm non vidérimus, credimus. Fateor sanè: si eo tamen modo credimus, quo beatus hic Apostolus credidisse se ostendit, cùm illam confessionis vocem toto pectore expressit: *Dominus meus, & Deus meus.* At, inquis, hoc ipsum & ego dico, & quotidie quidem dico, cùm Christum Dominum meum ac Deum meum confiteor & adoro. Rectè sanè; sed meminisse tamē debes, ab eodem Domino dictum esse, veros adoratores adoraturos Patrē in spiritu & veritatē. Illi autem in spiritu & veritate Deum adorant, qui non solùm vera fide, sed etiam obedientia, & parendi studio, illius imperium & dominium confitentur. De aliis namq. idem Saluator ait: Vt quid vocatis me Domine, & non facitis quę dico? Tales ergo frustra Christum appellāt Dominum. Christum enim in ore, diabolum verò in corde gestant: & Christum sola informi fide, rebus autem ipsis & obedientiæ studio dæmonem appellant Dominum. Quid exhorruistis, fratres? An non res ipsa, vel nobis tacentibus, clamat; Vtrorumque obedientiam examinemus, vt verum esse appareat quod testificamur. Suggerit satellitibus suis ille qui malorum omnium auctor est, vt peierent, vt mentiantur, vt fenerentur, vt conuicientur, vt proximos odio prosequantur, vt eorum famæ detrahant, vt aliena felicitate contabescant, vt clancularijs delationibus & maledictis factiones & discordias inter homines nutriant, vt inexplebili auiditate, omnia quæ viderint, concupiscant, vt voluptates vndique exquirant, vt vanitati & oculis hominum seruiant: quę illi omnia libētissimè, cum dispendio etiā rerum suarū, & vitæ periculo, exequuntur. Contrà verò Christianos Dn̄s quotidianis Ecclesiæ vocibus ad pietatem, castitatem, ad iustitiam, ad laborum patientiam, ad veram cordis humilitatem, ad benignitatis officia, ad misericordiæ opera, ad mūdi contemptū, ad peccati odium, ad pœnitentiæ studium adhortatur. Quis igitur has voces intra cordis sui aures admittit? quis opere implere studet quod auribus hausit? Cùm hæc igitur ita sint, vter horum verè Dominus iudicandus est, illéne, cuius præceptis obtemperas, quamuis verbotenus hostē appelles; an ille, cuius præcepta contemnis, quamuis Dominum voces? An non meministi ex duobus filijs quos Saluator Iudæis in exemplum proponit, quorum alter, obedientiam patri pollicitus, nihil præstitit; alter, obedientiam verbis quidem detrectans, iussa patris impleuit; priorem à Domino inobedientem, posteriorem verò obedientem appellatum?

Ioan. 4.

Mat. 21.

tum? Vera enim obedientia non in verbis, sed in operibus sita est. Itaque Dominus non inanes voces & verba, sed opera præcipuè, & parẽdi studium à nobis requirit. Quid ergo attinet dæmonem verbo solùm detestari, abominari, & audito eius nomine horrere, in terram expuere, & frontem signo crucis munire, si tu mandatis eius obtemperas, si spiritu eius duceris, si illius superbiam, inuidiam, odium in homines, mendacia, & mores imitaris! si denique, quod ille suggerit, a mbabus (quod aiunt) manibus amplecteris? Rursum quid adiuuat Christum voce tenus Dominum appellare, si illius imperium recusas? si vniuersa eius præcepta contemnis? si nullo eius amore aut reuerentia tangeris? Si Pater (inquit ille) ego sum, vbi est honor meus? Si Dominus sum, vbi est timor meus? Itaque si verè illum Dominum & appellas & adoras, da operam, vt illum in spiritu & veritate adores. Tunc autem verè & piè adorabis, cùm Domini appellationem fidelis obedientia fuerit consecuta; cùm vocem & orationem tuam vitæ puritas comitabitur. Hinc sponsus in Canticis priùs faciẽ Sponsæ videre, quàm vocem audire cupit. Ostende, ait, mihi faciem tuam; hoc est, puritatem animę tuę, & tunc demum sonet vox tua in auribus meis. Alioqui, si sola tantùm Domini vox eius auribus insonuerit, in promptu est, vt tibi ipse dicat: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; sed qui facit voluntatẽ Patris mei, &c. Nequaquam ergo summus ille puritatis & veritatis amator pulchra voce gaudet, si animæ facies deformis sit.

Malac. 1.

Cant. 2.

Matth. 7.

Adde etiam, quòd si Thomæ fidem imitari cupis, non Dominum solùm, sed etiam Deum appellare Christum debes, quemadmodũ ipse appellauit. Iterum hoc in loco dices, te simili modo vtrunque & Deum & Dominum Christum confiteri. Fateor ita esse, informis enim fides hoc efficere potest. Sed memineris velim, quòd sanctorum Patrum scripta vbiq. testantur, nempe hoc vnicuique Deum esse, quod ab eo præ ceteris colitur: illud enim est nobis Deus, quòd maximè intuemur, quod ardenter diligimus, in quo vitæ præsidia collocamus. Vnde fit, vt aliorum quidem Deus venter sit, qui beatæ vitæ summam in ingluuie ponunt; aliorum venerea voluptas; tum alij pecuniam, alij denique inanes honores, & vana imperia, vt numina venerantur. Quidquid illud est, denique quod summum esse statuis, quod ardentissimè cõcupiscis, quod studiosissimè consectaris, in quo beatæ vitæ rationem ponis, id tibi Deus est. Hoc enim nomine Paulus auaritiam, idolorum seruitutem esse dixit. Si tu enim aurum plus diligis quàm Deum; si diuitiis magis seruis quàm Deo; si in illis fiduciã tuam, & felicitatem & omnia vitæ subsidia, vero Deo prorsus neglecto, collocaueris; vter, quæso, tibi re

Coloss. 3.

atque opere ipſo Deus, Chriſtus, an Mammona,eſt? Iam verò cùm aliquando honoris, vel voluptatis, vel rei tuendæ ratio. & Chriſti præcepta ſibi inuicem obſiſtunt (quod aliquando fieri neceſſe eſt, vt vtrunque ſimul tueri non poſſis,nec alterum ſine alterius iactura retinere) tu verò maiorem honoris & pecuniæ quàm Dei rationem habes,& ne illa amittas, Chriſti gratiam & amicitiam amittere non vereris : nónne illa in pectore tuo ſuperiora & maiora Deo facis? nónne illa vltimum finē (quod eſt diuinitatis proprium) ſtatuis? nónne illa in Dei ſede collocas? Quomodo ergo re ipſa Chriſtum Deum appellas, qui honores, qui diuitias, qui ipſam deniq. fœdiſſimā voluptatem Deo anteferſ? O verè dignum tali cultore deum! Quid enim vilius, quid turpius, quid magis ſordidū, quàm ventrem ſibi deum facere? An non pudet adeò nobilem creaturam ſic à nobilitatis ſuæ dignitate degeneraſſe, vt tam turpis dei obſequio addicta ſit?

Ex quibus id colligere licet, fratres,quòd quamuis vera idololatria Apoſtolorū opera è mundo ſublata ſit, ſpiritualis tamen idololatria in multorum mentibus perſeuerat. Et quidem vera idololatria eſt,argentum & aurum deos credere; ſpiritualis verò idololatria (auctore Paulo) eſt,argentū & aurū ſupra Deum diligere,& propter illa Deum contemnere. Itaque vt aliquādo in morbis euenire ſolet, vt ſtomachi morbus in caput migret; ita idololatria ab intellectu in voluntatem aliquando demigrauit. Olim quippe mundus creaturas deos eſſe credebat; modò verò illas tanquam Deum, imò ſupra Deum diligit. Quicunque igitur hoc animo ſunt, nondū eodē affectu, quo Thomas Apoſtolus illā cōfeſſionis vocē exprimunt, *Dominus meus, & Deus meus.* Thomas enim adeò conſentientem cum intellectu habuit voluntatem, vt Dei amore ſaucius, & vitæ ſuæ, & omnibus quæ in vita chara eſſe poſſunt, longè antetulerit. Poſtquam enim Parthis, Medis, Perſis, Hyrcanis & Bactrianis, Euangelium prædicauit, & Chriſti fidem, partim doctrina, partim miraculis, partim clariſſimis virtutū exēplis longè lateq. propagauit, tandem ab his, qui luci veritatis infenſi erant, primùm eſt candentibus laminis aduſtus, deinde in fornacem cōiectus, ac poſtremò lanceis confoſſus. Ita qui adeò incredulus antea extitit, vt niſi immiſſa in latus Chriſti manu ſe nullatenus crediturum affirmaret, ita poſtea fidelis & conſtans in fidei confeſſione perſtitit, vt corpus ſuū igni & ferro cruciandū atq. mactandū promptiſſimo & alacri animo tradiderit. Hāc ergo nos fidē, fratres, charitatis affectu, obedientia, obſequio, & fortitudinis atq. conſtantiæ robore inſtructā atq. munitā imitari ſtudeamus, vt ipſa nos tandē bonorum operū & patientiæ fructu cumulatos, ad ſempiternæ beatitudinis regnum Domino dirigente perducat.

Simile.

IN FESTO B. IOANNIS EVANGELISTÆ, CONCIO PRIMA: QVÆ lectionem Euangelicam explanat: in cuius fine, quid sit spiritualiter in sinu Iesu recumbere, & qua ratione fidelis anima ad hoc peruenire queat, differitur.

THEMA. *Vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœna supra pectus eius.* Ioannis vltimo.

MOS est apud Reges, & Principes viros, quo die filius eis nascitur (præsertim si is natu maximus, & totius patrimonij hæres futurus sit) festũ diem agere, & munifica etiam ciuibus suis dona largiri. Magnæ enim felicitatis esse putant, habere quem libenter facultatum suarum hȩredem relinquant, & quo nomen suum ac genus posteritati commendent. Hinc in Græcorum historiis memoriæ proditum est, Philippum Macedonum Regem, Alexandri patrẽ, cùm eodem die duo ad eum faustissima nuncia perlata essent; alterum, quòd exercitus eius bello victor extitisset; alterum, quòd Olympia vxor filium peperisset; felicitatis huius magnitudine permotum exclamasse; O dij, leui aliquo nunc incommodo afficite me! Qua oratione prudentissimus Rex, & fortunæ inconstantiam (quæ nunquam eandem semper faciem retinet) & parentum de noua prole lætitiam satis declarauit. Quòd si tanta lætitia recens natus filius parentes afficit (quamuis non ignorent felicitatem hanc sæpe insidiosam, & parum stabilem esse) quantam hodie intemeratæ Virginis lætitiam fuisse credendum est, quæ talem filium, sine vllo aut pudoris detrimento, aut doloris sensu, ad salutem mundi enixa est, & quæ in regno iam immortalitatis posita, nullam felicitatis huius iacturam pertimescit? Nihil enim ibidem fallax instabilisque fortuna, nihil casus potest, non eo nubilosi huius aëris turbines tempestatesque perueniunt. Non enim erit ibi amplius neque luctus, neque clamor, neque vllus dolor; quoniam priora transierunt. Apoc. 21.

Sed additur interim hodie lætitia lætitiæ, & felicitas felicitati. Duorum enim filiorũ Virginis Mariæ natales dies hodie celebramus. Scitis namq. duos Virginis sanctissimæ (quãuis valde inter se dissimiles) filios extitisse; alterũ quẽ cũ summo gaudio, & Angelorũ cõcentu peperit, nẽpe Christũ Dñm; alteru, quẽ cũ summo

summo dolore, & totius orbis mœrore suscepit, Ioannem scilicet Euangelistam, qui à moriente in cruce filio Virgini matri in filium datus est. Ei namq. iuxta crucem assistenti pendens in cruce Dominus ait; Mulier, ecce filius tuus: Ioanni verò, Ecce mater tua. Quæ quidem Domini vox, ad hanc filij dignitatem discipulo singulari quadam ratione conferendam satis fuisse credenda est. Si enim Reges sola vocis appellatione ex Equitibus Comites vel Duces faciunt; quid faciet illa cælestis Regis atq. omnium Domini vox, qui vocat ea quę non sunt, tanquam ea quæ sunt, cùm sacræ Virgini, matris; Ioanni verò, filij nomen indidit? Qua quidē appellatione sic cor Ioannis illo tempore erga Virginem affectum est, sic nouam matrem nouo est amore & reuerentia prosecutus, sic denique se totum eius tradidit obsequio, ac si verè naturæ ordine filius extitisset, & multo etiam amplius. Quod planè idem Euangelista designauit, cùm ait: Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam: hoc est, ita eam coluit, ita erga illam affectus fuit, ac si naturā eius mater esset. Si enim D. Ambrosio dicere licuit, se non minùs diligere quos per Euangeliū Christo lucrifecisset, quàm si carne genuisset (cùm non sit, vt idē ait, infirmior gratia quàm natura) quid de Ioanne credendum est, cui à dilectissimo Magistro mater Virgo virgini discipulo in matrē data est? Qua dignitate quid gloriosius? Nihil enim præter cælestem Patrem Christus neque in cælo, neq. in terra, matre sua charius habet: quā tamen discipulo in matrem assignans, ex discipulo fratrē fecit. Quòd si ita Ioannes matrē Virginē dilexit, non minus vtique ab ea dilectus fuit, vtpote qui ab amantissimo filio in ipsius locū fuerat subrogatus. Huius ergo posterioris filij natalem hodie quoq. celebramus. Scitis enim, fratres, Sanctorū mortes ab Ecclesia natalium nomine nuncupari. Quia enim sancta Ecclesia nō adeò carnis, sed fidei oculis omnia considerat; ideo vbi carnis oculi nihil nisi luctum & mortem vident, suis illa oculis non mortem, sed natiuitatem intuetur. Si enim natalis dies est, quo homo ex angusto materni vteri ergastulo in hanc fragilē vitam moriturus ingreditur; quomodo non magis natalis dies erit, cū ex hac ærumnosa vita in sempiternam illam nunquā moriturus intrauerit? Si ergo (vt antè diximus) tanta lætitia parentes filiorū natalitia celebrare solent, & magna item munera gratulantibus largiri; quid à sacra Virgine hoc die sperandum est, in quo non vnius, sed duorū filiorū natalis dies celebratur? Vt igitur faustissimum hunc diem religiosè & piè recolamus, cælestem opem, eiusdem sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

Simile. Rom. 4. Ioan. 19. D. Amb.

AVE MARIA.

In lectione sancti Euāgelij, fratres, Ioannis Euangelistæ laudes

des breuiter explicantur. Ea enim huius sancti viri humilitas fuit, vt idem ipse laudum suarum præconia, Spiritu sancto dictante, sine vllo iactantiæ motu commemoraret. Hoc enim familiare plurimis Sanctorum fuit, vt virtutum suarum ipsi prædicatores existerent; vtpote qui ab inanis gloriæ periculo tam immunes erant, quàm apertè omnia quæ habebant, non laudes suas, sed Dei gratuita dona esse credebant. Sic Moyses mansuetudinem suam; sic Dauid pluribus in locis innocentiam suam; sic Paulus fidem, iustitiam, patientiam, ieiunia, cæterasque virtutes suas commemorat: qui omnes, cùm virtutes suas numerant, Dei laudes prædicant, & ad eius amorem & obsequium homines inuitant. Quid enim aliud regius Vates intendebat, cùm diceret: Venite, audite, & narrabo vobis omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. Nihil ergo mirum, si sanctus Euangelista Christi laudibus suas quoque laudes attexerit; vt virtutum suarum commendatione, ipsum magis virtutum auctorem Dominum commendaret. Quæ tamen Sanctorum exempla non omnibus imitanda proponuntur, nisi iis tantùm qui simili modo altas in charitate & humilitate radices iecerunt. Nos enim qui stipula leuiores, quauis humanæ laudis aura concitamur, non modò nostra commendare, sed etiam laudantes alios libenter audire prohibemur.

Psal. 65.

Sed quoniam huius sancti Euãgelij lectio à superiore narrationis parte pendet, ideo paulo altiùs eius explanatio repetẽda nobis est, vt totius historiæ seriẽ intelligamus. Igitur cùm Dominus ac Saluator noster post passionem & resurrectionẽ suam in cęlum iturus, & corporis sui pręsentiam esset hominibus subtracturus, ne Ecclesia visibilis, visibili Pastore careret; illius gubernacula, & cælestis regni claues, quas antè Petro pollicitus fuerat, tunc re ipsa tradidit, & oues suas illi pascẽdas commisit.

Atque vt leges & stipendia huius tanti muneris declararet, eidem ait: Cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: postquam autem senueris, alius te cinget, & ducet quò tu nõ vis. Hoc autem dicebat, significans qua morte clarificaturus esset Deum. Hoc igitur muneris huius præclarum stipendium est, hæc pastoralis curæ prima lex, vt bonus Pastor animã suam ponat pro ouibus suis: quam & Princeps pastorum Christus posuit, & cæteris idem suo exemplo cõmendauit. Hoc exemplum Petrus & Paulus, Ecclesiæ principes, hoc cæteri Apostoli, hoc Prophetæ, hoc Pontifices sanctissimi, hoc inuicti Martyres sectati sunt: qui omnes ita Dei gloriã illustrarunt, vt omnia suppliciorũ genera perferre, quàm fidem & obedientiam ipsi præstitam violare maluerint. Hoc enim est verè Dominum glorificare, cùm illius legi & imperio nihil anteferimus, cùm tantum

Ioan. vlt.

Ioan. 10.

 illius

illius gloriæ, maiestati & bonitati tribuimus, vt dignissimum illum existimemus, pro quo omnia vitæ ornamenta, & vitam ipsam profundere debeamus. Cùm igitur Petrus hanc gloriam sibi à Domino destinatam intellexisset, quærit etiam de dilectissimo Ioanne: *Domine, Hic autẽ quid?* Hoc est, si mihi fœdifrago, qui te in passione non modò deserui, sed etiam negaui, hanc laudem & gloriam seruasti, vt idem mihi crucis vexillũ, in quo tu salutem mundi constituisti, concesseris; quam, quæso, gloriam huic tam familiari amico paratam seruas, qui in sinu tuo recubuit? qui cæteris discipulis fugientibus, vnus te secutus est, vnus se tibi comitẽ præbuit? vnus astitit ante crucem, quem ex discipulo fratrem reddidisti, dum illi matrẽ tuam cõmendasti?

Ioan. vlt.

Quæret fortasse aliquis hoc in loco, cur adeò gloriosum sit variis calamitatibus in hac vita premi. Hac enim de causa Petrus de Ioanne quærit, quo supplicio afficiẽdus esset; nimirũ intelligens hãc esse præcipuã seruorum Domini gloriam, vt, quo quis apud Deum in maiori honore & amicitia sit, eo maioribus in vita doloribus exagitetur. Si huius rei causam quæris, ea est multiplex atque mirãda vtilitas, quæ huiusmodi laborũ perpessionem cõsequitur; atque illa in primis quã Apostolus commemorat, nempe quòd faciat Dñs cum tentatione prouentum; hoc est, aucta tentatione, augeat & robur, & gratiam, vt possimus sustinere. Itaq. cùm mundus in pios homines maximè sæuit, tunc Deus maximè blanditur, cùm ille persequitur, hic consolatur; cùm ille deserit, hic præstò adest: & quo magis calamitatis immanitas crescit, eo magis diuini præsidij lumen affulget. Itaque si Sacramenta nouæ legis iure quidem in maximo pretio habentur, quòd ea ex diuina institutione dignè suscipientibus gratiam conferant; tribulationes quoque, quamuis dissimili ratione, in magno pretio habendæ sunt: quæ licet non eodem modo gratiam conferant: cõferunt tamen ex Dei pacto, & promissione; qui se iustis semper affuturũ in calamitate promisit. Quin eo blandiùs suos Dñs consolatur, quo violentiùs aduersus eos fremit mundus. Contemplare mihi, quæso, Apostolum Paulũ, & vide quæ à Dño solatia in laboribus suis percipit. Raptatur, trahitur, proteritur, & pugnis cõtunditur Hierosolymis; at in eadẽ nocte ipsum cæli ac terræ Dñm audit ad cõstantiam inuitantẽ, & animũ addentẽ, & incolumitatẽ ac vitã promittentem, & de se in vrbe Roma testimoniũ laturum pollicentẽ. Lystris verò flagellis cæditur cũ Sila, sed eadẽ nocte cæleste lumen in carcere fulsit, & omniũ qui in eo erant vincula soluta fuerũt, ipsiq. vno ore media nocte Dei laudes decantabant. Iactatur in mari sæuissima tẽpestate; sed media nocte astat illi Angelus, salutẽ ei & vectoribus cũctis ob eius gratiã promittẽs. Quid verò

Tribulatio vtilis

1. Cor. 10

Act. 16.

Act. 17.

Petrum

Petrum Apostolũ referã? an nõ & ipsum, cũ in carcere duabus catenis vinctus stringeretur, media nocte Angelus superueniẽs, & tenebras carceris illuminans, vinctum soluit, saluumque & incolumem Ecclesiæ pro eo Dñm deprecanti reddidit? Quid hîc protomartyrem Stephanũ cõmemorem? An nõ is dum aduersus illum Iudæi lapides fulminãt, apertis cælis vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei, velut in procinctu adiuuare paratũ? Quis hoc solatio lapidũ grandines, & sæuientem mundum forti & elato animo non ferat? Quis grauissima incõmoda vitæ pro maximis lucris non cõputet, si hac tãta cælestium munerũ vsura fruatur? Quid verò Ioannes Euãgelista, cuius hodie festũ celebramus? an non ipse in feruentis olei dolium missus, diuinã in se virtutem expertus est, cùm nõ minori miraculo ab hoc igne, quã tres olim pueri à fornace Babylonis, ereptus fuerit? Quid cùm in Pathmos insulam relegatus est? An non ibi Apocalypsim conscripsit? An non ibi totius Ecclesiæ statũ, futurorum tẽporum euentus, clades impiorũ, passiones Martyrum, & gloriam electorum (qui ex omnibus gentibus cooptãdi erãt) Angelo mõstrante cognouit? Quid deniq. cùm iuxta crucem assisteret, dilectissimiq. magistri lacerum corpus acerbissimo animi sui mœrore cerneret; an nõ in doloris huius solatium matrem Dei accepit in matrem? Videtis ergo quàm verè dictum sit, Dominum facere cum tentatione prouentum, vt possimus sustinere; qui tot in electos suos beneficia, ad vim & impetum calamitatum fortiter sustinendũ, confert? Quibus rebus, incredibile dictu est, quanta in animis eorum exardescat amoris erga liberatorem & consolatorem suum magnitudo, quanta fiducia, quanta suauitas, cùm iam non solùm fide, sed etiam beneficiis exhibitis summam Dei bonitatem, veritatem, fidem, charitatem, & paternam erga se prouidentiam experiantur, ac veluti manibus contrectent: quæ res eos ad omnia virtutum officia miro modo promptos & alacres reddit. Videtis ergo qua benignitate Dominus electos suos, ad maiorem ipsorum profectum, variis calamitatum fluctibus exagitari patiatur? Nec verò refert quòd iisdem calamitatibus impij sæpiùs disrumpantur, & veluti dolore furentes, in varia se scelera, horrendaque flagitia præcipitent: hoc enim non medicamentorum, sed ægrotantium vitium est, qui medicamentis ipsis in perniciem suam abutuntur. Sicut enim eodem igne ceram liquescere, lutum verò durescere videmus; ita eodem tribulationis igne & boni meliores, & mali deteriores euadunt. Cuius rei velut imaginem quãdam rubri maris vndæ exhibent, quæ filiis Israël pro muro erãt à dextris & à sinistris; quæ tamẽ insequentibus Aegyptiis exitio fuerũt. Iã verò nubes illa quę Israëlitarũ castra

Act. 12. Act. 7. Simile. Exod. 14.

castra ab Aegyptiis separabat, illis quidem lucem præferebat, his verò tenebras obfundebat. Quocirca mirum non est, si, quæ impiis ruinarum occasio sunt, piis virtutum, & profectus instrumenta fiant; quæ nisi ad hoc valerent, nunquam Dominus amicissimos sibi homines tot cladibus vexari pateretur: ideoq; non temerè Petrus martyrio vitam finiturus, de dilectissimo Ioanne quærit, cùm ait: *Hic autem quid?* Cui Dominus: *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere.* Hoc est, Si ego illum in hac vita superstitem, & passionis expertem permanere volo, quid hoc ad te? quid gloriam tuam minuit, si eiusdem gloriæ comitem non habeas? *Tu me sequere:* nimirum meis vestigiis insistens, & eodem quo ego crucis supplicio ascensum tibi in cælum parans.

Quibus Domini verbis discipuli intellexerunt, Ioannem nequaquam moriturum. Quorum mentem Ioannes ipse corrigit dicens: *Et non dixit illi Iesus, Non moritur, &c.* Hactenus de Euangelica lectione: nunc ad proposita thematis verba redeamus.

Tractatio Thematis.

I.

Vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœna supra pectus eius. In his verbis summa Ioannis excellentia prædicatur; qui cum tanto amore à Domino diligeretur, vt, quemadmodū Philosophi nomine, Aristotelem, propter singularem eius eruditionē, intelligimus, quamuis Philosophi alij apud Græcos & Latinos clarissimi non defuerint; ita planè quamuis discipuli omnes à Christo mira charitate diligerentur (quod idem ipse testatur; cùm ait, Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos) adeò tamen familiari dilectione Ioannes ab eo diligebatur, vt inter dilectissimos discipulos, hoc singulare dilecti nomen sibi solus vindicaret. Hæc autem maxima Ioannis excellentia est, quæ sola homini ad felicitatem sufficit, quæ bonorum omnium atque gratiarū fons est; sine quo frustra cætera Dei dona habentur. Hinc enim & prædestinatio, & vocatio, & magnificatio, & sanctificatio, multaque alia diuina beneficia oriuntur. Hæc sola hominē felicem efficit, sine qua miser esset, etiam si omniū aliorum bonorum compos esset. Id adeò verum est, vt eos etiam, qui in gehenna cruciantur, non solùm pœnarum acerbitas, sed multo magis inimicitiæ cum Deo susceptæ miseros faciāt. Magna ergo Ioannis cōmendatio, illum hac appellatione donari. Potuisset ille siquidem se & Apostolum, & Euangelistam, & Prophetā, & Virginē appellare; sed his omnibus nominibus prætermissis, se dilectum à Christo discipulum nuncupauit; ex hoc enim fonte omnia hæc laudum insignia, & multa

Ioan. 15.

multa item alia manarunt. Qua in re illud obiter adnotandum est, quanta sit mortiferi peccati grauitas (quod tamen adeò facilè homines admittunt) quandoquidem per illud à Dei gratia & amicitia homo decidit, & hostis eius efficitur. Quod quidem satis erat, vt priùs homo omnia mundi supplicia perpeti, quàm in huiusmodi crimen incidere vellet. Quod solicitè animaduertere debent, quicunque aut peierant, aut alterius seu famam, seu fortunas lacerant, aut odio fratrem prosequuntur aut vindictam expetunt, aut alienam vxorem concupiscunt. Hæc enim omnia mortifera crimina sunt, per quæ à diuina gratia & amicitia cadunt.

Sed vt ad Ioannem redeamus, ex hac prima & summa eius excellentia sequitur alia, nempe Christum Dominum ab eodem Ioanne ardentissima charitate fuisse dilectũ. Amor quippe animorum vnio, & veluti glutinum quoddam est, quo animi ita inuicem copulantur, vt amans amatum, tanquam seipsum, non tanquam alium, diligat. Vnde illud necessariò sequitur, vt, quæ quisque sibi bona velit, eadem etiam dilecto velit, quandoquidem vnum cum illo per amorem effectus est. Quia verò in Deo idem velle atque facere est (solo enim voluntatis imperio omnia condidit) consequens profectò est, vt, cui plurimùm velit, plurimum conferat. Quocirca cùm inter Dei dona excellentissima sit charitas, hanc planè in Ioannem Christus Dominus cumulatissimè effudit. Adde etiã, quòd qui vehementer amant, nihil magis cupiunt, quàm vt amor amore rependatur, nec alia re amori suo plenè satisfieri posse arbitrantur. Si igitur Christus Dominus tanto amore Ioannem prosequebatur; consequens etiam est, vt mutuam eius dilectionem vehemẽter optaret, eamque in Ioannis pectus instillaret: cùm in eo efficaciter velle & facere, idem sit.

Quantum autem Ioannes dilexerit Christum, solus ille scit, qui spirituum ponderator est; sed mirabiles tamen amoris effectus vim eius latentẽ produnt. Nam, vt alia huius rei argumenta præteream, quid aliud Euangelium eius, quid insignis illa inter septem Canonicas epistolas, nisi dilectionem, & dilectionis opera, sonant? Quoties verò is in Euangelio hanc eandem sententiam ex persona Domini repetit? Hoc est præceptũ meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Rursumque: Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. Iterumque: Mandatum nouum do vobis, vt inuicem diligatis. Itaque sanctus hic Euangelista, qui tantum in charitatis studio profecerat, ex tota Euãgelicæ historiæ serie, ea potissimùm sibi scribenda desumpsit, quæ ad animos hominum charitate inflammandos maximè pertinebant. Vnusquisque enim ea potissimùm tractat, ea versat ac voluit, ea semper

Ioan. 15. Ibidem. Ioan. 13.

ſemper in ore habet, quibus magnopere delectatur. Cùm olim magna fuiſſet de Apocalypſi Ioannis exorta controuerſia, dum quidã Ioanni cuidam presbytero, alij Ioanni Euãgeliſtę tribuerent; illo argumento permoti quàm plurimi ſunt, vt Ioannis illam eſſe negarent, quòd in ea nõ eſſet tam frequens charitatis inculcatio, neque tam crebra amoris repetitio, quantum illius natura, ingenium, mores, & conſuetudo poſtulare videbantur; ideoque tanquam ſpurium fetum nequaquam eſſe Ioanni tribuendum, qui charitatis cõmendatione non redundaret. Quorum opinio multis fuit argumentis repudiata. Qua tamen de re ambigere modò non licet, cùm Eccleſia hunc eſſe Ioannis Euangeliſtæ librum definierit. Quid verò illud, quod cùm ſenio cõfectus à diſcipulis ad Eccleſiam portaretur, vt fideles ſalutaribus præceptis imbueret; hanc identidẽ ſententiam inculcabat: Filioli, diligamus inuicem? Cumq. ab eo quæreretur, cur eadem toties verba repeteret, dignam (vt D. Hieron. ait) Apoſtolica auctoritate ſentẽtiam protulit: Quia, inquit, præceptum Dñi eſt; & ſi ſolum fiat, ſufficit. Si ergo (vt Euãgelica vox teſtatur) ex abundãtia cordis os loquitur, quantũ, quæſo, ſancta huius viri charitas abundabat in corde, quæ adeò frequẽs erat in ore?

Hieron.

Mat. 12.

II.

Sed quoniam de Ioannis charitate diximus, dignum eſt vt de charitatis fructibus & effectibus pauca dicamus. Ad hoc autem opus erit, vt aures dicenti mihi prõptiores adhibeatis; quicunque diuini amoris deſiderio flagratis. Inter hos autem fructus pręcipuus eſſe videtur, qui Ioanni contigit, nẽpe recumbere in ſinu Ieſu. Nõ vulgaris quippe familiaritatis & dilectionis indiciũ eſt, in ſinu recumbere alterius. Nemo enim hoc audet, niſi qui admodum familiari amicitia alteri coniunctus eſt. Quid eſt autem in ſinu Ieſu recumbere? O ſi nunc nobis huius myſticæ Theologię myſterium Ioannes ipſe, qui in hoc ſinu recubuit, aperiret? Ego qui ab hac ſingulari gratia tam longè abſum, quid certi & explorati hac in re dicere valeam? ſed conandum tamen eſt, vt ex litteris ſanctis aliquid ad huius myſterij explicationẽ afferamus. Principio igitur, recũbere, idem eſſe videtur quod alicui rei inniti, quale illud eſt; In te omnis domus inclinata recumbit. Hoc autem modò Sponſa in Cant. Sponſo innitebatur: de ipſa namque ibidem dicitur, Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper dilectũ ſuum? Illa autẽ anima ſuper dilectũ ſuũ innititur, quæ humana cuncta præſidia inania eſſe intelligens, ſibique ipſi diffidens, vni Deo fidit, vni illi innititur, in illo ſpem omnem reponit, in illum curam omnem ſuam & ſolicitudinem proiicit, qui nullius ſpem fallere poteſt. Deinde in ſinu Ieſu recumbere, eſt, in illo obdormiſcere,

Recumbere.

Cant. 8.

miſcere, illius amplexibus frui, & per eum in pace illa, quæ exuperat omnẽ ſenſum, gaudere. Hoc autẽ modo in illum recumbunt, qui non modò ſpes omnes, ſed omnes etiam cogitationes & voluptates ſuas in vno illo poſitas habẽt, qui vnus inſtar omnium, & ſupra omnia eſt. Sicut enim vnus Sol plus mundum quàm omnia ſimul aſtra illuminat, ita vnus ille longè pleniùs atq. feliciùs mẽtem hominis, quàm creata omnia reficit & implet: quæ quidẽ refectio ſpiritualis animæ quies & ſomnus eſt; qua videlicet inexplebilis hominis voluntas pleniſſimè ſatiata, ita reficitur & quieſcit, vt nihil aliud optet, nihil curare velit, pro nihilo deniq. omnia ducat, quæ irrequietis & turbidis huius ſeculi motibus mẽtẽ noſtrã ſolicitã anxiámve ſuſpẽdere queãt. *Simile.*

Hunc autẽ ſomnũ carpebat ſanctus ille Propheta, qui ait: In pace in idipſum dormiam & requieſcam: Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me; hoc eſt, quoniam tu Domine mihi præſtitiſti, vt ſpem omnem & amorem, curas & cogitationes omnes in te vno collocarem, ideo firmiter tibi vni adhærẽs, ſecurus dormio & quieſco: quia, qui tibi fidunt, ſicut mons Sion ſtabiles & immoti permanẽt. Hoc item modo Sponſa in Canticis dormiebat, cuius ſomnus adeò charus & pretioſus Sponſo erat, vt filias Sion per capreas ceruoſq. camporum adiuraret, ne illam ab eo ſomno excitarent, donec ipſa vellet. Hic ergo ſomnus eſt, quem recubitus Ioannis deſignat, qui non tantùm in cœna Domini, ſed toto vitæ ſpatio, etiam cùm in feruentis olei dolium mitteretur, perduraſſe credendus eſt: ſemper enim recumbebat in ſinu Ieſu, qui ſemper in ſinu ſuo geſtabat Ieſum, qui illum intra viſcera retinebat, qui eius ſemper amore æſtuabat, qui deliciis eius fruebatur, qui in vno illo ſuauiter acquieſcebat, ac demũ qui cum Sponſa dicere poterat, Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. *Pſalm.4.* *Cant.2.* *Cant.3.*

Quòd ſi fortè quæras, vnde recubitus & ſomnus iſte oriatur; dictum paulo antè à nobis eſt, eum eſſe charitatis fructum & effectũ. Quòd ſi rurſum quęras, vnde ipſa charitas manet, multos hæc virtus fontes habet, à quibus ſcaturire ſolet. Sed præcipuè tamen oratio, diuinarumq. rerum contemplatio, familiaris cum Deo conſuetudo charitatẽ incendere & augẽre ſolent, cùm homo vacat & videt, quàm ſuauis eſt Dominus, quando in ſolitudine & ſilentio mentis, diuinæ pulchritudinis ſpeciem contemplatur, quando immenſæ bonitatis eius abyſſo immergitur, quando innumera eius beneficia animo voluit. Harũ enim rerum aſſidua commentatione cor noſtrum mirabiliter in illius immenſæ pulchritudinis & bonitatis amorẽ accenditur. Ex hac autẽ dilectione, firma quædã fiducia naſcitur, qua homo fidẽter in eo audet recũbere quem ardenter amat. Vnde ſcriptum eſt;

Sperent

Psalm. 9. Sperent in te, qui nouerunt nomen tuum; hoc est, qui non tam legendo, quàm fruendo, bonitatis & suauitatis tuæ dulcedinem agnouerunt (amor enim, vt D. Greg. ait, cognitio quædam est) hi namque amando didicerunt, quantũ piis omnibus in diuina bonitate perfugium sit. Ex hac autem firma in Deum fiducia, mira quædam securitas, & pax illa, quæ exuperat omnem sensum, deriuatur: quæ inanes metus & solicitudines, cæterasque animi ægritudines ac perturbationes pellit. Ex quibus omnibus consurgit plenissima illa refectio atque suauitas, omnibus deliciis affluens: quæ cùm nihil aliud appetat, quàm quod habet, animam quiescere atque dormire, & in sinu Iesu recumbere molliter facit. Quam quidẽ suauitatem D. Bernardus experiebatur, cùm ait: Stans in domo solitudinis quasi onager solitarius, & habitaculum habens in terra salsuginis, & attrahens ventum amoris mei, os meum aperio ad te Domine, & attraho spiritum, & nonnunquam, Domine, quasi clausis oculis ad te inhianti mittis in os cordis, quod non licet mihi scire quid sit. Saporem quidem sentio; dulcedinem adeò confortantem, vt, si perficeretur in me, nihil vltrà quærerem. Hactenus Bernardus. Hæc est autem illa piorum hominum suauitas, quam sub nomine Beniamin, Moyses describit, cùm ait: Beniamin amantissimus Domini habitabit confidenter; tota die in thalamo commorabitur, & inter humeros illius requiescet. Quibus verbis, ea quæ diximus, paucis comprehẽsa sunt. Nam quòd amantissimum Beniamin appellat; charitatem hoc nomine apertè significat, quæ felicitatis huius fons & origo est: quòd autem hunc fidenter habitare dicit, fiduciam solidam & viuam, quæ ex charitate nascitur, designat. Quòd verò ait, Tota die in thalamo commorabitur; studium sanctæ orationis, & internæ vacationis, insinuat, qua veri Dei amici intra conscientiæ suæ thalamum, in quo cælestis Sponsus requiescit, cum illo commorantur. Porrò autem quod in fine subdit, Inter humeros illius requiescet; id quidem est quod ex his omnibus consequitur, nempe deliciis omnibus affluere, tranquilla securitate, interna pace, iucundissima suauitate, & plenissima satietate in Deo frui. Hoc est autem in sinu Iesu recumbere: quod quamuis Ioanni singulari priuilegio fuerit concessum, multis tamen Sanctorum, pro cuiusque meritis & virtute, spiritualiter donatur.

Gregor.

Bernard.

Deut. 33.

Non existimo autem vos omnes tam dura gestare præcordia, quin huius suauissimi somni atq. recubitus in sinu Iesu desiderium capiatis, ac proinde rationẽ quærere, qua ad felicissimum hunc statũ peruenire valeatis. Hoc autẽ Propheta docet, cùm his verbis Christi sponsam erudit: Audi filia, & vide, & inclina aurẽ tuam, & obliuiscere populũ tuum, & domũ patris tui, & con-

Psal. 44.

& concupiſcet Rex decorem tuum,&c. Quibus verbis declarat, primum ad hanc felicitatem gradum eſſe, terrena omnia deſpicere, mentemq. ad cæleſtia & diuina transferre; atq. vt vno verbo dicam, mori mundo, vt viuas Chriſto. Quod planè præſtabat ille, qui dicebat, Quid mihi eſt in cælo ? & à te quid volui ſuper terram? Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternũ. Quod perinde eſt ac ſi diceret: Quis mihi placeat in cælo præter te? quẽ ego in terris amem, colam, ſuſpiciam præter te? certè reliqua omnia mihi ſordent, te vnum amplector, te vnum opto, te vnum ſuſpiro atque ardeo, qui vnus es amandus & colendus, & toto animo deſiderandus. Tabeſcit deſiderio tui animus & corpus meum : tu Domine vis & robur es mentis meæ , tu opes , tu copiæ , tu ſempiterna hæreditas mea. Cor itaq. ab omnibus terrenis curis , cogitationibus, voluptatibus auocandum eſt , &, quatenus fieri poſſit , totum ad cæleſtia transferendum , quo ad hanc mundo incognitam felicitatem perueniamus, quæ non in externo apparatu, ſed in internis Spiritus ſancti muneribus ſita eſt , quibus filia Regis miro modo fulget in veſtitu deaurato , circumdata varitate.

Pſal. 72.

Pſal. 44.

Ad hanc autem cæleſtem philoſophiam tradendam vnicus Dei Filius venit in mundum; eamq. hoc die in ſtabulo natus, & in prẹſepio poſitus, ſine ſtrepitu verborũ pleniſſimè docet. Cùm enim infans hic ſit ipſa Sapientia Patris , qui nouit reprobare malùm, & eligere bonum: non dubium, quin quod ille reprobauit, reiiciendũ; quod verò elegit , amplectendum ſit. Eo autem ipſo quòd ſtabulum atq. præſepe natiuitatis ſuæ ſedem delegit (in quo ſumma paupertas, extrema vilitas, maximaq. aſperitas ſita erat) omnes mundi opes, honores, atq. delicias; hoc eſt, quidquid mundus captat, ambit, atque ardet, repudiauit, profligauit, & quodammodo capite damnauit. Quo exemplo ſummã quandam hominum cæcitatem, humanæ vitæ perturbatricem, damnauit. Omnes enim mortales flagrantiſſimo ſtudio ad felicitatem aſpirant, quam tamen in terrenorum bonorũ affluentia ſitam eſſe putantes, ea incredibili ardore & cupiditate ſectantur. Tantum verò abeſt , vt horum bonorũ affluentia felices homines faciat, vt vix quidquam veræ felicitati (quæ in ſola ſummi boni adeptione ſita eſt) magis eſſe poſſit impedimento; quando hæc omnia mentem noſtrã ad Deum ſeſe attollere conantem, velut ex alto deiiciunt , & ad ſeſe per amorem trahunt. Hoc eſt autem quod ſtabulum illud atque præſepe magna voce teſtatur, in quo ſapientiſſimus infans homines exemplo ſuo à falſa & inſidioſa felicitate, ad veram, quæ in ſolo Deo , & terrenarum rerum contemptione ſita eſt , traducere conatur.

Iſai. 15.

Proximus verò gradus (vt antè diximus) eſt, diuinis rebus aſ-

suescere, secum habitare, cum Deo colloqui, cælestium rerum contemplatione pasci, & intra cordis sui penetralia Deum quęrere, ac denique Propheticum illud implere; Gustate & videte quoniam suauis est Dominus. His enim sanctis cogitationibus velut igniculis quibusdam, charitatis ignem paulatim incendi, incensumq. seruari certissimum est. Vnde quicumque magis & sibi & Deo vacant, ij quotidie magis in sancto sui odio, & Dei amore proficiunt. His igitur duobus gradibus ad hanc felicitatem quam Christiana philosophia docet, peruenitur. Constat enim, in omni motu tria esse necessaria; nempe terminum à quo motus incipit, & in quem tendit, & medium spatium quo in illum tendit. Cùm igitur pius homo à falsa ad veram felicitatem, hoc est, à terrenis ad cælestia, & à visibilibus ad inuisibilia bona contendat; primo loco necesse est eum ab hoc visibilium amore sciungi, deinde spiritualium rerum contemplationi paulatim assuescere. Hac enim exercitatione fiet, vt diuinæ dilectionis perfectionem (quatenus in hac vita licet) attingat, sempiternæque felicitatis odorem, & velut prælibationem quandam in hac vita percipiat. Hoc autem sancti Patres apertiùs explicare solent, cùm mysticę Theologię duo officia esse statuunt, quibus ad fastigium charitatis (in qua felicitas nostra in hac vita posita est) peruenitur: carnalium scilicet affectuum & desideriorum mortificatio, qua homo à se ipso, hoc est, ab amore sui recedit; & orationis atque contemplationis studia, quibus ad Deum accedit, atque ita à se ipso deficiens, & in Deum quodammodo transiens, ex carnali spiritualis, ex terreno cęlestis euadit. Quam quidem Theologiam Plato etiam multis in locis copiosè tractatam, duobus postea verbis sapientissimè comprehendit, cùm hominis felicitatem in auersione & conuersione positam esse definiuit: hoc est, in auersione à rebus terrenis, & conuersione ad sempiterna atque immortalia bona. His igitur gradibus eo peruenitur: vt in sinu Christi fidelis anima cum Ioanne requiescat, ibidemque velut candida columba nidificet, & reponat pullos suos, donec tandem ex quiete transeat in quietem, & ex sabbato in sabbatum: atque ita demum felicitas quæ in hoc sæculo incipitur, plenissima desideriorum omnium quiete, & ineffabili iucunditate, sempiternis sæculorum ætatibus in patria consummatur.

Simile.

Plato.

IN EODEM FESTO SANCTI IOANNIS EVANGELISTÆ, CONCIO secunda: in qua, post lectionis Euangelicæ explanationem, de multiplici Ioannis martyrio agitur.

THEMA. *Domine, Hic autem quid?* Ioannis vltimo.

QVAM sacer ac religiosus hic dies omnibus mortalibus esse debeat, in quo Saluator mundi pro nobis nasci misericorditer voluit (vt alia prætereamus) facilè declarat multitudo militiæ cælestis, quæ hodie de cælis in terram descendens, gloriam in altissimis Deo, & in terris pacem hominibus cecinit. Et quidem in præcipuis Domini solemnitatibus nunquam Angelorum obsequia defuerunt, quæ ipsas præsentia sua & ministerio decorarent. In ipsius namque conceptione Angelus Gabriel nuncius & testis tanti mysterij extitit. In resurrectione duo Angeli prope sepulchrum eius visi sunt candentibus vestibus induti, qui resurrectionis ipsius testimonium darent. In ascensione verò duo quoq. Angeli in vestibus albis adfuerunt, qui & eius ascensum in cælum, & reditum in mundum testati sunt. In hac tamen solemnitate non vnus aut alter Angelus, sed Angelorum exercitus, magna cum luce apparet: nec apparet modò, sed cantibus etiam & diuinis laudibus diei huius mysteriũ prosequitur. Et quidem ab Angelis Dominum laudari, non alienum aut nouum est. Quid enim aliud in illa cælesti curia, nisi gratiarum actio, & vox laudis resonat? Ibi Dominum laudant astra matutina, & iubilãt omnes filij Dei. Ille enim locus, à quo omnis mœror & tristitia exulat, meritò diuinis laudibus dicatus est. At in hoc exilio, & lacrymarũ valle (cùm iuxta labentia Babylonis flumina sedemus, cùm in salicibus organa nostra mœsti suspendimus, cùm cantare iubentibus respondemus; Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?) non tam decent hymni & laudum præconia, quàm lacrymarum & querelarum lamenta. Et tamen Angeli, qui festos semper dies in cęlis agunt, qui perpetuis hymnis Dei maiestatem celebrant, cùm squalentem orbis faciem cernerent immutatam, cùm tetram & caliginosam terram splendoribus diuinisque muneribus claram & illustrem intuerentur, eisdem vocibus aëra complent, quibus cęlestes illi orbes perpetuò resonant. Quid hoc, quæso, est, beati cælites: quomodo cælum terra commutastis? cur adeò peregrinum locũ diuinis laudibus canẽdis elegistis? Nempe his vestris

Lucæ 1. Ioan. 20. Act. 1. Luc. 2. Iob 38. Psal. 136.

laudibus & cantu diuinitatis terram (quę hactenus blasphemiæ voces contra Deum toties edebat,dæmonumq. laudes personabat)noui Regis aduentu immutandam esse,execratisq. falsis & commētitiis diis se totam in diuinas laudes effusurā. Quod quidem aperte Esaias vaticinatus est, cùm ait: Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo , & florebit quasi lilium. Quamobrem ? Quia gloria Libani data est ei , decor Carmeli & Saron. Hoc est , quoniam quæ erat desertum & solitudo , & terra inuia & inculta , quæ nisi tribulos & spinas non ferebat ,modò per Christum ita excolenda est,vt fecundissima fiat; & omni genere virtutum exornata , fructus proferat æternæ vitæ. Quin & aliam Cantici huius esse causam arbitror ; nempe quòd Angeli ipsi præcinant nobis,suoq. nos exemplo ad laudes & gratiarum actiones pro hoc tanto redemptionis nostræ beneficio inuitent. Quid enim aliud homines facere par est,cùm videant Vnigenitum Dei Filium,qui est in sinu Patris,in sinū feminę descendisse; vt homines non modò in terra,sed in ipsa penè gehenna (ad quam damnati erant) iacentes, ad cælestes sedes,& Angelorum gaudia euocaret? Quid,quæso,damnati omnes,quid ipsi dęmones facerēt,si (quemadmodū Origenes somniauit) pro ipsorum salute Christus iterum & nasci, & pati dignaretur ? Quo magis nos accusandi sumus, qui ne hoc quidem tempore, quo tantum hoc beneficium recolitur , eius magnitudinem cogitamus : hoc est,quis ad nos venerit, quomodo venerit, ad quid venerit, quid ab ipso acceperimus,quid illi debeamus, quid nos facere par sit, non attēdimus. Cæterùm quoniam hoc ipso tempore cum Natali Dñi Natalis etiam dilectissimi discipuli celebratur; seposito paulisper Natalis Domini mysterio , in D. Ioannis laudes sermonem hunc expendamus: sed priùs tamen diuinam opem,sacratissimæ Virginis interuentu , suppliciter imploremus.

Esaiæ 35.

AVE MARIA.

Quemadmodum in Euangelica historia Petrus ac Ioannes frequenter coniunguntur , ita præsens lectio (quæ de Ioannis exitu & laudibus agit) vix à Petri historia,quæ de eius quoq. nece, summoque Pontificatu differit, secerni potest. Quamobrem in eius expositione altera pars alteri meritò iungenda est. Historia igitur sic habet: Cùm Dñs Ecclesiæ suæ, quæ vna est ,pastorem vnum præficere voluisset , Petrum inter alios Apostolos potissimum delegit, cui hoc munus delegaret. Cur autē Ioanni hoc non commiserit, quem mira charitate diligebat, ille nouit, qui solus spirituū ponderator est. D. tamen Hieronymus hanc causam affert ; quòd inuidiæ occasio quædam cæteris discipulis oblata fuisset,si & adolescentē,& familiariter sibi dilectū, cæteris Dñs præfecisset. Quamuis enim nullus ferè in discipulorum

Hieron.

corda

corda Spiritu sancto plena, liuor irrepere potuisset, auctorem tamen pacis & charitatis hoc facere non decebat. Hoc enim nos exemplo Dominus omnem offendiculi ansam vitare docet.

Sed operę pretium erit videre, quibus verbis hoc officium Dñs Petro demandauerit. Petre, inquit, diligis me plus his? Cui Petrus: Tu scis Dñe, quia amo te. Cui Dñs, Pasce, inquit, agnos meos. Cùm verò Dominus idē & secundò & tertiò interrogaret; Petrus tam multiplici interrogatione perturbatus respondit: Domine, tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Cui rursum Dñs, Pasce, inquit, oues meas. Quæ quidem verba omnia non leuiter à nobis prætereunda sunt. Vbi primò illud obseruandum, Dñm non simpliciter interrogasse, Simon Ioannis diligis me? sed per comparationem, Diligis me plus his? Quibus verbis apertissimè docuit, non modò dignum, sed cęteris etiam digniorem esse debere, qui ad pastorale munus deligatur: & ita digniorem, vt (quemadmodum D. Greg. ait) comparatione eius, cæteri homines in gregum numero computari debeant. Tantum enim sanctitate atque prudentia præire cæteros debet, quantum vita pastoris vitam pecudum, rationis expertem, antecellit.

Gregor.

Sed illud hîc etiam notandum est, quòd quamuis Dominus per comparationem interroget, Petrus tamen simpliciter, non comparatiuè respõdet: Tu scis Dñe, quia amo te. Periculo enim suo doctus, quàm esset temerarium se aliis præferre, didicerat. Qui enim ante passionem Dñi hac comparatione vsus fuerat, Et si omnes scandalizati fuerint in te, sed ego numquā scandalizabor; eas pręsumptionis huius pœnas pepēdit, vt omnium ferè primus scandalum pateretur, fœdiusq́. aliis corrueret. Quia verò electis (Deo ita statuente) omnia cooperantur in bonū, etiam ipsa peccata, vt D. August. ait: ideo cautior & humilior post ruinam Petrus assurgens, non audet modò se aliis præferre, nec se (quamuis hoc modo interrogaretur) plus cæteris Dominum diligere confiteri. Quin & hoc ipsum non sine quadam animi trepidatione dicebat: vtpote qui, periculo suo doctus, infirmitatem suam probè nouerat. Ideoq́. non tam suo sensu, quàm Dñi iudicio fretus, Tu, inquit, scis Dñe, quia amo te. Quam sententiam confirmat mœror, ac trepidatio illa, quam protinus Euangelista declarat his verbis: Contristatus est Petrus, quia dixit ei Dominus tertiò, Amas me? Contristatus autem est, non ob aliud, nisi quòd repetita eiusdem rei interrogatio diffidentiam quandam præ se ferre videbatur interrogantis. Qui enim respondenti firmiter assentitur, vnica respōsione contētus est: qui verò iterum atq. iterum rogat, nondū se plenè respondenti credere ostendit. Petrus verò cùm antea se nullo modo esse negaturum & credidisset, & prædicasset (in quo tamen iudicio fuerat deceptus)

Mat. 26.

Rom. 8. August. in Medit.

hæret modò ac dubitat, num verè Dominum diligat, quamuis se diligere credat. Pręterita enim ruina, huius tantę humilitatis, timoris ac diffidentiæ illi occasio extitit. Cuius exemplo, fratres, ex ipsis peccatis quę patrauimus, harum virtutum materiam arripere debemus; vt ea nobis & humilitatis, & timoris, & maioris solicitudinis occasionem præbeant; nec velimus iterum gustare, quod gustatum attulit mortem, quodque lacrymarum & amaritudinis nobis poculum propinauit.

Sed illud quoq. negligendum non est, quòd cùm fideles Dñs pascendos Petro commendasset, non fideles aut subditos, sed agnos potissimùm appellauit. Quo quidē nomine non temerè Saluator vsus est. Quia enim denominatio ab iis quæ in rebus præcipua sunt, deriuari solet; non dubium quin id quod magnopere in Christianis moribus elucere debeat, mansuetudo sit, quę agni nomine significatur; non quòd charitas principem inter virtutes locum non teneat, sed quòd ea potissimùm mansuetudine ac lenitate decorē & speciem suam ostendat. Cuius rei gratia ab vtroq. Ioanne ipse quoque Dñs appellatur agnus, qui cùm pios omnes informet spiritu suo, non mirum si agnus agnos efficiat, & agnos lenitate & mansuetudine esse eos velit. Inter hos ergo agnos cælestis ille Agnus libentissimè commoratur, eosq. in pascuis lætissimis propter vberrimos Spiritus sancti fontes pascit ac dirigit. Cùm hos igitur agnos Petro Dñs commisisset; quoniam boni pastoris est (vt ipse antea præmonuerat) pro ouibus animam ponere; hanc quoq. gloriam eidem conferens, denuntiauit fore, vt, sicut se in officij dignitate, ita esset in passionis gloria secuturus. Vnde ait: Cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: postquam autē senueris, alius te cinget, & ducet te quò tu non vis. Quæ quidē allegoria interpretatione nostra non eget; quando S. Euangelista illam exposuit, cùm ait: Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum, videlicet morte crucis: vt, quem imitabatur officio, imitaretur etiam exitu, atq. ita particeps fieret (vt idē Ioannes ait) in tribulatione simul, & regno. Sic enim diuina prouidentia post generis humani lapsum vitā hominum instituit, vt gaudio mœror, labori requies, honori onus, ac deniq. secundis aduersa iungerentur; ne si omnia lęta essent, supra humanam conditionem homines efferrētur; si verò tristia ac funesta, animo cōciderent. Quare nesciunt quid optant, qui more Iudęorū omnia sibi fausta atq. felicia precantur, quiq. nihil sibi aduersi euenire volunt; cùm tamen à sapientissimo Philosopho dictum sit; Nihil mihi infelicius esse videtur eo cui nihil vnquam contigit aduersi: non enim licuit ei experiri seipsum. I.

Seneca in Epist.

Cùm ergo Petrus martyrij sui gloriam Dño tradente agnouisset;

uisset, quærit protinus de Ioanne, *Domine, Hic autem quid?* Cùm enim gloriosum sibi esse duceret, quòd per crucis passionem Christo assimilandus esset, nec ipse minorem Ioannes gloriam quàm suam futuram crederet (vtpote quem dilectissimum Dño sciebat) quærit meritò, quæ nam illi passionis & martyrij gloria destinata esset, an eadē ipsa, an aliqua alia? Vide, quæso, quantum ante aduentū etiam Spiritus sancti per amaritudinē lacrymarum Petrus profecerit! Priùs enim quàm ad hunc pœnitentiæ gradum peruenisset, indignū esse credebat, pœnas & crucis supplicium pati: vnde Dñm passionis suæ ignominiam prænunciantem ab hac intentione reuocare nitebatur, dicens: Absit à te Dñe, non erit tibi hoc. Cuius Dominus ignorantiam acerrimè compescens, Vade, inquit, satana, scandalum enim mihi es: non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Is verò qui tunc temporis terrena tantū sapiebat, & propter Deum pati, dedecus & ignominiā iudicabat, modò lacrymis suis & pœnitentia eruditus, iam humana ignorat, diuina sapit, & summam gloriam crucis supplicium putat: atq. ita de sua felicitate securus, de amicissimi Ioannis exitu & gloria inquirit dicens: *Domine, Hic autem quid?* Quid verò illud, quàm pręclarū huius profectus indicium? quòd cùm Dominus piscantibus in mari Tyberiadis, Petro condiscipulisque eius in littore apparuisset, & Petrus voce Ioannis admonitus, Dominum esse intellexisset, tanto eius videndi & amplectendi desiderio incensus est, vt se miserit in mare, quo primus omnium ad illum accederet, cùm cæteri discipuli nauigio venerint. Vis enim amoris in corde eius æstuans, hanc breuem moram ferre non potuit, nec consilio locum dedit, sed quacunque ratione fieri posset, ad dilectum per medios fluctus & vndas properare suasit. Ita factum est, vt, qui cæteris infirmior ante passionem Dñi extitisset, modò post pœnitentiæ lamenta feruentior exurrexerit. Vnde statim post tantam huius charitatis significationē opportunè interrogatur à Dño, Simon Ioannis, diligis me plus his? Videtis ergo, fratres, quanti vera pœnitentia facienda sit, ex qua tam magni progressus in virtute consequuntur? Hinc Ioannes Climacus, vbi sanctorum quorundam pœnitentium mirabilem cōpunctionem & labores vidisset, Patrem monasterij, stupore & admiratione correptus adiit. Qui cùm illum vidisset immutatum, & veluti attonitum, intelligens sapientissimus Pater immutationis causam, ait: Quid est Pater Ioannes? Vidistíne laborantium certamina? Ad quem ille, Vidi, inquam, Pater, vidi, & admiratus sum, felicioresq. eos existimaui, qui post lapsum ita lugent, quàm qui nunquam lapsi sunt, & seipsos non ita deflent. Illis enim ruina sua beatissimæ ac tutissimæ resurrectionis occasio extitit.

Mat. 16.

Ioan. 21.

Ioan. Clim. Grad. 8.

Sed vt ad propositum redeamus, cùm Petrus de Ioanne quęsisset: *Domine, hic autē quid?* Dominus respondit: *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere* His verbis Dominus Petri curiosum ingenium notare voluit: quo morbo genus hominū grauissimè laborat, qui, seipsis neglectis, aliena tantū curare studēt. Sic etiam Apostoli ante ascensionem Dñi, hoc eodem spiritu acti, quærebant: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israël? Quam eorum curiositatem Dominus reprimens, Non est, inquit, vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate; sed accipietis virtutē, &c. Quasi diceret: Hoc ad vos maximè pertinet, vt Spiritus sancti gratiam recipiatis: hoc ergo curate; hoc expedite; reliqua verò, quæ ad vos minimè pertinēt, missa facite. Quod Dñi consilium vtinā mortales omnes amplecterentur, qui tam studiosè aliorū mores, genus, vitam, opes, dicta, facta, & consilia inquirunt, cùm tamen seipsos prorsus ignorēt, & intra seipsos, tanquā in aliena regione, peregrinentur. Longè tamen aliter nos gerere debere, quidā sanctorum Patrum admonet, dicens: Vt te semper inspicias, ab omnibus aliis oculos auerte. Meritò ergo Dñs ab hac cura Petrum soluit, cùm ait: *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?*

[margin: curiositas huma(na) — handwritten]
[margin: Act. 1.]

His autem verbis innuitur, quod postea declarauit euentus, nempe Ioannem, post aliorū Apostolorū gloriosos agones, diutiùs in hac vita mansurū, nec crucis supplicio, aut alio martyrij genere è vita migraturū. Aequum enim erat, vt initio nascentis Ecclesiæ lampas aliqua spēdidissima in ea permaneret, ad quam omnes in rebus dubiis confugerēt, donec Ecclesia firmiter constituta, ipsa per se firmitatē suam retineret. Hac autem de causa ex feruentis olei dolio (quo genere mortis illum Domitianus occidere volebat) diuina prouidentia eripuit, vt illum Ecclesiæ stabiliendæ seruaret. Simile quiddam in lib. Reg. legimus: Cùm enim Dauid in quodam aduersus Philisthæos certamine de vita periclitatus fuisset, præsidioq. ei fuisset Abisai; finito certamine serui eius dixerunt: Non egredieris nobiscum ampliùs in prœlium, ne extinguas lucernam Israël. Ad hunc ergo modum cùm Ioannes in hoc vitę discrimē adductus fuisset, diuina prouidentia, quę illum tanquam splendidissimā lucernam supra Ecclesiæ candelabrum posuerat, ex hoc periculo liberatum in nullum aliud simile adduci passus est; ne hanc veritatis lucernā, eo tempore maximè necessariam, extingueret. Quemadmodum enim in exordio nascentis mundi eadē diuina Sapientia primos illos homines quàm diutissimè viuere voluit, vt numerosam sobolem procrearent, quæ per omnia terrarū sola diffunderetur: sic etiam initio nascentis Ecclesiæ necesse erat vnum aliquem ex Apostolis Christi, & eū præcipuè, qui ei in primis charus, maxi-

[margin: 2. Reg. 21]
[margin: Simile.]

meque familiaris fuisset, diu superstitem permanere, vt eius auctoritate, consilio, & institutione Ecclesia stabiliretur.

Cùm igitur Dñs hanc de Ioanne sententiam protulisset, discipuli de Ioannis vita & morte inter se tractare cœperunt. *Exijt enim sermo iste inter fratres, quòd discipulus ille nō moritur. Et non dixit Iesus, Non moritur; sed, sic eum volo manere donec veniam.* Ex his verbis magna inter doctores de Ioannis exitu quæstio oborta est. Ex historiis namque Eccles. illud constat, quòd sexagesimo octauo post passionem Dñi anno, suæ verò ætatis nonagesimo nono, extructum sibi apud Ephesum sepulchrū viuens subierit. Tunc splendor tumulo circumfusus, loci hominísque aspectum circumstantibus ademit; quo postmodum remittente, inane apparuit conditorium; nec ipse post id temporis ampliùs in terris est visus. Hunc autem Ioannis exitum paulo fusiùs Simeon Metaphrastes narrat: ait namque, Ioannem quidem extra ciuitatem cum discipulis egressum, eisdem, vt ligonem & sarculum secum afferrent, præcepisse, ac protinus in montem quendam ascendisse, vbi nunc magnificentissimū in eius honorē templum extructum est. Cùm igitur in eum locū peruenisset, ad discipulos conuersus, Hîc, inquit, filij, mihi fodite. Deinde vbi se totum consignâsset, dixissetque, Et tu mecum esto Dñe Iesu Christe; astantibusq. subiunxisset, Pax vobis, fratres, in foueam demisit pallium, & ipse quoque in eam descendit. Porrò discipuli comas euellebant, genasq. percutiebant, atque orbitatem suam lamentabili voce deplorabant, pastorem, gubernatorē, seruatorem, denique eum qui omnibus omnia erat, inclamantes. Deinde etiam ad ciuitatē accedentes, quod factum erat, ciuibus exposuerunt. Interim autē die illucescente, concurrūt ad monumentū, discere cupientes, num præceptor adhuc superuiueret. Porrò is nusquā comparebat, solæ iacebant crepidæ; qui verò eas reliquerat, non apparebat. Discurrunt huc & illuc, quemadmodum ij, qui cum Eliseo erant; scrutantur, inuestigant, sed incassum tamē. Deinde vix tandē illius vocis recordati, *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* ad mentē alacriorem redeunt. Hoc itaq. die, quo hæc contigerunt, splendidus huic Theologo celebratur Ephesi conuentus ab omni hominū genere, & ætate. Præterea in hoc sacro loco, ad quē is cum pallio declinauit, minutus quidā puluis exoritur, qui accedentibus salutarem in omni morbo medelā præstat. Cùm igitur in nocturnis laudibus festi ipsius sacer hic puluis à ministris populo tradatur; nunquam tamen exhauritur, sed quo ampliùs colligitur, eo veluti perennis quidā thesaurus manat copiosiùs; qui simul & participātes reddit ditiores, ac seipso abundantior semper efficitur. Hactenus Metaphrastes. Huius igitur historię occasione magna inter doctores controuersia est,

quid de ſacro Ioannis corpore ſentiendum ſit. Quidam (vt idem Metaphraſtes ſentit) cum Elia & Enoch illum adhuc viuere, & adſeruari credunt; vt tres iſti viri triplicis legis in extremo tempore teſtes ſint. Fuit enim ab initio mundi ſola naturæ lex: in qua vixit Enoch: fuit deinde ſcripta, quæ per Moyſen data eſt, cui lex gratiæ ſucceſſit, quam Chriſtus Dñs in mundum attulit. Ex iis igitur tribus temporibus tres inſignes viros elegit Dñs, quos illo tempore earum legum teſtes proferat. Alij contrà dicunt, non eſſe vero ſimile, quòd dilectiſſimum diſcipulum Dñs in carne manere, & amantiſſimi Magiſtri conſpectu tam diu priuari voluerit: quod illi certè moleſtiſſimum eſſet. Quare veriſimilius eſſe credunt, ſanctiſſimã illam animam cum ipſo corpore in cælum fuiſſe tranſlatã, vt, quemadmodũ de ſacratiſſima Virgine, quia corpus eius in terra non inuenitur, cum anima in cælũ aſſumptum creditur, idem etiam de Ioanne, adoptionis filio credendum ſit. Nam cùm corpus eius in terra non appareat, quò potuit puriſſimum corpus illud niſi in cælum cum anima demigrare? Cur enim ab humanis conſpectibus illud Dñs ſubtrahebat, niſi in beatas illas oras aſportare decreuiſſet: quandoquidem aliorũ Apoſtolorum corpora apud nos ſeruari voluerit? Hoc autem præmium caſtiſſimo eius corpori debebatur, vt videlicet expers eſſet corruptionis, quod tota vita omnis expers fuerat carnalis voluptatis: vt hoc exemplo & virgines puritatem ſuam, velut pretioſiſſimum theſaurum tueantur, & carnales homines impuritatem ſuam perpetuis lamentis defleant.

II.

Sed quęret fortaſſe aliquis, cur Ioannes corona martyrij fraudatus fuerit, qua cæteri Apoſtoli donati ſunt, cùm nullũ ab homine gratius obſequium Deo exhiberi poſſit, quàm mortẽ (quę terribilium omnium extremum eſſe dicitur) propter illius gloriam perpeti. Ad hoc igitur reſpondemus: Ioanni Dominum aliud martyrij genus longè acerbius, ſine ſanguine tamen, deſtinaſſe. Hoc enim vos admonitos velim, fratres, eam eſſe diuinæ amicitiæ legem, vt, quos Dominus flagrantiori dilectione proſequitur, grauioribus calamitatibus & laboribus exerceat. Vnde de quodam ſanctiſſimo Patriacha ſcriptũ eſt: Cuſtodiuit illum Dominus ab inimicis, & à ſeductoribus tutauit illum, & certamen forte dedit illi, vt vinceret, hoc eſt, non vt ab aduerſariis victus ſuccumberet, ſed vt eos inſuperabili fortitudine vincens, de illis glorioſum triumphum duceret. Quo fit, vt, quemadmodum in prœlio erga milites ſuos Duces, ita ſe Dñs cum dilectiſſimis amicis in vita gerat. In caſtris enim periculoſa fortiſſimis imperat Dux, lectiſſimos mittit, qui nocturnis hoſtes aggrediãtur inſidiis, aut explorẽt iter, aut pręſidiũ loco deiiciãt.

Sap. 10.

Simile.

Nemo

Nemo eorum qui exeunt, dicit, Malè de me Imperator meruit, sed bene iudicauit. Cuius rei causam eleganter Seneca assignat; quòd videlicet nequaquã summus ille cælitũ Imperator muliebri atq. materna, sed virili atq. paterna dilectione amicos suos prosequatur. Sic enim ait: Non vides quanto aliter patres, aliter matres indulgeant? Illi exercitari iubẽt liberos ad studia obeunda maturè, feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos; & sudorem illis, & interdum lacrymas excutiunt. At matres fouere in sinu, continere in vmbra volunt, nunquam flere, nunquam contristari, nunquam laborare. Paternum Deus habet aduersus viros animum, & illos fortiùs amat, & operibus, doloribus ac damnis exagitat, vt verum colligant robur. Languent per inertiam saginata, nec labore tantùm, sed mole, & ipso sui onere deficiunt. Non fert vllum ictum illæsa felicitas. At vbi assidua fuit cum incommodis suis rixa, callum per iniurias duxit. Hactenus ille. Hac ergo ratione Dominus dilectissimum discipulum quàm diutissimè in huius vitę exilio manere voluit, vt acerbissimis illum doloribus (quæ in diuturna vita accidere necesse est) exerceret: vt maiora quotidie diuinæ gratiæ incrementa strenuè decertantibus promissa mereretur, & seipso indies fortior atque superior euaderet. Vt enim mercatores quibus magna pecuniarum copia suppetit, nequaquam illam in arca otiosam manere sinunt, sed eam variis mercimoniis exercendis quotidie cumulant: ita Dominus, quos cælestis gratiæ opibus larga & munifica manu locupletauit, nequaquam otiosos esse patitur, sed variis laboribus versat ac voluit; vt fortitudinis & patientiæ meritis gratiarum suarũ talenta cumulet. Hi namque sunt, qui peracto huius vitę curriculo, Regi suo dicunt: Domine, quinq. talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Hac ergo ratione Ioannem Dominus non vno martyrij genere, vt cæteri discipuli, sed multis acerbissimisque (vt ita dixerim) martyriis eum in tam longa vita torqueri voluit.

Lib. de Prouid.

Simile.

Mat. 25.

Quęretis quænam ea sint. Breui ea oratione perstringam, quę tamen nõ exiguam vobis meditãdi materiã prębeant. Primum igitur fuit, solum eum ex discipulis omnibus iuxta crucem astitisse, & Magistrum (quem super omnia diligebat) immanissimè cruciatũ, & morte turpissima necatum conspexisse, sanguinisq. riuos ex sacratissimis eius vulneribus defluentes vidisse, & ipsas etiam quas gerebat vestes, eius sanguine conspersas, ad maiorem doloris cumulum secum forsitan tulisse. An non igitur hic tantus dolor instar acerbissimi martyrij extitisse putandus est? Quemadmodum enim beatissima Virgo plus quàm martyr extitit, quæ iuxta crucẽ posita, maternis oculis morientem filium cernens, doloris gladio transfixa fuit; sic Ioannes plus quàm

martyr

martyr existimandus est, qui ea patientem dilectissimum Dñm vidit: quæ si quis in hoste etiam cerneret, vix posset misericordia non commoueri, nedum in eo quem supra omnia diligebat.

Secundum verò eius martyrium extitit, quòd triduo illo, quo Dñs tumulo conditus fuit, simul cum beatissima Virgine, & noua matre pertulit, quam plusquã filiali (vt ita dixerim, amore diligebat; cuius animam sciebat incomparabili atq. inexplicabili doloris gladio sauciatam. Tertium verò fuit eiusdem Virginis gloriosæ funus, à cuius obsequio diuelli, eiusque aspectu & præsentia carere, suauissimoque contubernio & colloquio priuari, grauissimus ille mœtor & cruciatus extitit; cùm se tunc vtroq. parente, Christo scilicet & beatissima Virgine, orbatum vidit. His aliud martyrij genus addo, nempe inter impios idolorum cultores (quibus tum mundus refertus erat) tam longo vitæ spatio habitare, & nefaria ipsorum opera castissimis oculis quotidie cernere. Si enim sanctus ille Iob dicebat, se fratrem fuisse draconum, & socium struthionum; si Ezechiel Propheta cum scorpionibus habitare dictus est: quid Ioannes sentiret, qui cum eisdem scorpionibus & draconibus habitabat? Si Hieremias Propheta vsque adeò molestè ferebat inter improbos homines vitam agere, vt diceret, Quis det me in solitudine diuersorium viatorum, vt fugiam populum meum? quia omnes adulteri sunt, & cœtus præuaricatorum: quid Ioannes, qui quò magis Deum diligebat, hoc acerbiùs iniurias nomini eius illatas perferebat? Si Pauli spiritus Athenis incitabatur in seipso, videns Idololatriæ deditam ciuitatem; quid Ioannes, qui non minori diuinæ gloriæ desiderio flagrabat?

Iob 39. Ezech. 2. Hier. 9. Act. 17.

Sed aliud acerbissimum martyrij genus extitit (quo cæteri Apostoli caruerunt) quo incredibili dolore sanctissimi discipuli anima cruciata fuit. Vidit enim ætate sua extremum gentis suæ exitium, quod non sine multis lacrymis pius antè Magister prænuntiauerat; vidit, inquam, regni illius vastitatem, lamentabilemque casum: vidit tantam illam ciuium atque fratrum suorum stragem, qua post orbem conditum nulla vnquam omnibus seculis calamitosior extitit; in qua vndecies centena hominum millia cęsa, & multa hominum millia in captiuitatem abducta cognouit: vidit diruta ciuitatis sanctæ mœnia, solo æquatum Dei templum, obliteratam & extinctam religionem, regnumque Dei ab iis, qui filij & domestici erant, ablatum, atque Gentibus & alienigenis traditũ. Quo autem dolore pium Ioannis pectus hac tanta vastitate perculsum fuerit, ex Hieremiæ lamentationibus lacrymisq. coniicere possumus. Si enim propter illam ciuitatis sanctæ captiuitatem atque ruinam, paulo pòst tempore resarciendam, vsque adeò pij Vatis animus cruciabatur, vt

tur, vt diceret; Diuisiones aquarũ deduxit oculus meus in contritione filiæ populi mei: quid de Ioannis dolore dicendum, qui tanto tristiorẽ casum & captiuitatẽ nullo vmquam tempore restituendã lugebat? Si cui verò hoc exiguum doloris argumẽtum videtur, acerbissimũ Pauli dolorẽ propter populi sui cæcitatem contẽpletur, quem ipse his verbis prodidit: Veritatem dico, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto: quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis qui sunt cognati mei secundũ carnẽ, qui sunt Israëlitæ. Si igitur charitas Pauli eò vsq. progressa fuerat, vt propter Iudæorum cæcitatẽ atq. perfidiã in perpetuo luctu & squalore amarissimam vitam ageret, & (quod est longè mirabilius) anathema pro illis fieri optaret; quid minus de Ioanne existimandũ est, qui nõ minori charitate & Christum, & fratres suos diligebat, & (quod Paulo minimè contigit) superstes tantæ ipsorum calamitati extitit, eosq. atrocissimas perfidiæ suæ pœnas pendere vidit? Quis hunc Ioannis dolorẽ pro dignitate poterit æstimare? Quod ergo aliud martyrij genus atrocius in eo requiramus? An non multo libentius quoduis mortis supplicium Ioannes, quàm hanc tantam gentis suæ cladem pertulisset? Verissimè enim ab Ecclesiastico dictum est, nullam plagam esse, quæ cum cordis plaga comparari queat. Alij igitur Apostoli martyres quidem corpore, hic martyr animo extitit.

Threa. 3.

Rom. 9.

Eccli. 2 5.

III.

Sed inter hæc tamen spiritualia martyriorũ genera non postremum locũ obtinet, tam longo vitæ spatio dilectissimi Magistri conspectu & præsentia caruisse. Sancti quippe viri instar martyrij esse putabant, diutiùs in hoc seculo detineri, posteaquã cælesti lumine collustrati gustauerũt bonũ Dei verbũ, virtutesque seculi venturi, & torrente diuinæ voluptatis potati sunt. Si enim corpora grauia eo velociùs in centrũ, hoc est, in naturalem locum suum feruntur, quò ad illũ propiùs accedunt, (ea quippe naturalis loci vis, ad se vehementiùs allicit atque trahit) quanto magis summum illud bonum, quod humanæ mentis velut centrum, & expetendorum vltimum est, ea ad se corda trahet, quibus se iam dudum insinuauit, quæque suauissimo odore suo perfudit atq. refecit! Hinc sancti viri omnes mortem quidem in desiderio, vitam autem in patientia habere dicuntur. Quamobrem inter egregias beati Martini laudes, illa meritò celebratur, quòd morti iam (hoc est, sempiternæ felicitatis gloriæ proximus) dixerit: Domine, iam satis est quòd huc vsq. certaui, sed quoad ipse iusseris militabo. Si igitur adeò grauiter omnes Dei amicos exilij huius incolatus angebat, vt cum Propheta que-

Hebr. 6.
Psal. 35.
Simile.

Psal. 119. ta quærerentur; Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est (quamuis ij nec in gratia confirmati, nec de salute sua securi essent:) quid de dilectissimo discipulo credendum est, qui quo ardentiùs Dominum diligebat, eo vehementiùs & illius immensę pulchritudinis speciem cernere, & in illius pectore requiescere desiderabat; præsertim cùm tam longo sexaginta & octo annorum spatio, hoc tantum illius bonum differretur, cæteris eius fratribus in pace quiescentibus, dilectissimique Magistri consortio fruentibus? Itaque alios Dominus per mortem martyres efficiebat; Ioannem verò noua ratione per vitam, flagrantissimumque videndi Magistri desiderium martyrem fecit. Huius autem desiderij cruciatum solus ille intelligit, qui ardentissimè Dominum diligit, qui cum Propheta dicere potest: Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus: &, Fuerunt mihi lacrymę meæ panes die ac nocte, &c. Amor enim (vt antè diximus) est animorum coniunctio. Vnde fit, vt conquiescere non possit, cùm ab eo segregatur quem vnicè amat.

Psal. 41.

Atque hac præcipuè ratione, fratres, de vestra erga Deum dilectione coniecturam facere poteritis. Vix enim quisquam est, qui si an Deum diligat rogetur, non se illum toto corde diligere confiteatur. Cæterùm ad amoris veritatem non satis est vnius linguæ testimonium, nisi cætera quoque membra & opera nostra cum ea conspirent. Amoris autem duo præcipua officia esse dicuntur; alterũ, libenter pro re amata labores perpeti; alterum, eius præsentiam sitire, deque ea libenter loqui, tractare, agere, & cogitare: hoc est, quatenus licet, hoc modo cum illa semper versari. Quæ quidem causa viris sanctis fuit, vt nunquam (quoad fieri posset) à colloquiis diuinis & oratione cessarent, nec vlla in hoc studio satietate afficerentur. Cùm hæc igitur sint præcipua veræ dilectionis opera, si tu omnem pro Christo laborem detrectas, si Ecclesiæ ieiunia, si carnis macerationem refugis, si voluptatum & libidinum tuarum impetum sequeris, teque ab omni honesto labore subducis, si vix vmquam cum Deo in oratione loqueris, nec illum intra te loquentem audis, si fastidium tibi verba Dei pariunt, si sacra lectio nauseam prouocat, si nulla ex diuinis rebus caperis voluptate, si nullo videndi Dei desiderio æstuas, si maximam vitæ partem sine beneficiorum ipsius recordatione transigis; cùm nihil, inquam, in te horum videam (quæ veræ dilectionis indicia sunt) quibus, quæso, argumentis Deum abs te diligi credam? Falleris, frater, falleris, si amorem verbis iactas, vbi verbis opera non consentiunt. In hoc igitur, fratres, speculo animæ nostræ faciem contemplemur, hoc exemplo animæ nostræ statum metientes. Cui enim

enim nostrûm mors est in desiderio, vitaque in patientia? Quis huius vitæ fastidio ita laborat, vt supplicium reputet diutiùs in ea detineri? Quis ita mortem optat, ac non potiùs eam maximè reformidat? imò verò quàm multi sunt sic huius vitæ amore capti, vt, si eam illis Dominus æternam concederet, non libenter amplecterentur, & alteram valere sinerent? Quomodo ergo Deum diligere credendus est, qui nullo illius videndi desiderio tenetur? qui libenter illo perpetuò careret, cuius cor in terra penitus defixum est. O miserandam temporum nostrorum conditionem! ô algentia in Dei amore pectora! Sola infelices nos terrenorum cogitatio oblectat, sola dormientes excitat, vigilantes occupat, gradientes comitatur, ad illam solum attenti sumus, in ea sine vllo fastidio perpetuò versamur, vixque vlla cælestium rerum cogitatio, desiderium aut cura nos tangit.

Aristotelis sententia est, proprium esse virtutum omnium, & habituum qui in anima nostra sunt, promptè & suauiter actiones suas exercere: aliter enim neque virtutis, neque habitus nomina merentur. Quî ergo fieri potest, vt verè Deum diligat, veraque sit erga illum charitate incensus, qui cùm de Deo, rebusque diuinis aut loquitur, aut cogitat, nulla suauitate, nulla dulcedine oblectatur? Præterea si proprius cælestis gratiæ effectus est, ad eum locum mentem hominis eleuare vnde ipsa digressa est (est enim fons aquæ saliens in vitam æternam) quomodo de diuina gratia gloriatur, qui ad cælestia non aspirat, qui eò non tendit vnde gratia ipsa defluxit? Vertamus ergo vela, fratres, & eò vitæ cursum dirigamus, ad quod ab ipso Deo conditi, redempti, & vocati sumus. Qui enim cæli ciues adscripti sumus, cælestia tractemus, ea in corde & ore versemus, ad ea toto studio contendamus, hæc dies noctesque cogitemus, nullumque propter ea laborem recusemus, vt ad illa tandem felici cursu peruenire mereamur.

Aristot.

Ioan. 4.

IN FESTO SANCTI IOANNIS EVANGELISTÆ, CONCIO TERTIA: in qua primùm de singulari Christi erga Ioannem amore, ac deinde de communi Dei in genus humanum charitate, agitur.

THEMA. *Vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius.* Ioannis vltimo.

CVM multæ, ac penè innumeræ causæ sint, quæ nos, fratres, ad Conditoris nostri amorem & obedientiam prouocare, & quodammodo cogere videantur, illa nos vel maximè vrget, quæ ex immensa Dei bonitate, benignitate, & plus quàm materna erga suos cura & indulgentia, colligitur. Dum enim pij homines vel Vitas sanctorum Patrum legunt, vel piorum hominum, familiariumque Dei amicorum secreta cognoscunt, animaduertuntque qualem Pater ille cælestis suorum curam & prouidentiam gerat, quibus eos gratiæ suæ opibus cumulet, quibus gaudiis & consolationibus lætificet, quibus armis, & laborum exercitatione ad certamina communiat, qua luce mentes eorum perfundat, quanta gloria, tam in vita, quàm in morte, non illos modò, sed eorũ etiam posteros ornet (vtpote qui facit misericordiam in millia his qui diligunt illum) hæc, inquam, omnia cum animo & cogitatione diligẽter pertractant, in huius tantæ bonitatis, charitatis, & suauitatis amorem mirabiliter rapiuntur, & se totos eius obsequio addicere cupiunt: quem non minùs pium & beneuolum experturi sunt, si eum ardenti studio, & tota mente coluerint. Ad hos namq. omnes illa Domini promissio pertinet: Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos. Possem equidẽ plurima huius rei exempla referre, possem in medium producere Moysen, qui facie ad faciem, vt amicus amicum, Dominum alloquebatur. Possem Apostolum Petrum commemorare, cuius vel sola corporis vmbra salutem ægris omnibus conferebat. Possem coapostolum eius Paulum, qui raptus in paradisum, audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Possem denique ex recenti memoria nostra Catharinam Senensem afferre, quam admirabili charitate sibi Dei

Esai. 66.

Filius

Filius desponsauit; quam per se frequenter inuisere, familiariter alloqui, salutaribus præceptis imbuere, singulari splendore illustrare, amantissimis verbis exhilarare, & annulo etiam tanquam firmissimo sponsalium pignore donare, ac tandem sponsæ loco assumere dignatus est. His tamen omnibus prætermissis, vnum Ioannem Euangelistam in medium proferam, quem admirandis Seruator noster amoris priuilegiis clarum & insignem reddidit: vt ita tandem quicunque pietatis studiosi sunt, apertè videant, quàm beneficum Dominum, atque pium parentem colant & venerentur, & quàm eximia atque præclara munera ab immensa illius bonitate atq. magnificentia expectare debeant; & improbi contrà lugeant, quòd vitio suo tam præclaris Dei beneficiis atque donis, non in altera tantùm vita, sed in hac etiam se ipsos priuent atque defraudent. Vt autem hoc argumentum piè & vtiliter tractare possimus; cælestem opem sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Floruit olim apud Gentiles insignis quidam pictor, qui vbi magno studio atque arte absolutissimum Helenæ simulachrum depinxisset, sui quoq. ipsius imaginem in eadem tabula non minore arte ad viuum sic expressit, vt nemo pulcherrimam illam tabulam intueretur, quin artificis quoque effigiem cerneret. Simile quiddam mihi Euangelista Ioannes in hodierna sancti Euangelij lectione fecisse videtur. Cùm enim in Euangelio suo absolutissimum vitæ Domini Saluatoris simulachrum diuinis coloribus expressisset, nobisque velut in tabula spectandum proposuisset; in calce tandem pulcherrimi operis seipsum quoque, hoc est, laudes, & ornamenta quibus fuerat ab ipso Domino affectus, descripsit. Quantum autem ex huius Euangelij lectione, cęterisq. colligere licet, hoc in summa deprehendimus, Ioannem quidem in omnibus donis atque priuilegijs, quæ cæteris Apostolis tributa sunt, nulla in re fuisse inferiorem, in multis tamen superiorem & ornatiorem extitisse. Primùm enim ex septuaginta duobus discipulis, duodecim Dñs elegit, quos & Apostolos nominauit: qui (vt Paulus ait) inter omnes Ecclesiæ gradus principem locum tenent. In horum autem illustrem & gloriosum numerum (vt hinc illius laudes enumerare incipiamus) eum cooptatum fuisse scimus. Ad tres deinde Euangelistas, quos idem Dominus rerum à se gestarum scriptores esse voluit, quarto loco accessisse, atque inter omnes quidē mirabiliter excelluisse non ignoramus. Ex tribus autem Apostolis, quos Dominus ad duo longè diuersa maximeque miranda spectacula contuenda elegit, vt videlicet eius faciem in monte quidem Sole splendidiorem, in horto verò pallore mortis, & san-

1 Cor. 3.

guineo sudore perfusam cernerent, hunc etiam vnum extitisse constat. Ex duobus autē quos præmisit, vt Pascha sibi morituro pararent, hunc vnū fuisse legimus. Harum igitur siue communium, siue singulariū aliorum Apostolorū laudū particeps semper fuit Ioannes. At multis aliis laudibus, & peculiari gloria ita ipse solus floruit, vt sociū, aut parē neminē habuerit. Vnus enim fuit, qui virgo à Dño electus, virginitatem perpetuò conseruauit. Vnus, qui cæteris in passione Dñi fugientibus, & eundem vel abnegantibus, vel deserentibus, nunquā ferè destituit, neq. frangi aliquo timore potuit, quo minùs illū omniū itinerū atq. laborū indiuiduus comes ad crucē vsque sequeretur, & iuxta illam ardētissima charitate inflāmatus astaret, eo presertim tempore, quo omnes eius noti atq. amici (vt ait Euangelista) à longè stabant. Vnus præterea fuit, cui Dñs, in cruce pendens, matrem virginem virgini commendauit. Vnus, qui supra pectus Dñi in cœna recubuit, eundemq. interrogauit: Dñe, quis est qui tradet te? Vnus, qui singularem huius nominis dignitatem promeruit, vt appellaretur discipulus quē diligebat Iesus. Vnus postremò, cuius mors & tumulus maximè mirabilis exstitit: corpus siquidem eius nusquā in terris apparet, sed (vt multi sanctorum Patrum piè testificantur) cum corpore simul & anima in beatas illas immortalitatis oras assumptus est; quod nulli Apostolorum contigisse legimus: corpora enim eorū apud nos adhuc in terris manēt, cū animę tamē sempiternis gaudiis in cęlo perfruantur.

I.

Satis quidem constat, inter omnia Dei munera primum esse à Deo diligi: ab eo enim diligi, est eius dilectione dignū fieri. Hoc enim (vt D. Thomas ait) inter diuinā & humanam dilectionem atq. electionem distat, quòd homines cordati eos diligunt, quos ea dilectione & electione dignos esse cognoscunt. At omnipotens Deus, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt; eo ipso quòd alios diligit, vel ad munus aliquod administrandum eligit, ipsa sua dilectione & commisso munere dignissimos efficit. Qua de re sic Picus Mirandulanus, cum Deo loquens, ait:

Maior in erratis bonitatis gloria nostris:
Et dare non dignis, res mage digna Deo est.
Quanquam sat digni, si quos dignatur amare;
Qui, quos non dignos inuenit, ipse facit.

Sed vt ad institutum redeamus: Christi erga Ioannem dilectio nō cōmunis & vulgaris, sed singularis & rara exstitit: quod quidem illius nomen apertè declarat. Hoc autem cuius dignitatis & glorię sit, aulicorū exemplo discimus. Hi enim ad fores palatij Regem obseruāt, nec ante illius conspectū, nisi iussi, venire audēt, & cū magna timoris & reuerentiæ significatione coram

illo

illo assistũt. At si quis singulari apud Regē gratia floruerit, omnes ei honorē deferunt, illi assurgunt, fores ei semper patēt, iniussus Regē adit, omnesq́. Regis ministri illi obsequuntur & inseruiunt. Quã ergo dignitatē & excellentiã inter ceteros regni Proceres is obtinet, qui vnicè Regi charus est; eandē inter sanctos & Dei ministros is tenet, qui singulari ab eo amore diligitur: quo quidē nomine Ioannē hoc loco pręcipuè cõmendamus.

Rationi autē consentaneum videtur, vt paulo diligentiùs expendamus, quibus potissimùm argumentis singularem erga illum Christus Dñs dilectionem ostenderit. Quatuor autem (vt cætera omittã) præcipuis signis vim amoris, quo amicũ prosequimur, declaramus: si videlicet in illũ beneficia conferimus; si familiaritatis illi signa exhibemus; si secretorũ participem facimus; si postremò res pretiosas, nobisque valde charas, illius fidei committimus. Hæc autem nunc sigillatim in Ioanne consideremus. Principiò igitur (quod ad beneficiorum collationem attinet:) tantis quidem fuit atq. tam eximiis muneribus ornatus, vt, quidquid aliis per partes donatum est, totum penè fuerit in vnum illum simul congestum. Apostolus enim, Propheta, Euangelista, Martyr, Confessor, Doctor, Pontifex, & Virgo exstitit. Quid ergo amplius in illo desiderare possumus? Si vnaquæque harum dignitatum illustrem & gloriosum efficit habentem; qua dignitate & gloria florebit, qui omnibus his simul titulis decoratus fulget? Nec omnino martyrij gloria (saltē essentiali, vt vocant) caruisse putandus est, cùm Dñs illi, atque eius fratri dixerit, Calicem quidem meum bibetis; & cùm præterea is in Pathmos insulam fuerit relegatus, atque in dolium feruentis olei cõiectus. Vt enim D. Cyprianus ait, aliud est martyriũ cordi deesse, aliud cor deesse martyrio. Quod in Ioannem nullo modo cadit. In feruentis enim olei dolium, in eo frigendus, libenti & constanti animo ingressus est. Secretorum autem reuelationem amicitiæ propriam & peculiarē esse, ex Christi Seruatoris nostri verbis didicimus; ait enim: Iam non dicã vos seruos; quia seruus nescit quid faciat dominus eius: vos autem dixi amicos; quia omnia, quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Hanc autem amicitiæ dignitatem Dominus eo tempore ostendit, cùm ad Sodomorum euersionem pergeret, & Abrahæ se comitanti diceret: Num celare potero Abraham quæ gesturus sum? Quod perinde est ac si diceret: Fieri certè non potest, vt, cùm Abraham in amicitiam receperim, non illũ quoq. secretorum meorum atq. consiliorum participem faciam. At Ioanni nostro, quæ non arcana detexit? quid non cum illo, tanquã cum amicissimo, cõmunicauit? Illi sui ipsius, illi domus atq. familiæ, illi denique cælestis regni secreta, aperuit. Quod enim ad eius

Mat. 20.

Cyprian.

Ioan. 15.

Gen. 18.

personam attinet, summum beatissimæ Trinitatis arcanum, & ineffabilem diuini Verbi generationem ita illi ostendit, vt altissimæ huius Theologiæ summam vnico verbo comprehenderit, cùm Dei Filium, Patris Verbum appellauit. Hęc enim vox mysterij huius rationem mirabili compendio declarat. Quo nomine meritò inter sacros Euangelistas aquilæ comparatur; quæ oculis non conniuentibus splendidissimũ iustitiæ Solem contemplata est. Aquilæ, inquam, magnarum alarum, quæ in Libanum ascendit, atque inde medullam cedri tulit: hoc est, vnigeniti Filij naturam, qui est in sinu Patris, explicauit. Domus etiam, hoc est, Ecclesiæ suæ secreta, Angelo tradente, reuelauit, dum in Apocalypsi varios Ecclesiæ successus, persecutiones & victorias, prima, media, atque nouissima vsque ad Antichristi tempora admirandis figuris & imaginibus ostendit. Regni quoque cælestis abdita manifestauit, & supernæ ciuitatis muros, mœnia, plateas, portas & clarissimum eius ornatum atq. pulchritudinem oculis conspiciendam præbuit. Paulus quidem in paradisum raptus, nihil nos aliud docuit, quàm audisse se arcana verba, quæ non licet homini loqui; at Ioanni & videre, & scribere, atque aliis prædicare datum est.

Iam verò si familiaritatis signa veram amicitiam produnt; quod maius familiaritatis signum, quàm in sinu Iesu molliter recumbere, ibiq. dulci somno perfrui, & proditoris nomẽ interrogare: quod nec Apostolorum princeps, qui tam audacter Dñm semper alloqui consueuerat, percontari ausus est? Sed à quo, quæso, alio fonte tanta Ioanni fiducia, vt hoc à Domino quæreret, & supra illius pectus recumberet, nisi à maxima dilectione, qua illum Dñs prosequebatur, oriri potuit? Hæc igitur dilectio tot argumentis atque indiciis perspecta, eam fiduciam præstitit, vt in cœna supra Dominicum pectus velut in mollissimo strato quiesceret. Baptista toto corpore contremuit, & sanctum Dei verticem contingere minimè audet: columnæ quoque cæli ad eius nutum pauent: Angeli maiestatem eius perpetuis laudibus reuerentur: Dominationes summa illi reuerentia & obseruantia ministrant: Potestates in illius conspectu contremiscunt: & Ioannes tamen in eiusdem præpotentis Dñi sinu recumbit.

Venio nũc ad quartũ familiaritatis indicium, in quo rerũ pretiosissimarũ & charissimarũ commẽdatio est. Hoc igitur arctissimæ atque fidelissimæ amicitiæ munus esse nemo dubitat. Si enim amicũ peregrè proficisci contingat; vxorem, liberos, opes, & quidquid tandem charissimum habet, fideli amico credit atq. cõmittit. Inspiciamus igitur quas opes Dominus Iesus Ioanni seruandas cõmiserit, quamq. amanter has veræ amicitiæ partes obierit. Is ergo in cruce moriens testamentum condidit, in quo

Patri

Patri ſpiritum, Eccleſię corpus, latroni paradiſum, & veſtes militibus à quibus fuit in crucem ſublatus, legauit: dilectus autem diſcipulus ibi aderat, quid ſibi donaretur expectãs. At Chriſtus, Quid tibi, inquit, chariſſime legabo? Quid, fidiſſime laborum & mortis meæ comes, teſtamento relinquam? En mater adeſt, qua poſt cæleſtem Patrem nihil mihi neque in cęlo neq. in terra charius & pretioſius eſt. Hanc tibi non ſolùm in dominam, reginam, & aduocatam, ſed etiam in matrem trado. Quo nomine nihil arctius, nihil dulcius, nihil amantius. Ecce, inquit, mater tua. Quæ igitur mater mea eſt, tua quoq. ſit; vt iam ex diſcipulo reddaris frater, quando vna mihi tecum & communis mater eſt. O ſummum dilectionis argumentum! ô ſingulare dignitatis & gloriæ priuilegium! Quid ad hanc dignitatem amplius accedere potuit? Quid hac materni nominis appellatione blandius? quid etiam ſublimius atque diuinius? Non dubito, quin, ſi in ſupremos illos Seraphici ordinis ſpiritus vlla cadere poſſet inuidia, huic tantę Ioannis dignitati inuiderent; quòd, quam illi reginam ac dominam venerantur, Ioannes matrem appellet. Sed operæ pretium erit expendere, quibus potiſſimùm meritis ſanctus Euangeliſta hanc tantam dignitatem fuerit conſecutus.

Ioan. 18.

In maximis quidem Dei donis tutiſſimum eſt, ad immenſam Dei gratiam omnia referre, ex qua hoc ſingulare beneficium fluxit. Sed ſi hominis meritum ſpectare velimus, ingens certè & eximium meritum fuit, cęteris Apoſtolis fugientibus, Ioannem neque in Pontificis domo (in qua Petrus Chriſtum negauit) neque in cruce Dominum deſeruiſſe, ſed eius lateri adhęſiſſe, & illius laborum & cruciatuum comitem exſtitiſſe. Quanti enim hanc conſtantię virtutem Dominus faciat, non obſcurè declarauit, cùm ad diſcipulos dixit: Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis: & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo. Multas alias diſcipulorum virtutes commemorare Saluator poterat, quibus & regnum Dei, & cæleſte conuiuium Apoſtoli promerebantur; ſed huius tamen fidelitatis præcipuè mentionem facit, quòd ea ſibi gratiſſima ſit. Sic Mathathias in lib. Machab. morti iam proximus, hoc maximè nomine apud filios ſuos Abraham cõmendauit, quòd in tribulatione fidelis inuentus fuerit, ideoq. amicus Dei appellari, & à Domino audire meruerit; Nunc cognoui quòd timeas Dñm. Ob hanc igitur inſignem virtutem arbitror fidiſſimo Ioanni tantum hoc donum fuiſſe donatum, vt Dei matrem ipſe quoque in matrem haberet. Quo quidẽ exemplo perſpicere licebit, fratres, quẽ illi apud Dominum locum & meritum teneant, qui in tribulatione fideles ſunt; hoc eſt, qui nullis aduerſarum rerum fluctibus

Luc. 22.

1. Mach. 2

ita opprimuntur, vt vel debitam Deo fidem & pietatem deſerant, vel de gradu virtutis & conſtantię depellantur. Pium etiam fidelium affectum erga Dominicæ paſſionis beneficium hac ratione vehementer commendari exiſtimo. Sicut enim Ioanni, iuxta crucem aſſiſtenti, hoc tam præclarum munus à Domino collatum eſt; ita his qui ſingularem deuotionis affectum erga Dominicæ paſſionis myſterium gerunt, menteque & pia conſideratione iuxta crucem aſſiſtunt, maxima & præclara dona quotidie conferuntur.

Cæterùm vt ad hanc beatiſſimi Ioannis dignitatem redeamus; nemo ſibi perſuadeat, ſolum hîc filij titulum Ioanni conceſſum fuiſſe. Cùm enim Dominus nunquam fruſtra rebus aut perſonis nomina imponat; ſi Virginem Ioannis matrem, & Ioannem Virginis filium appellauit, affectus vtique & mores & animum hac appellatione dignum illi etiam donauit. Virginis itaque præcordiis plusquam maternum in Ioannem amorem impreſſit; Ioanni autem maximã in Virginem reuerentiam cum ardenti charitate & obedientia coniunctam inſeuit. Hoc enim ipſe Ioannes innuit, cùm ait: Ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſuam. Hoc eſt, maxima illam reuerentia & inflammato charitatis ſtudio ex illa hora proſecutus eſt, ſeque ad omnia illius obſequia paratiſſimum obtulit. Quamuis enim non naturâ, ſed gratiâ filius eſſet, longè tamen perfectius gratiâ quàm naturâ filij munus obiuit.

Cùm autem ex Eccleſiaſticis conſtet hiſtoriis, cæteris Apoſtolis per vniuerſum orbẽ diſperſis, Ioannem diutiùs in Iudæa permanſiſſe; facilè certè diuinare poſſumus, hoc ingratiam Virginis contigiſſe, vt ſcilicet pretioſum illud depoſitum ſibi commiſſum attentiùs ſeruaret, & Virginis orbitati ſe indiuiduum comitem exhiberet: vt ſic tandem demandatum ſibi filij munus & officium pleniùs exequeretur. Hîc ego vos, fratres, appello, quicunque pio affectu, & ardenti ſtudio ſacram Virginem, & eius filium Ioannem proſequimini; cum animis veſtris cogitate, cuius felicitatis fuerit, tot annos poſt Domini in cælum aſcenſum cum illa caſtiſſima columba commorari, eius exemplis & virtutibus inſtrui, eius doctrina & magiſterio imbui, eius denique ſanctiſſima præſentia frui, quam magnus ille Dionyſius vbi primùm vidit, quandam diuinitatis imaginem ſe in ea contemplatum fuiſſe confitetur. O felicem Ioannem, qui poſt Chriſtum Dominum talem meruit habere magiſtram! Quid ab ea non didicit? quid non impetrauit? Dubium certè nemini eſſe poteſt, quin omnis eorum ſermo, Dei & Virginis Filium identidem ſonaret, eiuſque facta, dicta, miracula, atque magnificentiſſima opera perpetuis laudibus decantaret.

cantaret. Quidquid autem ipsa tam longo tēporis spatio in priuatis colloquiis à filio audierat, quidquid insignium eius operū tam in infantia, quàm in adolescentia viderat, totū ab illa fuisse cum dilectissimo Ioanne communicatum, piè certè credendum est. Neq. enim exstimare debemus, primū signorum omnium, quæ Christus edidit, exstitisse, quòd in nuptiis aquā in vinū verterit. Neq. enim illud mater à filio poposcisset, si triginta annorum spato nullū ab eo signū fieri vidisset. Multa igitur præcessisse apparet, quæ matri hanc petendi fiduciā præbuerunt. Hæc igitur onnia sacra Virgo cum Ioanne cōmunicauit. Quæ autē orationis vis horū colloquiorū suauitatē enarrare queat? Sancta virgo Scolastica cum amantissimo fratre Benedicto de rebus cælestibus disserens, tanta suauitate complebatur, vt cum à fratre imperare non posset, vt noctem illam insomnem in diuinis colloquis traducerent, à Dño id breui, sed ardentissima oratione impetraerit. Si igitur colloquia ista tanta erant suauitate atq. dulcedine referta; quid de Virginis & Ioānis suauissimis sermonibus exstimandū est, quorum erat tanto maior sanctitas atq. gratia, & tanto dulcior atque recentior operum Christi Domini memori? Si enim ad vnam Virginis salutationem Ioannes Baptista eiusque mater, Spiritu sancto repleti sunt; quantum tandem tot Virginis verbis vltrò citroque collatis, Ioannem commotum atque inflammatum fuisse credendum est?

Vt igitr ad institutum redeamus, his argumentis, fratres, non solùm qualē se Christus erga Ioannem gesserit, sed qualis etiam in bonoomnes existat, intelligetis. Quamuis enim hęc propria atq. pecliaria sint Ioannis priuilegia, diuina tamen bonitas innumeralia in thesauris suis recondita dona habet, quibus pios in hac etiam vita ornare, ditare, & miris modis honestare solet: quæ quiem ipsorum animos sic afficiunt, vt cum Propheta exclamare cogantur: Quàm bonus Israël Deus iis qui recto sunt corde! Sd vt nobis Ioannis exēplo aditus ad hæc cælestia bona patefiat, proximū est, vt diuini huius erga Ioannē amoris causas inquirimus. Et quidem si de antecedentibus causis agamus, nulla antecedens diuinæ voluntatis causa, nisi diuina voluntas est: quæ prima rerum omnium causa, & prima veræ bonitatis regula extit. Hanc enim Apostolus insinuauit, cùm ait: Nos sponte vcati sumus secundùm propositum eius qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ. Sic etiam regius Propheta Saluum, inquit, me fecit, quoniam voluit me. Et alio loco: In beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum. hoc est, omnis nostra fortitudo atque felicitas ex diuinæ voluntatis tuæ beneplacito pendet. Si verò de consequenti Dei voluntate disseramus, omnes ferè sancti Patres testantur, puritatem,

Psal. 71. Ephes. 1. Psal. 17. Psal. 88.

quæ in Ioanne eluxit, huius dilectionis causam extitisse. Virgo enim electus à Domino, virginitatem perpetuò conseruauit. Cùm enim similitudo sit amoris conciliatrix, consequens certè erat, vt immaculatus Dominus immaculatum discipulum singulari amoris priuilegio prosequeretur. Id quod Isaas huius virtutis sectatoribus pollicetur, cũ ait: Hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint sabbatha mea, & elegerint quæ ego volui: dabo eis in domo mea locum nominatum, & nomen melius à filiis & filiabus. Videtis quibus verbis sermo diuinus apertè doceat, singularem quandã in domo Dei gloriam castitatis virtuti propositam esse? Sed quia perpetuæ corporis integritati superbia semper insidiatur, quæ de hac singulari laude hominem efferre potest; ideo corporis integritas, cordis humilitate sepienda atq. munienda est. Ait enim Ambrosius: Virginitatis bonum quã magnũ video, tantũ ei, ne pereat, furem superbiam pertimesco. Necesse igitur est, vt in Ioanne cum perpetua integritate, summam cordis humilitatem, quæ virginitatis custos est, coniunctam semper & copulatam esse fateamur. Quæquidem tanto in eo mirabilior est, quanto vitæ puritas in eo maior extitit. Et quidem cæteri sancti, qui non sunt in gratia vt Apostoli confirmati, habent quo tumorẽ animi deprimere, & se submissè gerere possint, cùm hodie quidẽ sanctitate floreant, manè verò, quales futuri sint, ignorent. Quo nomine Diuus Franciscus laudes sibi ab hominibus tributas reiicere solebat; Adhuc, inquiens, in eo statu sum, in quo filios & filias habere possum. Cùm autem Ioannes hoc verè dicere non posset, colligitur certè, cordis humilitatem in eo mirabiliorem extitisse. Quo magis eorum detestanda superbia est, qui sceleribus inquinati animo tamen efferuntur. Horum enim superbia, non tam superbia quàm insania nuncupanda est. Quisquis igitur has Ioannis virtutes pro virili sua fuerit imitatus; is planè, si non propria Ioannis priuilegia, at certè alia pulcherrima diuinæ gratiæ munera ab illo inexhaustæ bonitatis fonte percipiet.

Isai. 56.

Ambros.

SECVNDA PARS.

Sed quoniam de singulari Christi in Ioannem dilectione diximus; consequens est, vt de dilectione eius in nos dicamus. Quid enim nobis emolumẽti afferet, si Ioannem Domino charissimum fuisse intelligamus, nisi ipsi etiam ab eodem diligamur? Hæc enim votorum omnium summa est, ab eo diligi, qui supra omnia est. Huius autem rei cognitio mirum in modum nostrum erga illum amorem excitat & incendit. Quemadmodum enim ignis nulla re magis quàm alio igne accenditur: ita amor nulla re vehementiùs quàm alterno amore excitatur. Hoc item spem nostram mirè alit atque confirmat. Ad cuius enim

Simile.

enim præsidium tutiùs confugiam, quàm ad eius à quo me vehementer diligi existimo, cùm amicorum omnia sint communia, nemoque simul & amare & deserere soleat? Quid autem (quocumq. me fortuna verset atq. deuoluat) molestię quippiam afferre queat, cùm omnipotentem Deum amatorem, protectorem, defensorem, & vitæ custodē habeam? Hoc igitur non modò scire, sed vel coniecturis colligere, magnam nobis iucunditatis atque lætitiæ materiam suppeditat: neque vllum nobis Pascha faustius atq. felicius hoc nunciari poterit. Quia verò amor, cùm verbis, tum vel maximè operibus patefieri solet; vtriusque rei plurima ex litteris sanctis afferre testimonia possem. Sed ne longiùs à præsentis solemnitatis mysterio recedam; satis superque ad hoc erit, summum illud diuinæ dignationis beneficium quod trepidantibus pastoribus hodierna die Angelus nunciauit, cùm dixit: Annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid. Quibus verbis (vt ingenuè quod sentio dicā) nescio an in tota sacra pagina inueniri quidquam possit aut iucundius, aut salutarius, quodque maiorem mentibus nostris lætitiam & amorem in Deum possit adferre. Quod vt intelligatis, sciendum est, duplici potissimū nomine aliquid magnū dici: aut quòd reuera natura sua, ingenti etiam animo, magnum esse videtur: aut quòd pusillo animo, ob eius exiguitatem & angustiam, magnum esse putatur; cùm tamen reuera paruum sit. Prudenter enim à Seneca dictum est; Multis rebus non ex natura sua, sed ex paruitate nostra magnitudo accedit. Sic rudes & pusilli homines terrenas opes, & inanes honores magnos æstimant, quibus quidē, cùm momento temporis velut vmbra euanescant, nihil minùs quàm magnitudinis nomen conuenit. Vnde hos fallaces rerum æstimatores Salomon infantiæ nomine vituperat, cùm ait: Vsquequò paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sunt sibi noxia cupient? Quod perinde est, ac si diceret: Vsquequo adeò pusillo & infantili animo eritis, vt puerorū amore res lubricas & inanes consectemini, easq. tanti faciatis, vt dignas existimetis, quas cū magno vestro malo ardentissimè cupiatis? Vt enim pecudibus & iumentis fœnū iucundius & gratius quàm aurum est; ita isti, pecudum more viuentes, fluxa sempiternis, terrena cęlestibus anteponūt. Hæc igitur quę vulgò fortunę bona appellantur, paruis quidem animis magna sunt; at ingens animus nihil magnū reputat, nisi quod reuera tanto nomine dignū esse intelligit. Vnde idem Seneca, Scitote, inquit, præter animū nihil esse mirabile, cui magno nihil est magnū. Cùm igitur Angelus Domini, hoc est nobilissima & excellētissima creatura, magnum nobis hodie gau-

Lucæ 2.

Seneca

Prou. 7.

Simile.

Seneca.

dium annunciet, necessariò fatendū est, aliquid verè magnum & multis nominibus splendidū mortalibus nunciari. Magnum ergo gaudium de magno beneficio, eximia salute, amplissima gratia, copiosa redēptione, summisq. opibus atq. cælestibus donis, oriri necesse est. Huius autem diuini muneris magnitudo ab iis duntaxat dignè percipitur, qui cum Apostolo Spiritum illum acceperunt, quo illustrati munerum in se collatorum vim & præstantiam intelligunt; & ardentissimo harum opum desiderio inflammati ad eas consequendas tota mente rapiuntur.

Prou. 27. Perspicuum enim illud est quod à Salomone dicitur, Anima saturata calcabit fauum, & anima esuriens etiā amarum pro dulci sumet. Hæc igitur diuina munera ab esurientibus & sitientibus, non autem à fastidiosis & saturis, verè magna putantur. Eos verò fastidiosos & saturos hoc in loco appellamus, de quibus Apo-

1. Cor. 4. stolus ait: Iam saturati estis, iam diuites facti estis, sine nobis regnatis, atq. vtinā regnetis! Quorum quidem in numero repu-

Apoc. 3. tari poterat is cui in Apocalypsi dicitur: Dicis, quia diues sum, & nullius egeo; cùm tamen sis miser, & miserabilis, pauper, & cæcus, & nudus. Neq. illis sanè hoc magnum gaudium nunciatur,

Esaiæ 30. qui apud Esaiam dicunt, Auferte à me viam, declinate à me semitam, cesset à nobis sanctus Israël. Hi igitur saturati, & terrenarum rerum amore repleti, nihil sibi magnum ab Angelo proponi existimant. Quod quidem vel eo solo argumento declaratur, quòd nec Dñm pro tanto beneficio laudant, nec dignas illi gratias agunt, nec ea ratione lætentur, quòd Angelus Christi ortum nunciauerit; sed quòd festum aduētasse vident, in quo dies noctesq. in omni crapula & intemperantia consumere queant. His enim, qui terrena sapiunt, quo modo spiritualia iucunda & grata esse poterunt? Cui ergo hic fauus dulcis erit? Cui hoc Angeli nūcium felix, faustum, & verè magnum videbitur? Da mihi sitientem iustitiam; da æternam salutē auidè desiderantem; da veras diuinæ gratiæ opes auidissimè cupientē; da ad vnam Dei amicitiam toto pectore aspirantē; da bonis æternis inhiantem: da diuinam opem & misericordiam gemitibus inenarrabilibus implorantē, da nòn minori auiditate fructus dignos pœnitentię desiderantē, quàm Rachel filios olim desiderabat, cùm viro suo

Gen. 30. diceret; Da mihi liberos, alioquin moriar. Da deniq. sua & aliorum peccata lugentē, & animę vulnera plangentem, salutariaq. medicamenta desiderantem: hunc mihi da, & is planè huius legationis angelicæ gratiam sentiet, & præ iucunditate atq. gaudio seipse non capiet. Huius enim magni gaudij nomine intelligit cælitus nunciari atque offerri sibi summum malorum omnium remedium, vulnerum cunctorū efficacissimū medicamentum, omnium piorum desideriorum complementum, & cæle-

stium

ſtium donorũ & gratiarum largiſſimũ prouentũ. Is igitur huius beneficij magnitudinẽ inenarrabili gaudio proſequetur. Neque mirum cuiquam videri debet, eos, qui ita animo affecti ſunt, huius doni amplitudinẽ ſentire; quando ad horum præcipuè ſalutem Dei Filius ſe veniſſe teſtatur, cùm ait ſe à Patre miſſum, vt mederetur contritis corde, & daret eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris. Iſai. 61.

Sed dicet aliquis forſan: Cùm ad omnium hominũ ſalutem venerit Chriſtus, cur non etiã ad omnes ſalutis per illum allatæ fructus perueniat? Huic quidem facilè reſpondere poſſumus. Quemadmodũ enim Adami lapſus ad illos ſolùm, qui ab illius ſtirpe ſunt generati, ita ſpectat, vt, ſi quis nouus aliquis homo à Deo conditus eſſet, qui ab illo originẽ non traheret, nec etiam peccati ab eo cõmiſſi contagium traheret: ita contrà nemo redemptionis Chriſti particeps eſſe dignè poteſt, qui ſpirituali fidei vigentis vinculo cum illo coniunctus non eſt. Illum namq. cæleſtis Pater propoſuit propitiatorẽ, ſiue (vt D. Auguſt. legit) propitiatorium per fidem in ſanguine eius. Hæc igitur viua fides nos illi coniungit, hæc filios, & hæreditatis eius participes conſtituit. Quod etiam idem Dñs teſtatur, cùm ait: Hæc eſt voluntas Patris mei qui miſit me, vt omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitã æternam. Quàm læto & alacri pectore verba hæc audiunt, quid de ſola fide, multis tamen ſceleribus obſcurata & extincta, ſibi blandiuntur! Sed vt intelligatis, hanc fidem, vt ſalutem dare poſſit, cum charitate copulandam eſſe, eundem audite Dominum ſic ad diſcipulos dicentem: Ipſe Pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis, quia à Deo exiui. Videtis hic amandi ſimul & credendi officia coniuncta. Non ſatis ergo eſt ſi credas Chriſto, niſi diligas Chriſtum. Simile. Ioan. 9. Ioan. 16.

Inſtabis tamẽ, & Chriſtum à te diligi perſanctè iurabis. Tunc planè id verum eſſe fatebor, cùm te ea exequi videro, quæ hunc amorẽ neceſſariò conſequuntur. Et quæ nam illa ſunt, inquies? Audi ipſum Dñm dicentem: Si quis diligit me, ſermonẽ meum ſeruabit. Et iterum: Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me. Et in Canonica ſua Ioannes, Hæc eſt, inquit, charitas, ſi mandata eius ſeruamus. Vide igitur an eius mandata ſerues, hoc eſt, an proximum perinde ac te ipſum diligas, an illius miſerias ope tua ſubleuare contendas, an eius felicitate tanquam tua læteris, & malis eius velut tuis indoleas; an illius contra Deum ſuſcepta flagitia animũ tuum pungant; an denique tot animarũ quotidie pereuntium iactura ſolicitũ te reddat. Hoc enim mandatum accepimus à Deo (vt ait dilectus Chriſti diſcipulus) vt, qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum. Si quis autem (ait idem) viderit fratrẽ ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera Ioan. 14. Ibidem. 1. Ioan. 5 1. Ioan. 4 1. Ioan. 3

viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? Filioli, non diligamus lingua, ſed opere & veritate. Quòd ſi tu nihil horum præſtas, ſed contrà aliorum te incommoda delectant, & aliena felicitate morderis; ſi aliorum famę detrahis; ſi contumeliis proximum laceras; ſi omnibus eum diris deuoues; ſi dum aut emis aut vendis, illum fraudare, & aliena iactura rem tuam augere ſtudes; ſi impudicos oculos in eius vel vxorem, vel filiam, vel ſororem coniicis; ſi eius dicta factaq. omnia perpetuò rodis; ſi alienum denique inuito domino retines: num, cùm tantis ſis ſceleribus inquinatus, proximum tamen à te amari dictitabis? Quòd ſi eum non diligis, quomodo à te Chriſtum diligi iactas? Quî fieri poteſt, vt caput alicuius corporis diligas, cuius membra laniare non ceſſas? Ergo (vt iam dicendi finem faciamus) quiſquis amoris Chriſti, quiſquis ſalutis & redemptionis, quam is hodie natus attulit in mundum, particeps eſſe cupit, ab aliorum iniuria ſe contineat, omnibuſq. hominibus & bene velit, & benignè, cùm opus fuerit, faciat: & ita tandem charitatem perpetuò ſectando, copioſum diuinæ gratiæ munus in hac vita accipere, in futura verò immenſum gloriæ pondus ab eo conſequi merebitur, qui hodie in terris natus eſt, vt nos Dei domeſticos, & cæleſtium virtutum conciues efficeret.

IN PVRIFICATIONE BEATÆ VIRGINIS MARIÆ CONCIO PRIMA: in qua lectio Euangelica explanatur.

THE. *Ecce homo erat in Hieruſalem, cui nomen Simeon; & homo iſte iuſtus & timoratus, expectans conſolationem Iſraël.* Lucæ 2.

DVo hodie veneranda myſteria ſub vnius diei ſolemnitate comprehendit Eccleſia: alterũ quidem, oblationẽ Domini Saluatoris: alterũ verò, beatiſſimæ matris eius purificationem. Vtrumq. autem myſterium à duplici lege filiis Iſraël olim lata ortum habuit. Altera enim lege Dominus præceperat, vt primogenita omnia, ſiue hominum, ſiue iumentorũ, ſibi offerrentur. (Exod. 13.) Quia enim is, vt eos ab Aegyptiaca ſeruitute liberaret, omnia Aegyptiorum primogenita vna nocte occiderat (qua plaga illata, ab Aegyptiis manu miſſi ſunt, & à finibus eorum exire compulſi) (Exod. 12.) idcirco in huius beneficij memoriam, omnia primogenita filiorum Iſraël, perpetua ſibi lege offerenda præcepit. Quo argumen-

argumento agnoſcere licet, fratres, quantopere à nobis Dominus beneficiorum ſuorum memorem animum requirat, quamque is partim liberaliſſimus, partim etiam (ſi dicere fas eſt) auidiſſimus ſit. Liberaliſſimus quidem in beneficiis conferendis; auidididiſſimus autẽ in gratiis exigendis: non quòd ipſe laudibus noſtris egeat, qui maior eſt omni laude; ſed ne liberalitatis eius manus ingrati animi vitio conſtringamus, ſed magis veterum memoria beneficiorum, nouorum incrementa mereamur: atque ita neque nos à gratiis agendis, neque is à conferendis beneficiis vnquam ceſſet. Hanc ergo legem beatiſſima Virgo hodie impleuit, quæ primogenitum & vnigenitum ſuum æterno Patri ſuppliciter obtulit: quem oblatum, poſtea quinque ſiclis, iuxta legis præſcriptum, redemit. Altera verò lex præcipiebat, vt puerperæ omnes, tranſacto à puerperio ſuo certo dierum numero, templũ adirent, & pro emundatione ſua ſacrificium offerrent: ante quod tempus, ex legis inſtitutione, immundæ cenſebantur, & ab ingreſſu templi, contactuq. ſacrorum omnium, tanquam immundę arcebantur. Quam hodie legem beatiſſima puerpera noſtra implere voluit; quæ poſt quadrageſimum à felici ſuo partu diem, templũ adiit, & pro emundatione ſua, quod lex præcipiebat, ſacrificium obtulit: par videlicet turturum, aut duos pullos columbarum. Diuites enim matres agnum offerre iubebantur; pauperibus autem hæc auium oblatio aſſignabatur. Qua in re non eſt ſilentio prætereunda beatiſſimæ Virginis inopia, quę tanta erat, vt ne agnum quidem habuerit quem offerret; ſi enim habuiſſet, non dubium quin propter auaritiam ſumptui minimè pepercillet. Nam qui ſerui ſuſceperat formam, & qui, cùm diues eſſet, pro nobis egenus factus eſt, vt illius inopia nos ditaremur, is vtique cætera omnia ſui ſimilia elegit, pauperem domum, pauperem familiam, pauperem matrem, pauperem diſcipulorum ſcholam, adeò vt vnus eorum diceret: Cùm eſſem apud vos, & egerem, nulli onerosus fui. Itaque magnus ille inter Apoſtolos Paulus, qui in tertium cælũ raptus, magiſter Gentium, & vas electionis à Deo deſtinatus erat, vt in eo mirabiles donorum cæleſtium theſauros reconderet, quibus vniuerſum mundũ locupletaret, tanta rerũ ad vitæ vſum pertinẽtium inopia laborabat, vt diceret: Cùm eſſem apud vos, & egerẽ. Quibus egebas, Paule? Non vtiq. ſuperuacaneis, quibus nõ vtebaris; ſed omnino neceſſariis. Egebas tunica, pane, domo, & calceo: adeò, vt ſæpe inopia cogente incœnatus accumberes, ſæpe tibi deeſſet quo famem ſedares, quo nudum latus tegeres, & quo à te frigoris & nuditatis iniuriam depelleres. Hoc enim & ipſe ſignificaſti, cùm diceres: In fame & ſiti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate. Si ergo egebas, his vtique neceſſariis, non ſuperuacuis

Leuit. 12.

2. Cor. 11.

Ibidem.

cuis egebas; vt hinc appareat, quàm chara Deo nostro sit humilitas, & humilitati cognata paupertas.

I.

Sed ad Virginis purificationem redeuntes, libenter quæram, quænam te, ô purissima Virgo, necessitas ad hanc legem seruandam compulerit? Lex enim non te, sed immundas solùm feminas astringit: tu verò sicut ante partū purissima, ita post partum astris ipsis purior exstitisti. Quin & ipsa quoq. lex te vnā nō obscurè excipit, cū ait: Mulier quę suscepto semine pepererit, &c. Quorsum enim hæc verba addere attinebat, quæ superuacanea videbātur, nisi in hanc vnam puerperam legislator oculos coniecisset, quæ lōgè alia ratione cōceptura & paritura erat? Priusquam huic quæstioni respondeam; libet, fratres, ingeniū & morem Dñi Dei nostri paucis aperire. Quis, ait Propheta, sicut Dñs Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra? Et iterū: Excelsus Dñs, & humilia respicit, alta autē à longè cognoscit. Similitudo enim cōciliatrix amoris est. Vnde volatilia (quemadmodū Sapiens ait) ad sibi similia conueniunt: & pares cum paribus (ex veteri prouerbio) facillimè copulantur. Diuersum autem in Deo nostro videmus, qui cùm altus sit, alta à longè cognoscit, & cum humilibus & supplicibus sermocinatio eius. Quod non immeritò D. Aug. miratur; Quid est, inquit, hoc, fratres? Altus est Deus: erigis te, fugit à te: humilias te, venit ad te. Quàm verò & humilitas illi grata, & inuisa superbia sit, duplici vobis argumento aperire conabor. Primus homo, qui sibi & posteris suis hęreditatem regni cęlestis, & originalis iustitiæ, atque immortalitatis dona acceperat, vnico superbiæ actu (quo Dei similitudinē concupiuit) non solùm hæc omnia pulcherrima Dei dona amisit, sed etiam vniuersum genus hominū, hoc est, omnes omnium seculorū homines æterna morte damnauit; tantū vna illa superbia nocere potuit. Rursumq. alter homo, Christus Iesus, dum se vsque ad mortem crucis humiliauit, hoc profundissimę humilitatis opere totius mundi salutem promeruit. Itaq. vnum illud superbię crimen totum mundum euertit, & vnum item præclarum humilitatis opus euersum extulit atq. reparauit. Quid igitur magis aut in detestationē superbiæ, aut in humilitatis cōmendationem dici potuit? Addam adhuc aliud non minùs illustre harū rerum exemplum. Cùm in ordine creaturarum intellectualium ordo quidā & gradus sint, necesse est in eo & summam & infimam creaturā reperiri. Et in infimo quidem gradu hominē, ac sub eo adhuc feminam in eadē specie collocamus. Rationalem quippe animā in ordine substantiarū intellectualiū, velut materiā primā, puramq. potentiā Philosophi esse testantur. Itaq. infima in hoc ordine secundū naturam mulier

Leuit. 12.
Psal. 112.
Psal. 137
Eccli. 27.
August.

mulier eſt. Summum autem Seraphicum ordinem eſſe, cõmunis Eccleſiæ ſententia prædicat, in quo ſpiritus illi beati numerantur, qui cęteris Deo ſimiliores & propinquiores ſunt. In quo quidem ordine (quamuis ſint qui diſſentiant) primatũ tenuiſſe Luciferum D. Gregor. aſſerit. Mulier ergo in imo, Angelus autem ille in ſummo loco erat conſtitutus. Contigit tamen, vt in muliere (hoc eſt, in beata Virgine) humilitas ſumma reperiretur; in illo verò Angelo ſumma ſuperbia: quo factum eſt, vt illa propter humilitatẽ ad ſummã omnium creaturarũ dignitatem proueheretur; hic verò propter ſuperbiã ex altiſſimo cęli cardine in imum barathrum detruderetur. Totum ergo pulcherrimum illum naturæ ordinẽ à Deo conſtitutum, ſuperbia & humilitas inuerterunt, dum ſuperba creatura ad imum ex ſummo deiecta eſt, humilis verò ex imo loco ad ſummũ euecta. Animaduertite igitur quid humilitas, & quid ſuperbia efficiant: quarum altera ſic altiſſimam creaturam deiecit; altera verò ſic infimã in ſublime extulit. Quid igitur hac tanta rerum mutatione mirabilius? Addam tamen ego aliquid non minùs forſitan mirabile, nimirum, quòd cùm tam pernicioſa fuerit principi dæmoniorum ſuperbia ſua, tamq́ue ſalutaris & glorioſa fuerit beatiſſimæ Virgini humilitas ſua; habet tamen Virgo pauciſſimos qui eius humilitatẽ ſectentur; habet verò dæmon plurimos qui eius ſuperbiam imitentur. Contra quos D. Bernard. exclamat: Quem ſequimini filij Adam? quem ſequimini? Nónne videtis Satanam ſicut fulgur de cælo cadentem? Si ergo ille de tanta ſublimitate ſuperbiens cecidit; quomodo tu de tanta vilitate ſuperbiens de imis aſcendes? Si hoc igitur ita eſt, quomodo, quæſo, te tanta ſuperbiæ pœna non terret? quomodo tam grande humilitatis præmium ad humilitatem non inuitat? Fuit in quadã Republica iudex quidam valde diligens ac ſeuerus in iudicãdo, qui hac de cauſa magnis ab eius Reipublicæ Principe muneribus ornatus fuit; quo factum eſt, vt multi deinde iudices eius ſeueritatẽ ac diligentiam imitari conati fuerint, quo videlicet ſimilibus præmiis afficerentur; atq. ita vnius ſtrenui iudicis & præmiũ & exemplũ multos deinde habuit ſimilis virtutis ac fortunæ cõſortes. Si ergo tam magnis admirãdiſq. muneribus humilitatis virtutẽ Dñs cumulauit: quomodo hoc tanto humilitatis præmio ad imitationẽ huius Virginis non accendimur? Quid enim aliud amator humilitatis Dñs faciat, quo ad humilitatis amorẽ homines alliciat? Si hoc apud nos non valet; quid, quęſo, valiturũ eſt? Si nos atrociſſima illa ſuperbiæ pœna nõ terret; quę pœna territura eſt? Si tãta illa humilitatis cõmendatio nõ inuitat; quid eſt quod nos iam inuitare poſſit? Sed nunc iam propoſitæ quæſtioni reſpondeamus. Cùm ergo beatiſſima Virgo hanc

Gregor.

Bernard.

Simile.

hanc cæleſtē philoſophiā adeò probè teneret.ſemper ſe ad infima quæq.deiiciebat,ſemper in oculis ſuis vilis apparebat,& vndecunq.huius virtutis exercendę occaſionē captabat.Ideoq. inſpecta purificationis lege,quæ tota humilitatis erat, purificandi ſe occaſionē arripuit, quæ nihil habebat quod hoc ritu purgari deberet,quandoquidem ipſa lex pudoris atq.honoris eius rationem habuit, dū eam à cōmuni cæterarū feminarū lege exemit.

Sed dico: Quid,quæſo,obeſſe tibi poterat,ô ſanctiſſima Virgo, honor hic ab ipſo Deo tibi ſingulariter impenſus? Te enim ſolā legiſlator aſpiciebat,tui ſolùm honoris curā gerebat, quando legē illam tulit. Quid ergo nocere tibi honor potuit(non à te ſuſceptus, ſed oblatus) vt eū ſubterfugeres? At qui verè humilis eſt, vndecumque honor proficiſcatur,ſemper illum reformidat. Tantum quippe in magnis honoribus periculi eſt,vt pio ſemper homini verè timendi ſint. Hinc D.Bernardus: Quoties in corde carnali, terrenis dignitatibus alto, vlla vel minima ſcintilla cæleſtis amoris accenſa videtur,diuinū ſine dubio eſt munus, non hominis virtus. Hæc ille. Quo fit,vt terrenæ dignitatis & honoris ſublimitas,vndecumq. veniat,verè timēda ſit. Regiā quippe dignitatem Saul à Deo accepit, quę tamē illi vitio ſuo poſtmodum exitio fuit, quando in ſuperbiam diuinis beneficiis elatus, erexit ſibi fornicem triumphalē, & aduerſus Dominum debacchatus, ſacerdotes eius trucidauit. Proſperitatis etiam decus, quod Dauidi & Salomoni filio contigit,Domini vtiq. beneficio contigit:quo tamē beneficio abutentes,alter, in ſuperbiam elatus,numerari populum iuſſit; alter (quod dictu etiam horrendū eſt) diis alienis aras erexit. Videtis ergo quàm periculoſus honor ſit,etiam cùm à Deo impenditur, niſi quis ſingulari ſe modeſtia,& magna animi ſubmiſſione ſtabiliat & fulciat? Nam & verba Angeli Mariam ſalutantis,& magnitudinem gratiæ, qua Deum pollebat, extollentis, & eam cunctis feminis beatiorem prædicantis, verba Dei erant, quæ per os Angeli Virgini mandabantur: illa tamen cæleſtis oraculi honorifica verba excipiens, turbari cœpit, ac timere. Si ergo Virgo hæc prudentiſſima, quæ tam altas in humilitate radices iecerat, honores ipſos,à Deo etiam oblatos, ita refugit atque timet: quid nos facere par eſt, quos vel leuiſſima quæque aura vanitatis exagitat, qui,cùm ſtipula ſicca leuiores ſimus, tanto ſtudio nocituros honores atque dignitates ambimus? Qua in re ſatis animarum noſtrarum ægritudo & cæcitas apparet, quæ vſque adeò & nocitura appetunt, & ſalutaria quæque faſtidiunt. Cùm enim videmus aut pueros, aut feminas auidiſſimè terram comedere, & ſalutares cibos faſtidire; intelligimus ſtatim interiora ipſorum peſtifero humore eſſe corrupta; quando re adeò noxia, & ab hu-

Bernard.

1.Reg.15

1.Reg.14.
2.Reg.11

Luc.1.

Simile.

ab humana natura aliena delectātur. Cùm ergo videamus homines adeò pestilentes animæ suæ cibos deperire, & salutares atque profuturos odisse, hoc est, ita mūdi honores appetere, atque humilitatis opera detestari: quis iam dubitare queat, omnia interiora ipsorum esse corrupta? Quanto aliter puritatis & humilitatis hodie mater, quæ cùm nihil haberet purificandum, legi tamen purificationis summa se humilitate subiecit.

II.

Sed iam omissa paulisper Virgine, quæ adeò volūtatiæ paupertatis & humilitatis studiosa fuit, ad Simeonem veniamus, qui hodiernæ solemnitatis non minima portio est. *Ecce*, inquit Euangelista, *homo erat in Ierusalem, cui nomē Simeon*: cuius deinde virtutes describit cùm ait; *Et homo iste iustus & timoratus, expectās consolationem Israël, & Spiritus sanctus erat in eo*. Excutiamus singula hæc verba. *Iustus*, inquit, *& timoratus*. Hæc absolutissima commendatio est. Iustitia enim Hebræorū lingua omnē complectitur virtutem. Timor verò Dei, præterquam quòd iustitiæ magna pars est, ipsius etiam iustitiæ tutissima custodia est. Itaque iustitia est velut thesaurus: timor verò Domini velut clauis, & arca, in qua seruatur thesaurus. Iustitia tanquam vinea est: timor verò velut maceria, quæ vineæ fructus seruat intactos. Vnde sicut diruta maceria, fructus vineæ periclitatur: ita planè virtutum atque donorum cælestium fructus, si timoris Domini maceria defuerit, furibus patent. Vnde glossa quædam in hoc loco, Malè, inquit, seruatur iustitia sine timore. Denique sanctus ille timor velut pondus est, quo mercibus plena nauis non facilè ventorum impetu subuerti potest. Quo tamen destituta, cum maximo & mercium & vectorum periculo nauigat. Cuius nos periculi Ecclesiasticus admonet, cùm ait: Nisi in timore Domini tenueris te instanter, citò subuertetur domus tua.

Simile. Gloss. Simile. Eccli. 20.

Est etiam timor hic velut internus quidā animæ vermis, interiora nostra depascens, qui nobis semper ob oculos ponit & pericula in quibus versamur, & leges quibus adstringimur, & rationem quam reddituri sumus; & hostes qui nos vndiq. obsident, & à virtutis arce deijciūt. His igitur timoris Domini aculeis extimulatus animus, somnū à se, & segnitiem excutiens, & vigilantibus oculis saluti suæ prospiciens, solicitè cū Propheta dicit: Super custodiam meam stabo, & figam gradū super munitionem, & considerabo quid dicatur mihi, & quid respōdebo ad arguendum me? Hoc est, curis aliis superuacaneis post terga relictis in hanc vnam curam totus incumbam, vt videlicet solicitè in custodia mei perpetuò vigilem. Propter quod stabo; hoc est, non iners atque supinus iacebo, sed erecto animo peruigil durabo,

Habac. 1.

durabo,& figam gradũ ſuper munitionẽ: hoc eſt, non ſolùm vigilanti,ſed etiam conſtãti & excelſo animo ad omnes hoſtium incurſus paratus ero, vt nulla vi, nullo inimicorũ impetu de gradu cõſtantię atq; virtutis depellar. Et cõſiderabo itẽ quid dicatur mihi: hoc eſt, nõ oſcitãter aut ſegniter,ſed vigilãtibus oculis attendã omnia verba Dei; quid mihi præcipiat, quid admoneat, quid promittat, quid minetur, & quid me facere æquũ ſit. Nec hoc ſolo contentus, conſiderabo etiam quid reſpondebo ad arguentem me: quando videlicet creditorũ mihi talentorũ,& beneficiorum ſuorum rationẽ exacturus eſt. Quæ planè cura perpetuò animũ meum punget; quando ex altera parte tantam diuinorum beneficiorum, ex altera verò tantam malefactorum meorum multitudinẽ conſidero. Hęc enim cura adeò ſanctiſſimi Iob pectus extimulabat, vt diceret: Quid faciã cùm ſurrexerit ad iudicandũ Deus?& cùm quæſierit, quid reſpõdebo illi? En quales curæ, qualeſq; cogitationes iuſti hominis mentẽ diu noctuq; vrgeant, vt ſi ab eo quæras, Cuſtos quid de nocte, cuſtos quid de nocte (ſubaudi) ſpecularis? nihil aliud neq; die neque nocte ſe agere reſpõdeat; ſcriptũ eſt enim: Vigilia honeſtatis tabefacit carnes,& cogitatus illius aufert ſomnũ. Hæc enim cura toto pectore ſuſcepta, ita iuſti hominis mentẽ occupat & afficit, vt ſomnum etiam, & bonam valetudinem interdũ quibuſdam eripiat. Harum autem curarũm & cogitationum aculeus, timor eſt, quo à periculis tuti ſeruamur; vt miro modo, cùm timor & ſecuritas contraria ſint, timor tamen ſecuritatem pariat. Anchora enim virtutis eſſe dicitur timor cordis. Vbi ergo timor eſt, ibi ſecuritas eſt: quia vbi timor, ibi ſtudiũ, ibi cura, ibi diligentia & pia ſolicitudo, quæ ſecuritatis mater eſt. Vbi verò timor non eſt; ibi ſomnus,& negligentia,& incuria, quæ periculorum omniũ materia exiſtit. Nullus enim hoſtis pernicioſior, quàm qui contemnitur. Cuius rei euidentiſſimũ exemplum in animantibus apparet. Nam quæ armis & viribus inſtructa ſunt, timore carent; quoniam ſuis ſe viribus tuentur: quæ verò iis deſtituta ſunt; vt capreæ, lepores, & cerui; hæc ſolo metu & fuga ſalutem ſuam tuentur. Itaq; timor illis pro armis eſt. Homo igitur, qui communis peccati vitio fortiſſima illa originalis gratiæ & iuſtitiæ arma perdidit, quibus inuicta ſe firmitate tueretur, ad timoris præſidium confugere debet, vt eo ſalutem ſuam incolumem ſeruare queat. Meritò ergo in laudibus viri ſancti ponitur; *Iuſtus & timoratus.*

Iob 31.

Eſaiæ 21.

Eccli. 31.

Simile.

Quibus præterea additur, *quòd exſpectaret etiam conſolationem Iſraël.* Ecce alia virtutũ cõiunctio, neque minùs laudanda, neq; minùs neceſſaria. Sicut enim conuenienter iuſtitia iungitur cum timore; ita cũ ſpe timor aptiſſimè copulatur. Scire autem oportet,

oportet, inter omnia Christiani hominis officia, maximè difficile esse, quasdã inter se coniungere virtutes, quæ specie ipsa secum pugnare videntur. Oportet enim prudentiæ iungere simplicitatem, iustitiæ misericordiã, grauitati suauitatẽ, humilitati magnanimitatem, mansuetudini seueritatẽ, zelo diuinæ gloriæ discretionẽ, ac deniq. timori spem. Quas virtutes ita copulare, vt altera alteri non officiat, magnum planè diuinæ gratiæ beneficium est. Summus enim ille rerum conditor, qui ex contrariis qualitatibus omnia inferiora corpora constituit, poterit etiam huiusmodi virtutes in vno eodemq. pectore integra seruare; vt idem videlicet homo, & prudentissimus vt serpens, & simplicissimus vt columba sit; idem iustus atq. misericors, idem grauis & suauis, idem mansuetus & seuerus, vt (quemadmodum D. Gregorius ait) & ridens possit timeri, & iratus amari: atque idem etiam spe pariter ac timore suffultus: qualis hic vir sanctus fuisse perhibetur, qui timore Dei plenus, in spem communis salutis totus erat intentus.

Gregor.

His etiã addit quòd *Spiritus sanctus in eo erat.* Consequens erat planè vt Spiritus sancti domicilium esset, qui talibus virtutum gemmis ornatus erat. Est enim mirabilis quædam & mutua inter Deum puramque mentem cognatio atq. similitudo, qua altera res cum altera facillimè cohæret & copulatur. Quo fit, vt quemadmodũ lapis naturæ suæ relictus (nisi aliunde impediatur) sponte sua tendit in centrum, ibique quiescit; ita mens hominis vinculis cupiditatum per gratiam Dei soluta, sponte sua in Deum, velut in suum centrum & vltimum finem, tendit, ibique plenissimè quiescit. Rursumq. Deus ipse, vbi mentem ita purgatam & solutam deprehenderit, incredibili quodam amore ac propẽsione totus in illam, velut in domicilium sibi aptum atq. destinatum, fertur. Vnde quemadmodum vbi infantis corpusculum in vtero matris, membris suis & organis distinctum fuerit, statim Deus animam rationalem creat pariter & infundit; ita rursum, vbi anima iusti, virtutibus & gratia, veluti quibusdam spiritualibus organis, ipso Deo cooperante, instructa est; in ea Spiritus ille diuinus, imò & tota Trinitas suum constituit domicilium, ipso eodem Domino testante, qui ait: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Quocirca, expositis his sancti viri virtutibus, consequens erat quod subditur, *Et Spiritus sanctus erat in eo.*

Simile.

Simile.

Ioan. 19.

Et responsum, inquit, *acceperat à Spiritu sancto, nõ visurum se mortẽ, nisi priùs videret Christum Domini.* Quanta autẽ perfusus fuerit lætitia hac Spiritus sancti promissione, solus ille nouit qui responsum dedit. Omnis enim humana facũdia impar est ad hoc

verbis explicandum. Neq. tamen hoc festum vigilia sua (vt ita dixerim) caruisse credendum est. Vix enim Dominus illustria huiusmodi dona, nisi paratis antea animis, cõmittit. De beato Dominico Patre nostro legimus, quòd arderet quasi facula zelo pereuntiũ. Quo quidem zelo incẽsus, iugiter à Dño postulabat, vt proximos suos aliquãdo à diaboli potestate eripere, & ad æternã salutem iuuare posset. Cumque diu multumq. hac oratione diuinas aures pulsasset; tandem à Domino impetrauit, vt auctor esset & institutor ordinis Prædicatorum, cuius esset peculiare officiũ lucris animarum intẽdere. Hoc enim pulcherrimum Dei donũ talem exigebat in animo donatarij pręparationem. Ad hũc ergo modũ sanctus hic vir diuinæ gloriæ, & communis salutis amore incensus, non poterat non vehemẽter excruciari, cùm tot in mundo mala cerneret. Videbat diaboli & peccati regnum omnibus in locis crudelissimã in homines tyrannidẽ exercere; videbat in toto terrarum orbe cultum dæmonũ vigere, & in exiguo solùm Iudæorũ angulo Deum superstitiosè magis quàm religiosè à plerisq. coli: itaq. inter Gentes pro vero Deo monstra coli; inter Iudæos autem pro vera religione atq. iustitia superstitionẽ, hypocrisim, auaritiamq., in plerisque dominari. Videbat exiguum iustitiæ superesse locum, iacêre & cõculcari diuina, & sola terrena bona in pretio haberi. Videbat cælestia regna seris & vectibus adamantinis obserata: contrà verò dilatasse infernũ animam suam, atq. os suum absque vllo termino, & omne penè genus hominũ mergi in profundũ. His ergo curis sancti viri pectus dies noctesq. vehementissimè dilaniabatur. Intelligebat autem ex diuinis oraculis, tãtorum malorum remedium in Messiæ aduentu positũ esse, atq. ex eo salutem omnium seculorum pendêre. Animaduertebat etiam eadem Prophetarum oracula viros pios frequenter ad orandũ excitare, vt Saluatoris aduentum assiduis precibus postularẽt. Sic enim apud Esaiam legerat: Qui reminiscimini Dominum, ne taceatis, & ne detis silentium ei, donec stabiliat & ponat Ierusalem laudem in terra. Hoc ergo admonitus oraculò, clamabat iugiter cũ iisdẽ Prophetis ad Dominum: Veni Domine, & noli tardare; veni ad liberandum nos, Domine Deus virtutum: & ostende faciem tuam, & salui erimus. His ergo clamoribus adeò continenter diuinas aures pulsabat, vt victus tandẽ tot clamoribus misericordiarũ pater, ac tot vocibus meritã gratiã rependere volens, hoc illũ promisso cõsolatus est: *Non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini.* Qua autẽ vir sanctus lætitia gestierit, cùm hoc à Domino responsum accepit; quid in animo suo senserit, quid respõderit, quas gratias egerit, quo iubilo cordis exultauerit, quo eius amore arserit, qui ita dolorem suum

[Margin: ...aiæ 5. — Esaiæ 62. — Psal. 79.]

suum in lætitiam commutauerit,& lacrymas suas atq.lamenta adeò clemẽter inspexerit;non est humanæ virtutis aut facultatis pro dignitate explicare.Possumus quidẽ omnes priuata quędam gaudia & familiaria verbis exprimere:cæterùm hæc adeò grandia & sublimia, quæ de rebus magnificentissimis Spiritu sancto operante percipiuntur, quæ vis orationis exponere aut æquare dicendo possit? Hoc enim gaudium non de priuato aliquo bono erat, sed de seculorum omnium salute,quã vir sãctus tantopere sitiebat. Porrò autem si gaudium ex desiderati boni adeptione consurgit; quod planè tanto maius est, quanto quod desideratur bonum præstantius atq.sublimius existit; quale hoc gaudium fuisse credendum est, quod de tãto,& tantopere desiderato bono, Spiritu sancto cooperante,& animam ipsam lætificante, ortum habuit? Hoc fortassis aliquo modo cogitari potest,explicari dignè non potest.

Cùm ergo vir sanctus hac vna spe aleretur,deficientemque ætatem hac expectatione sustentaret,totusq.ad hũc Dñi Saluatoris aduẽtum penderet,quotidie diuinam hanc promissionem expectãs,& singulas penè horas ac momenta cõputans,tãdem hoc ipso die cælesti Spiritu admonitus venit in templũ: *Et cùm inducerent parentes eius puerũ Iesum*;accurrit ipse,totusq.lacrymis, lætitia,& rubore perfusus,flexis genib⁹ summa reuerẽtia,summoque deuotionis & amoris affectu,maiestatem Dñi,in paruo latentem corpusculo,reueretur,exosculatur, & adorat: nec adorasse ac vidisse contentus,magnitudine amoris atq.lætitiæ timorẽ superãte,amplecti etiã,& contingere,& in vlnas suscipere ausus est. Quid autẽ hoc amplexu,quid hoc desideratissimo spectaculo senserit, quis verbis consequi valeat? Si enim Christus Dñs à Prophetis appellatur Desideratus cunctis gentibus, & Desideriũ colliũ ęternorũ;si tot Reges & Prophetę vsq. adeò eius faciẽ videre, & voces audire cupierunt;hic, cui & videre, & amplecti,& in vlnis retinere datũ est,quo gaudio exultasse atq. gestisse putãdus est? Si Abrahã tot antè annis solã Christi imaginem,& diem eius videns, tantopere gauisus est; quo affectus est gaudio, cui & præsentem cernere, & amplecti datum est?

Aggæi 1.
Genes.48
Ioan.8.

III.

En,fratres,quibus deliciis oblectat & rigat interim Dñs piorum mẽtes,quàm diu plenitudo eius gaudij, quod in patria futurũ sperant,differtur. Cuius gaudij magnitudinem vir sanctus nouis carminibus, fidem & misericordiam Domini prædicantibus,celebrauit dicẽs: *Nunc dimittis seruum tuũ, Domine, secundùm verbũ tuũ in pace, &c.* Eadem pene verba Iacob Patriarcha protulit,cùm dilectissimum filium Ioseph (quem extinctum fleuerat) & superstitẽ esse,& Aegypti principatum tenere cognouit.

Irruens enim super collum eius, & amplexatũs atque osculatus Genes.46 ait: Iam lętus moriar, quia vidi faciem tuã, & te superstitem relinquo. Ad hunc ergo modũ noster Simeon, qui lõgè plus Christum, quàm Iacob filiũ diligebat, ait: *Nunc dimittis Domine seruum tuũ in pace.* hoc est, In pace iam & lætitia Dñe moriar, quia speciosissimi Filij tui faciem vidi, & superstitem eum relinquo, vt vita pariter & morte sua, extincto seculo, vitã & salutem afferat. *Quia viderũt oculi mei salutare tuũ*: hoc est, salutem, quã per Filium in hunc mundum misisti; quam etiam appellat *lumen ad reuelationem Gentium.* Quibus verbis summam totius Euangelij cõplexus est: vbi & Gentium vocationem, & mundi conuersionem, & fidei atq. religionis per omnes mundi oras propagandæ dilatationem apertissima oratione vaticinatus est. Qui igitur Spiritu Dei plenus, hæc tam magnifica diuinæ pietatis beneficia perspiciebat, & latentem in exiguo corpusculo Dei sapientiam, potentiam, & seculorum omnium salutem considerabat, quid faceret? quid animo volueret? quibus splendoribus & gaudiis mens eius reficeretur?

Cæterùm ad hoc cæleste gaudiũ, ad hoc Spiritus sancti conuiuiũ, ad has spirituales epulas non solus est inuitatus Simeon: habet enim lętitiæ & felicitatis suæ clarissimos comites, nempe beatissimã Virginem, & sanctũ Ioseph. Quorũ animũ sanctus Lucæ 1. Euangelista silentio prætermittendũ nõ putauit, cùm ait: Erãt autem pater eius & mater mirantes super his, quæ dicebãtur de illo. Hæc autem admiratio nõ quidem ex ignorantia (vt in aliis accidere solet) sed ex rerum maximarum amplitudine manabat. Neq. enim sacra Virgo filij dignitatem & diuinitatem ignorabat, quam Angelo tradente cognouerat; & quem, Spiritu sancto interueniente, immaculata conceperat; sed tanta tamen erat eius partus & mysterij magnitudo, vt vix vnquam ab huiusmodi admiratione & stupore cum ineffabili quodam iubilo mens eius vacaret. Quę tamen hodie lętitia in summam tristitiam cõmutata est, dum vir sanctus, inter eximias Christi laudes & præconia, eius etiã passiones cõmemorauit; sic enim ait: Luc.2. Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorũ in Israël, & in signũ cui cõtradicetur: & tuam ipsius animam pertransibit gladius. Quid, ô sancte senex, facis? cur istis verborum tuorum spiculis tenerrimum Virginis pectus ante futura carnificũ tela sauciasti? Nimirum quoniam hoc exemplo mœrentes omnes, variisq. tribulationibus pressos consolari Dominus voluit: ne videlicet desponderent animum, néve se miseros, & à Deo derelictos existimarent, cùm variis calamitatib' premerẽtur; quandoquidem multo grauioribus vexata fuerit, quæ super omnes creaturas ab ipso dilecta fuit, cuius tamen vita (vt ex hoc

loco

loco colligere licet) acerbissimi cuiusdã martyrij genus extitit: quam tamen nunquã ipse ita affligi pateretur, nisi summa quędam dignitas & vtilitas in humili malorum perpessione posita esset. Quo quidem vaticinio tota ferè beatissimæ Virginis vita velut martyrium quoddam mentis eius extitit. Vt hac ratione intelligamus, fratres, quãto gratiora sint Deo suspiria, quã gaudia nostra: quãdo innocẽtissimæ Virgini, post quadraginta dierum gaudia, reliqua ferè vitæ portio lachrmis & doloribus, & lamentis destinata fuerit. Hac autem laborum & lacrymarũ via Regina mũdi ad cæleste regnũ processit; hac eadem eius filius, hac eadẽ Prophetæ, hac Apostoli, hac sancti Martyres, cęteriq. Dei amici in cælum contenderunt. Quicunque igitur felicitatis eorum comites esse cupimus, eò cursum vitæ dirigamus, hac ipsa via gradiamur; vt, quò illi peruenerunt, nos quoq. pertingere valeamus. Habemus autem etiam, si extern⁹ impiorũ gladius desit, intra nos latè patentem laborum materiam, in qua exerceri valeamus. Nimirum vt carnem nostram cum vitijs & concupiscentiis cruci Christi affigamus, frenum voluptatibus inijciamus, superbiæ, iræ, inuidiæ, atque odij lethalia venena à moribus nostris repellamus, lubricę linguæ petulantiam & maledicentiam cohibeamus, diligentemq. & cogitationibus & sensibus nostris custodiam adhibeamus, & illata ab hominibus damna, variasq. iniurias & contumelias, Dominicæ mansuetudinis exemplo leniter & moderatè feramus: hac enim ratione & Virginis & Christi martyrium imitabimur.

Sed quando Simeonis senis pietatẽ & affectũ exposuimus, Anna quoq. (quæ non modica solemnitatis huius pars est) seniori nostro iungenda restat: præsertim cùm solemnis Ecclesiæ processio, quæ hodie celebrata est, eadẽ superueniente completa fuerit. Ambo igitur illi interfuêre; ambo, inquam, senes & ætatis prouectę, ambo sanctitate pares, deuotione similes, castitate æquales, pietate cõcordes, eodẽ affectu & desiderio, eadẽq. spe desideratũ cunctis gentibus Saluatorem exspectãtes, & ante Euangelium, Euangelicæ puritatis ac pietatis primitias dedicantes. His igitur senibus hodierna processio cõpleta est, qua Virgo mater ad templum Dñi filium oblatura processit. Quatuor igitur hodie insignes personæ simul procedunt, quæ nobis omnia virtutũ officia (vt Guerricus ait) ante oculos ponunt. In Anna, quæ ieiuniis & obsecrationibus nocte ac die seruiebat, ieiunium cõmendatur & oratio. In Simeone, qui tanto Iesum amplexus est gaudio, pietas & deuotio. In Maria, quæ cùm nihil purificandũ haberet, purificationis tamen legem impleuit, humilitas & obedientia. In Domino autem Iesu, qui factus ex muliere, factus est sub lege, vt eos, qui sub lege erãt, redimeret; charitas

Guerricus.

Galat. 5.

charitas & misericordia. Hæc sunt, fratres, præcipua virtutum ornamenta, quibus nos gloriosam hanc processionem ornare & celebrare debemus. Sed & cereos quoque hodie in manibus gestamus. Quid autem aliud cereus accensus, nisi lumen illud ad reuelationem Gentium, quod hodie Simeon cecinit, designat? Quid præterea est lumen in cera, nisi Verbum in carne, Deus in homine, virtus in infirmitate, sapientia in infantia, & plenitudo diuinitatis in carne nostræ mortalitatis? Cerei ergo, siue lucernæ gestatio, fidei professio est. Sed illud tamen aduertite, fratres, lucernam hanc non in ore solùm, aut in corde; sed in manibus portandum esse, quemadmodum Saluator ait: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris? quibus videlicet hanc fidei professionem circumferre & ostentare debetis. Hoc enim est fidei lucernam in manibus gestare, operibus ipsis, & vitæ ordine atque ratione profiteri, quod corde & ore confitemur; ne videlicet in illorum numero computemur, qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Nec minus tamen ore & corde eadem quoque lucerna gestanda est, vt verba omnia & cogitationes nostras fidei legibus atq; doctrina moderemur, neque quidquam extra illius præscriptum moliamur. Quisquis igitur hanc fidei lucernam primùm quidem in manu, deinde verò in corde atque ore his rationibus portat, is profectò hodiernæ solemnitati plenissimè satisfacit, is se in hac processione sacratissimæ Virgini, Simeoni, atque Annæ socium adiungit. Demus igitur operam, fratres, vt verba nostra statêra ponderemus, vt opera nostra fidei regula moderemur, vt intentionem nostram in vnum Deum referamus, non hominibus, non nobisipsis, non seculo, non denique carni & sanguini obsequi & seruire curantes, sed vni tantùm Seruatori nostro (qui hodie pro nobis offertur & redimitur, vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu placere studentes, vt illum semper intuentes, illiusque vestigiis insistentes, per ipsum, qui est via, veritas, & vita, ad ipsum tandem peruenire mereamur, qui est benedictus in secula seculorum, Amen.

Lucæ 22.

IN EODEM FESTO PVRIFICATIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ,

Concio secunda: in qua, post breuem Euangelicæ lectionis explanationem, quàm felix & placida piorum, & quàm misera improborum sit mors, beati Simeonis exemplo disseritur.

THEMA. *Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace.* Lucæ 2.

SAPIENTER quidem D. August. illud in prima rerũ creatione adnotauit, quòd cùm Dñs singulas quasq. res condidisset, easq. bonas esse iudicasset, vbi totam mundi fabricam absoluit, eas non bonas modò, sed valde bonas esse testatus est: sic enim Moyses ait: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Bonitas enim, quæ in singulis rebus erat, in vniuersis conduplicata euidentiùs eminebat. Singularum enim rerum pulchritudo in ordinẽ redacta (quod in variarum vocum consonantia fieri videmus) velut cõcentum quendã & harmoniã suauissimã efficit. Quod ergo in mundi creatione conspicitur, hoc multo magis in eius instauratione apparet. Cùm enim singula opera, quæ Dominus & Saluator noster edidit, admiratione dignissima sint; vniuersa tamen simul cõsiderata, longè & mirabiliora & pulchriora iudicantur. Quod quidẽ ea mysteria, quæ proximis his quadraginta diebus peracta sunt, facilè declarant. Primùm enim is pro nobis de Virgine homo nasci dignatus est. Deinde cùm diues esset, adeò pro nobis egenus factus est, vt in stabulo nasceretur, & in præsepio poneretur: qua paupertate nihil abiectius, nihil humilius, cùm stabulũ & præsepe nõ hominum, sed iumentorũ loca sint. Tum præterea octauo exinde die circũcisus peccatoris imaginẽ suscepit; dũ peccatorũ cauterio innocentissimus Agnus insigniri voluit. Sequitur deinde Magorum adoratio & oblatio, quæ tertiodecimo à natiuitatis Dñicæ die ab Ecclesia celebratur, in qua recẽs natus Dñs Gentium cõuersionem adumbrari, & salutis æternæ spẽ mortalibus præberi voluit. Hodie verò serui formam induit, dum tanquam seruus & alieni iuris, & offerri in tẽplo, & seruorũ more redimi passus est. Hæc nobis tam varia, tamq. miranda spectacula, quadraginta dierum satis angusta spatia exhibent: in quibus apparet, quanta

August.

Genes. 1.

Dominus auiditate,quantaq.celeritate redẽptionis noſtrę opus adhuc paruulus aggreſſus ſit. Quamobrẽ meritò inter nomina quæ ipſi apud Iſaiam Deus Pater imponit, illa duo præcipuè numerantur. Admirabilis, & Accelera. Verè enim cùm is in cunctis operibus ſuis mirabilis ſit,in hac tamen celeritate, qua ſalutis noſtræ negotia procurauit,mirabilior eſt. Quã quidem in ſpiritu Sponſa videbat,cùm aduentum eius in mundum,caprearum ac ceruorum curſui ſimilem eſſe prædicauit. Eandem verò celeritatem regius Propheta non capreæ aut hinnulo ceruorum,ſed(quæ inter omnes maxima eſt)ſolis velocitati comparauit.De ipſo quippe ait: Exultauit vt gigas ad currendam viam,à ſummo cælo egreſſio eius.Inter omnia enim cæli aſtra Chriſtus Dominus maximè ſoli (à quo bona omnia in terras manãt)cõparatur:vnde & Sol iuſtitiæ eſſe dicitur.Inter ea verò quæ Solis propria ſunt,eius celeritas Saluatori noſtro præcipuè conuenit;qui,nõ expectata maturiori ætate,ab ipſis etiam incunabilis ſalutem noſtram operari,& meritorũ ſuorum nobis opes congerere cœpit. Quòd ſi ſolidis corporibus naturale eſſe ferri deorſum,ex maximo impetu,quo feruntur,facilè agnoſcimus;quis Chriſti in nos amorem quo in noſtram ſalutem incumbebat, ex ardore & celeritate qua ſe ad illam procurandam tradidit,non intelligat? Quis verò hoc intelligens, non illum viciſſim diligat? non ſe totum in illius laudes ac præconia effundat? Quo plura Dauid beneficia à Dño percipiebat,eo ſibi magis Deum eſſe laudibus & hymnis proſequendum profitebatur: Ego enim,inquit,ſemper ſperabo,& adijciã ſuper omnem laudem tuam. Os meũ annunciabit iuſtitiam tuam, tota die laudem tuam. Quoniam nõ cognoui litteraturam,ſiue (vt alij verterunt) numerum: hoc eſt,quia beneficia tua tam multa ſunt,vt numerari nequeant, ideò os meum tota die annunciabit ſalutem & iuſtitiam, hoc eſt, bonitatem & miſericordiam erga nos tuam.

Iſaiæ 8. & 9.

Cant. 8.

Pſal. 13.

Pſal. 70.

Sed hodierna tamen oblatio, qua pro nobis Dñs ſeipſũ tanquam ſeruus Patri offerre dignatus eſt, non modò ad charitatem hoc tanto beneficio,ſed ad humilitatẽ etiã hoc tam admirabili exemplo nos prouocat: qui in ſimilitudinem hominum factus,& habitu inuentus vt homo,per omnia cæteris hominibus,extra peccatũ,aſſimilari voluit:ideoq.circumciditur vt alij, offertur & redimitur vt alij; baptizatur aliorum more; tributumque Cæſari pendit vt cæteri; atque demum Dñs maieſtatis ad infima ſe vſq.demittit;cũ nos viles homũculi, ſi qua fortè in re vel minima aliis ſuperiores ſumus, ſingulares atq. primates inter omnes haberi velimus: quod propriè ſuperborum eſt,qui dignitatis cõſortem pati nequeunt. Vnde D. Bernardus propheShe-

Philip. 2.

Bernard.

propheticum illud in eos quadrare dicit: Errauerũt in solitudine, in inaquoso. Superbi enim, inquit, in solitudine errant, quia omnibus in rebus soli & singulares esse volũt: nimirum cęteris omnibus aut nobiliores, aut prudẽtiores, aut doctiores, aut certè meliores se esse arbitrãtes. Talis erat Pharisęus ille, qui sic orabat: Deus, gratias ago tibi, quia nõ sum sicut cęteri hominũ, &c. Quo in loco (vt idẽ Bernard. ait) se solũ decipit, quẽ solũ excipit: cùm nihil minùs in eum caderet, quàm quod sibi ipse tribuebat. Gratias agit, non quia bonus, sed quia solus. Quo modo ergo vilis homuncio cristas erigit, qui Dominum maiestatis sic hodie ad infimam serui formam deiectum videt?

Psal. 108.

Luc. 18.

Bernard.

Verùm hodie non in filio solùm, sed in matre etiã locupletissimũ omnibus proponitur humilitatis exemplum, quæ cũ ceteris impuris mulieribus purificari voluit, quæ nihil purificandum habebat. Quid enim in ea nõ purũ esse potuit, quæ virgo concepit, virgo peperit, virgoq. permansit: imò verò, quæ ipso conceptu & partu purior atque sanctior effecta est? quid, inquam, mundandũ habuit cõceptus ille, qui solus potest facere mũdum de immundo conceptũ semine? quæ fontẽ ipsum, quo immundi omnes purificentur, edidit, qui hodie quoq. scatet perpetuoq. scaturit in ablutionem peccatoris & menstruatæ. O mater (ait Guerricus) immaculata, mater intacta; nónne tuæ tibi conscia es puritatis, quia scilicet integritatẽ tuã nec cõceptus, nec partus violauit, sed sacrauit? Quare ergo, tanquam muliebre aliquid in concipiendo, vel pariendo sis passa, sic mundationis, quæ muliebri promissa est infirmitati, quæris remedia? Sic, inquiet illa, decet nos implere omnẽ iustitiam, vt, quæ sũmæ mater electa sum iustitiæ, speculũ quoq. sim & exẽplar totius probitatis & iustitiæ. Noui ergo superbiã filiorum Euæ, quæ promptior est ad excusandũ quàm ad expugnandũ cõmissa: necessarium arbitror, vt vitiis originis antiquæ statim in initiis omnia nouę generationis occurrãt exẽpla. Mater pręuaricationis peccauit, & excusauit procaciter: mater redemptionis nõ peccet, & satisfaciat humiliter; vt filij hominũm, qui de matre vetustatis traducũt necessitatẽ peccandi, de matre saltem nouitatis trahãt humilitatẽ purgandi. Hactenus ille. Huius itaq. virgineæ purgationis causa nõ vlla quidem necessitas, sed profundissima intemeratæ Virginis humilitas extitit: quę cùm astris ipsis purior & pulchrior esset, sacrificiũ tamen & oblationẽ pro peccato nõ exhorruit. At nos miseri, tot sceleribus contaminati, nec scelera nostra agnoscimus, nec scelerum remedia quærimus. Itaq. cum pertinaci & rebelli populo dicimus: Absque peccato & innocens ego sum, propterea auertatur furor tuus à me. Cui tamen Dñs respondit: Ecce ego iudicio contendam tecum, eò quòd dixeris;

Guerricus.

Hier. 6.

dixeris; Non peccaui. Quod perinde est ac si diceres: Etiam ob hoc ipsum quod iactas, ob hoc ipsum quod ais, Non peccaui (vt nihil esset aliud) te in iudiciũ vocabo. Animaduersione profectò dignũ est, quòd cùm ij, qui flagitiis omnibus cooperti sunt, nihil vereãtur, nihil eos scelerũ conscientia mordeat, nec de remedio soliciti sint; viri tamẽ sancti, qui quàm lõgissimè ab omnibus flagitiis abstinent, semper in luctu, semper in lacrymis, semper in purificationis remediis exerceantur. Quid hac sanctissima Virgine purius? Ea tamen gemebundas hodie aues, pœnitentiæ indices, alteram in holocaustum, alteram offert pro peccato, à quo prorsus immunis tota vita fuit.

Hæc duo habemus, fratres, hodie humilitatis exẽpla: alterum quidẽ in matre, alterũ in filio: in illa, dũ se velut immunda purificat: in hoc autẽ, dum velut seruus emptitius à matre offertur & redimitur. Sed hæc quidẽ in ipso vitæ ingressu, at in progressu & exitu quid non tandẽ fecit, vt nos humiles redderet? Quibus verbis hanc virtutẽ cõmendauit? quibus exẽplis animis nostris infigendam curauit? quæ humilibus præmia, quæ superbis supplicia proposuit, vt tota nimirum eius vita & doctrina, vix aliud quàm quædã humilitatis disciplina fuisse videatur? Cur ita? Quia nimirũ sciebat ipse, humilitatẽ (vt quidã ex Patribus ait) cæleste quoddã instrumentum esse, quod ex abysso animas in cælũ leuat. Adde etiã, quòd amator hominũ id maximè hominibus persuasum esse voluit, quod non ad virtutẽ modò, sed etiã ad internã animi pacẽ & quietẽ præcipuè cõducebat. Quod quidẽ humilitate potissimùm fieri, elegãter D. Emissen⁹ explicat, his verbis: Vbi est humilitas, ibi requies, ibi tranquillitas, ibi omnis serenitas. Dum enim ipsa sibi pacata est; etiam si qua tribulatio, si qua tẽpestas oborta fuerit, nihil erectũ, nihil sublime, nihil oppositũ inuenit, vbi illidat impetũ suum. Si quid itaq. ex aduerso irruerit, totũ post se humiliata frõte transmittit. Quælibet tribulatio ab humilitate mitigatur ac vincitur; sicut in planis littoribus sine aliquo fragore vnda cõsumitur: aurarum motus, ferociamq. ventorum, mõtium obiecta suscipiunt, vallium verò subiecta nõ sentiunt. At verò è cõtrario viæ superborum plenæ sunt offendiculis, plenæ præruptissimis præcipitiis: quia vbi est superbia, ibi est indignitas, ibi animositas, ibi labor, ibi tribulatio, vt iam ei ante iudicij diem iusta damnatio tribuatur; & improbæ quæque mentes in semetipsis habeant pœnam suam, probabiles & emendatæ in semetipsis inueniant refectionem, vel remunerationem suam. Hactenus Emissenus.

Homil. de Epiph.

Simile.

Sed quoniam de humilitate dicere cœpimus, illud quoq. adijciendum puto, vt qui ad præstantissimam hanc virtutem aspirant, non fictam atque fallacem, sed veram humilitatem consectentur.

ctentur. Sicut enim est vera & falsa iustitia; ita quoque vera & falsa humilitas reperitur. Falsam porrò suis velut coloribus D. Hieron. in epistola quadã describit his verbis: Fictam humilitatem fugiẽs, illã sectare quæ vera est, quã Christus docuit, in qua non sit superbia inclusa. Multi enim huius virtutis vmbrã, veritatẽ pauci sequuntur. Perfacile est aliquẽ habere vestẽ contemptam, salutare submissiùs, manus & genua deosculari, inclinato in terrã capite, oculisque deiectis, humilitatem atq. mansuetudinem polliceri, lenta voce tenuiq. sermones infringere, suspirare crebriùs, & ad omne verbũ peccatorẽ atq. miserum se clamare: sed si vel leui sermone offensus fuerit, continuò videbis attollere superciliũ, leuare ceruicẽ, & delicatũ illũ oris sonũ insano clamore repẽtè mutare. Hactenus Hieronymus. Cuius verbis ad falsam humilitatem dignóscendam nihil addere opus est. Veræ autẽ humilitatis rationẽ atq. naturã proposito insigni quodã exemplo Ioannes Climacus appositissimè describit. Refert namque fuisse quendam suo tempore monachum nomine Isidorum, qui iubente Abbate septẽ annis ad fores monasterij excubauit. A quo cùm idem Climacus quæsisset, quam exercitationem mens eius habuisset, cùm ad portam moraretur, ita respondit: Initiò hoc existimaui, quòd pro peccatis meis essem venditus: vnde cum amaritudine sũma & violentia prouoluebar omnium pedibus. Impleueram vix annum, cùm sine mœrore iam atq. tristitia id faciebam, mercedem à Deo tolerantiæ expectans. Impleto autem rursus alio anno, toto affectu cordis indignũ me ipsum existimare cœpi conuersatione monasterij, Patrumq. aspectu & contubernio, diuinorumq. participatione Sacramentorũ: indignũ item qui in alicuius faciẽ intenderem. Quocirca defixis in terrã luminibus, nec ab oculis discrepante animo, intrantes atque exeuntes, vt pro me orarent, deprecabar. Hæc ille. Hunc ergo, fratres, animum, hunc affectum, has cogitationes sectari studeat, quisquis Euangelicæ philosophiæ discipulus esse velit, & incomparabilem humilitatis thesaurum acquirere, & Filij Dei, atque beatissimæ matris eius exemplum, quod hodie nobis propositum est, imitari. Sed iam tempus est, vt paulisper à Virginis humilitate oculos deflectẽtes, ad Simeonem, qui huius diei festi non minima portio est, transeamus.

Hieron. in Epist.

Ioan. Clim.

I.

Et ecce (inquit Euangelista) *homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon. Et homo iste iustus & timoratus, expectãs consolationem Israël. & Spiritus sanctus erat in eo.* Exactissimo ordine sacti huius viri laudes Euangelista persecutus est. Prius enim dignitatis causas, deinde subijcit dignitatem. Quod enim præmisit, Iustum & timoratũ; causa est propter quam in eo domicilium sibi Spiritus

sanctus

Psal. 88. sanctus delegisset. Alibi enim legimus: Iustitia & iudiciũ præparatio sedis tuæ: quia videlicet vbi iustitia & iudiciũ est, ibi Dei sedes est. Alibi verò idem ipse Dñs ait: Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem & mansuetum, & tremẽtem sermones meos? Quia ergo sanctus hic vir, iustus & timoratus erat, his vtique virtutibus templum Dñi effectus erat. Quo in loco illud annotandum est, quòd non ait Propheta, timentẽ, sed tremẽtem sermones meos. Plus enim aliquid in tremore quàm in timore esse videtur, cùm ea vis tremoris sit, vt non animus modò, sed corpus etiam externis motibus internum animi pauorem exprimat. Quem timorẽ Vates regius à Dño petebat; cùm diceret: Confige timore tuo carnes meas: hoc est, Nõ animam modò, sed ipsum etiam corpus timoris tui iaculo transfige: vt me non mens solùm, sed ipsum etiam corpus à maleficio deterreat. Sicut enim cùm cõtritio vehemẽs est, in ipsum quoque corpus exundat, cuius rei lacrymæ indices sunt: ita cùm timor Dñi ingens est, ipsum etiam corpus quatit, & horrore suo hominem in officio continet. Ad hũc autem timoris gradũ nos Propheta vocat, cùm alibi dicit, Audite verbũ Dñi, qui tremitis ad verbum eius. Ea enim est verborũ Dei dignitas & maiestas, vt is potissimùm ea digné audiat, qui totus audiendo contremiscit. Quod fecit sanctus Rex Iosias, qui, auditis verbis legis Dñi, ita perterrefactus est, vt vestimenta sua sciderit, & Dominum, quid sibi in ea re facto opus esset, solicitè consuluerit. Talis ergo timor Spiritui sancto domum parat; qui iusti animã ingrediens, & amoris sui in ea ignẽ accendit, & eundem ipsum timorem, qui illi aditum præbuit, indies sic auget, vt, quo quisq. magis in eius amore profecerit, eo magis hoc timore afficiatur: quia videlicet quo plus illum diligit, eo diligẽtiùs cauet, ne qua in re illum offendat, quem tam charum habet. Quo quidem timore ita frequenter piorum animus quatitur, vt non solùm vigilans, sed etiam dormiens impuris somniis hoc metu reluctetur. Quin etiã si in ipso somnio aliquãdo sibi peccato cõsensisse videatur, dormit pariter ac tremit, & in lacrymas interdum soluitur: à quibus excitatus, & somnia quidem illa, non vera crimina esse intelligens, vix conceptas adhuc lacrymas continet; vixq. gratiis Deo agendis satiatur, quòd eripuerit animã eius à morte, oculos eius à lacrymis, pedes eius à lapsu. Hæc omnia sancti huius timoris officia sunt. Quo fit, vt hęc vel pręcipua inter pios & improbos differentia sit: quod hi quidẽ, tantũ abest vt ad verbũ Dei cõtremiscant, vt ferè nihil magis irrideãt quàm si quis, propositis aut Euãgelij, aut Pauli verbis, à maleficio aliquo eos reuocare cõtendat. Hæc enim ad monachos aut sacerdotes, non ad se qui in mũdo degunt, pertinere putant. Itaq. si

Isaiæ 66. Psal. 118. Simile. Esaiæ 66. 4 Reg. 22

eis

eis omnia Christi verba, minas, promissa, beneficia, & mysteria omnia ante oculos ponas, quo eos à prauè cœptis auoces, nihil prorsus his tantis rebus cōmouentur. Sed animaduertite, quęso, horum dementiā. Si quis hoc ipso tēpore, prętermissis Dei legibus atq. rationibus, è vanis mundanorū legibus aliquid afferat, quo probet, illud ipsum quod suadetur, vel ad honorē & famam, vel ad Principum gratiā promerendam, vel ad aliquam corporis cōmoditatem consequendam pertinere, protinus colla submittunt, & vinctas manus porrigunt, nec vlla alia ratione aut persuasione egent. Hæc igitur improborū mens est. Contrà verò pij, mundi legibus & opinionibus spretis, Dei voces audiūt, eius leges attendunt, & per eas vitam & mores instituūt. Itaque quod nauigantibus Cynosura, quod mūdi polus, quod denique nauigandi charta, hoc illis Dei lex est: illam semper aspiciunt, illam in consilium adhibent, illius ductū sequuntur: quemadmodum olim filij Israël per desertū gradientes, nubis & columnæ ducatum sequebantur. Nec sola diuinæ legis nuda obedientia contenti, timorem quoq. obedientiæ iungunt. Timent enim vehementer, ne vel leuissima in re ipsam Dei legem transgrediantur. Intelligunt enim, qua reuerentia, quo metu, quo obsequio & religione, immensæ illius maiestatis placita suscipienda atq. seruanda sint. In illis ergo, qui ita trepidi ad sermones Dei sunt, Spiritus ille cælestis libentissimè requiescit. Quo minus mirandum est, si is in pectore iusti atque timorati Simeonis adeò placidè requieuerit.

Sed fortè quis quærat, quónā modo Spiritus sanctus in anima iusti requiescat, quandoquidem sese ipse per omnes mundi partes insinuat; vtpote qui orbem terrarum virtute & pręsentia sua repleat? Respōdebit aliquis, id fieri per dona atq. charismata sua, quibus intus animam mirabiliter instruit & exornat, quibusque eam in oculis suis gratissimam reddit. Est ita planè. Sed adhuc magis aliquid est, quod hac oratione significamus. Non solùm enim sua illi, sed seipsum etiam tribuit, sine cuius ductu atq præsentia, cætera omnia eius dona periclitātur. Itaq. animæ cælestibus donis ornatæ Spiritus sanctus præsidet, ne qua fiat, vt natiua libertate abutatur, & perceptis donis in superbiā efferatur. Hanc autem sententiā scholastici Theologi tuentur. Discrimen enim esse aiūt inter Spiritus sancti communionem & donorum ipsius: fidelibusque non modò Spiritus sancti dona, sed ipsum etiam Spiritum sanctū donari asserunt. Quod etiam docuerunt Athanasius, in epistola ad Serapionem; Ambros. de Spiritu sancto; Aug. 15. de Trinitate. Hanc autem eximiā & præcellentē gratiā, quæ nobis in iustificatione cōfertur, expressit Christus Dominus, cùm ait: Si quis diligit me, sermonem

Athanas.
Ambros.
August.
Ioan. 14.

monem

monem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionē apud eum faciemus. Confirmauit etiā eandem Paulus ad Corinth. cùm ait: Nescitis quia tēplum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Per hūc autē diuini Spiritus illapsum præcipuè renouamur: & ab eo crediderim prouenire quæ iusti habent spiritualia dona, aut certè ad illum ordinari. Affert quippe Spiritus sanctus secum sua dona, & templa sua ipse mundat & decorat; quasque sibi desponsat animas, his velut monilibus exornat, vt habitaculum in eis habeat non indecorum, nec omnino se indignum.

1. Cor. 3.

Hic ergo Spiritus qui in Simeone habitabat, hoc illum pulcherrimo dono affecit; quod anxiè consolationē Israëlis expectanti, totq. animarū ruinas miseranti, & salutē earum sitienti, ac pro ea Dn̄m dies noctesq. deprecanti, pollicitus est nō priùs eum ex hac vita migraturū, quàm mundi Saluatorem mortalitatis nostræ habitu indutum cerneret. O quàm verè à Propheta dictum est; Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas! Quæ enim mundi opes atq. deliciæ, quæ mundi gaudia cum hoc tanto viri iusti gaudio cōparari possunt? Confer in vnum quidquid mūdus potest dare; etiam si totum se tibi vni possidendum traderet, quid hæc tanta felicitas ad hāc senis nostri felicitatē? quid ad hanc apertissimam diuinæ erga se beneuolentiæ significationē? Quod quidem beneficiū sanctus senex quoties recolebat (recolebat autem semper) non dubium quin toties præ amore Saluatoris sui liquefieret, totusq. in lacrymarum fontes efflueret. Duo sunt patrū erga teneros filios munera: alterum, quæ ad vitæ vsum necessaria sunt, suppeditare; alterum, quæ ad eorum iucunditatem & lætitiam pertinent, prouidere. Quæ duo Pater ille cælestis iis, quos in filios adoptauit, cumulatissimè præstat, dum illis non modò gratiam & virtutes, quibus spiritualis vita continetur; sed mirabiles etiam iucunditates, quibus eadē reficitur & recreatur, exhibet. Quæ tales sunt, vt (quemadmodū Theologi definiunt) omnes mundi delicias superent, siue quæ sensu, siue quæ intellectu percipiuntur. Neque enim falso aut paruo affectu Propheta dixit: Melior est dies vna in atriis tuis, super millia. Omnis enim humana felicitas in vnum congesta, vnius diei felicitatem, qua pij homines fruuntur, æquare non potest.

Psal. 36.

Simile.

Psal. 83.

Itaque hoc ipso die vir sanctus ab eodem Spiritu admonitus, venit in templum. *Cumq. inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundùm consuetudinem legis pro eo:* ipse non vidisse solum & adorasse contentus, *accepit eum in vlnas suas.* Quo amore id fecerit, qua deuotione, qua reuerentia, quibus lacrymis, quo affectu atque gaudio, solus ille nouit, qui in eius

eius pectore habitans, miris eum modis afficiebat. Quot enim magnalia atq. mysteria Spiritus sancti magisterio percipiebat, tot affectibus pia eius mens excitabatur, rapiebatur, & accēdebatur. Denique præsentem cernens, quem tot ante secula expectabat: Venisti tandem, ait, cunctis gentibus desiderate; venisti captiuorum redemptio, mortuorum vita, peccatorū venia, omniumque seculorum salus & lætitia. Gratias tibi ago Dn̄e, gratias tibi ago, quia nos visitare dignatus es oriens ex alto. Implesti, Dn̄e, verbum tuum, reddidisti promissum tuum: sicut à Patribus accepimus, ita & vidimus. O quàm multi Reges & Prophetæ desiderauerunt te videre, & non viderunt! quod mihi tandē dono tuo concessum est. Immortales tibi ergo, Dn̄e, gratias, quantas maximas animus meus capere potest, pro hoc inenarrabili dono tuo ago. Lætus iam & gaudens ex hac vita discedam; quia vidi faciem tuam, & te cum hominibus versātem relinquo. Defecerat enim anima mea in salutare tuum, ô Domine: defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicētes: Quando consolaberis me? Factus eram sicut vter in pruina, frigidus corpore, aridus corde, spiritu marcidus, & totus desiderio languidus. Sed quia in verbum tuæ promissionis speraui, non visurum scilicet me mortem, nisi viderem Christum tuum; quod speraui, iam video; quod desideraui, iam teneo; quod concupiui, amplector. *Nunc* ergo *dimittis, Domine, seruū tuū in pace.* In abyssum iam descendere non formido; quia viderunt oculi mei salutare tuum, cuius meritis iam iam ab ea liberandus sum. Vadam ergo legatus ad pios manes, & felicissimum hoc nuncium ad eos deferam, optatum scilicet aduentare diem, quo tristia linquant tartara, & in lucis & felicitatis regnum transferantur.

Psal. 118.

Nunc dimittis seruū tuū Domine. Non possum ab huius suauissimi Cantici principio cogitationem auertere. *Nunc*, inquit, *dimittis, Domine, seruum tuum in pace.* Hoc est; hactenus tanquam vinctus in huius corporis ergastulo detinebar, mortalitatis meæ pondere grauatus, sed libenter tantam hanc molestiam sustinebam; vt te, priusquam è vita migrarem, præsentem cernerē, ex quo vno vota mea omnia & desideria pendebant. Hac de causa differri mortem & exilium meum gaudebam, vt vitam cernerem quæ nunquam deficit; lucem quæ nunquam extinguitur; viam rectam, quæ nusquam deuiat; illud deniq. salutare, quod mentes morti obnoxias in vitam reuocat, atq. exules Adæ filios patriæ restituit. Quod si vitam iam cōspexi, si corpoream Domini mei faciē oculis vsurpaui, si in illius manus & pedes suauissima oscula fixi, si cælesti illa misericordia tā diu expectata in huius tēpli medio potitus sum: quid est quòd in vita manere diutiùs velim? quid mori extimescam? Nihil iam superest

quod

quod desiderare amplius debeam, nisi vt eo perpetuò in cælis fruar, quem præsentem in terris tueor & adoro.

II.

En, fratres, qualis fuerit beatissimi huius senis mors. Vidit Christum Dñi, vidit ante mortẽ suũ & omniũ Saluatorem: atq. hoc tanto salutis suę pignore suscepto, diem clausit extremum. Qua morte quid iucundius? quid felicius? Talis autẽ est piorum mors, cùm tamen longè alia sit improborum. De illa enim dicitur, Pretiosa in conspectu Dñi mors sanctorum eius: quippe quæ illis ad æternam vitam aditum prębet: de hac verò, Mors peccatorum pessima; vtpote quæ sempiternæ mortis ianua est. Hoc interesse Cicero inter senũ & adolescentum mortem existimat; quòd adolescentes mori sic videntur, vt, cũ aquæ multitudine vis flammæ opprimitur; senes autem, sicut sua sponte, nulla adhibita vi, cõsumptus ignis extinguitur: & quemadmodum poma ex arboribus, si cruda sunt, vi euelluntur; si matura & cocta, decidunt; sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas. Hactenus ille. Ego verò discrimen hoc ad piorum & impiorum mortem conuenientiùs referri puto. Impij enim ferè moriuntur inuiti & repugnãtes, vt qui vitæ huius amore flagrant, atq. in ea spes omnes & opes suas repositas habent; & ad illam dolentes pergunt, in qua (vel ipsa teste conscientia) nihil se reposuisse cognoscunt. Dolent itaq. grauiter propter ea quæ deserunt, vehementiùs tamen anguntur propter ea quę sibi parata esse suspicantur. Pij autem ferè more huius senis placida & tranquilla mente discedunt, & in pace dimittuntur; quia in pace & iustitia vixerũt: sic enim legimus: Veniat pax, requiescat in cubili suo, qui ambulauit in directione sua. Quicunq. ergo in directione hac ambulauerũt, qui per semitas vitæ ingressi sunt, quò tandem, nisi ad cælestis patriæ cubile, peruenient? Hoc est autem quod Ioanni præcipitur, vt literis ad posteritatis memoriam consignatis mandet. Audiui, inquit, de cælo vocem dicentẽ mihi: Scribe, beati mortui qui in Domino moriuntur. Quamobrem? Quoniam amodò iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis: opera enim illorũ sequuntur illos. Amodò, inquit. Posteaquam enim sanguine suo clausas ad id vsque temporis cæli fores Agnus aperuit (qui vitæ & necis claues habet) minimè iam necesse est mille aut bis mille annos apud inferos manes expectare; sed protinus qui cũ fide & pietate vixerunt, qui nihil habent quod igne purgãdum sit, in illas beatissimas oras transferũtur, in quibus à laboribus suis plenissimè requiescent. Quare autem hac tanta requie perfruuntur? Nimirum quia ibi colligunt fructus laborum suorum: ibi metent cum lætitia, quæ cum lachrymis seminarunt. Ideoque lætabun-

Psal 115. Psal. 33. Cicero. Simile. Isai. 57. Apoc. 14.

lætabuntur coram Dño, ſicut qui lætantur in meſſe: ſicut exultant victores capta præda, quando diuidunt ſpolia. Opera, inquit, illorum ſequuntur illos. Opera enim velut indiuidui comites ſunt, quæ æterna atque indiuidua ſocietate hominem comitantur. Apud Romanos in more poſitum erat, vt Imperatores qui ſe in bellis ſtrenuè fortiterque geſſiſſent, & prouincias bello ſubactas Romano imperio addidiſſent, vrbem Romam ingrederentur, circumfuſam captiuorum turbam, quam pugnando ceperant, cæteraque geſtorum ſuorum inſignia ſecum ad virtutis memoriam reportantes. Hoc ergo modo pij omnes cæleſtem Ieruſalem, cùm ex hac vita decedunt, ingrediuntur, omnia ſecum virtutum atque geſtorum ſuorum monumenta clariſſima referentes. Itaque ante ipſos præcedunt miſericordię opera quæ fecerunt: ieiunia, quibus repugnantem carnis laſciuiam ſubegerũt; plagæ & verbera, quibus corpus ſuum attriuerunt; itinera, quæ pietatis cauſa confecerunt; animæ, quas ſalutaribus monitis & exemplis Chriſto lucrifecerunt; illatæ iniuriæ & contumeliæ, quas propter eum pertulerunt; ac demum humilitas, charitas, manſuetudo, patientia, & obedientia, cæteræque virtutes, quibus potiſſimùm enituerunt. Denique quidquid ab eis præclarè in vita geſtum eſt, vſque ad calicem aquæ frigidæ propter Deum inopi porrectum, illos ſubſequetur. Labor quippe virtutis abiit; decus verò, meritum, & gloria nunquam abitura eſt. Pro captiuis verò, quos Romanorũ Imperatores ſecum in triumpho ducebãt, iſti afferunt gloriam triumphati mundi, dęmonis, atq. carnis ſuæ: cuius ſatellites ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, iræ, rixæ, cõtentiones, æmulationes, inimicitiæ, cæteræque huiuſmodi peſtes, quas infracta virtute ſubegerunt. Quàm felices verò tunc labores ſuos iudicabunt, quos videant tantum ſibi decoris & gloriæ peperiſſe, quæ nunquam interitura ſit!

Eſaiæ 9.

Nec minùs tamen impios ſua etiam opera conſequentur, illoſque indiuidua ſocietate comitabuntur, & ad tribunal vſque ſuperbi Iudicis, non tanquam comites aut defenſores, ſed tanquam teſtes & accuſatores procedent. Quale autẽ agmen hoc futurum eſt (in iis præſertim qui vitam omnem in flagitiis cõſumpſerunt) in quo tam multa ſcelera congerentur? Numera mihi, ſi potes, omnes concupiſcentias oculorum; numera omnia furta, mendacia, odia, periuria, libidines omnes, & vindictæ cupiditates, maledicta omnia, omniaque verba obſcœna, ſcurrilia, impura, vana, & pernicioſa; & numerum arenæ maris ſuperabis. Contemplare, quæſo, demens, quibus comitibus ſtipatus ad eum iudicem perges, apud quem vt nihil latere, ita nihil impunitum relinqui poteſt. Sed præter hæc omnia numera

(quæso)detractiones omnes, quibus alienā famam dilacerasti: quoties in hominum frequentia præcipuam tibi loquendi materiam alieni mores, vita, institutaque suppeditarunt: quoties nec virginum pudori,nec viduarum famæ, nec coniugum honestati,nec sacerdotum honori peperceris:quoties quæ leui adhuc erant suspicione obscura & inuoluta, tanquam certa & explorata affirmasti,aut abdita & occulta in vulgus hominū sparsisti. Quid igitur in extremo illo vitæ agone facies? quò te vertes?quid consilij capies,cùm tot vallatus criminibus ante hunc iudicē apparebis! Sed fortè dices: Sacramentalis confessio, peccatorum omnium remedium & medicina est. Quid igitur? An tu satis esse putas confiteri,nisi læsam & violatam famam resarcias? In hoc enim vno crimine ita restitutionis debitor es, vt non modò cùm falsum crimen,sed etiam cùm verum dixeris, ad restitutionem tenearis,si proximi fama læsa est. Quo nomine longè plus periculi in hoc vno crimine quàm in multis aliis etiam atrocioribus est. Si enim contumeliosus vel blasphemus in Deum fuero,sola pœnitentia & criminis cōfessione veniam impetrabo;si verò alterū læsi,nisi damnū quod intuli resarciā, nulla me confessio,nulla pœnitentia iuuat. Quare plus etiā periculi in famæ,quàm in aliarū rerū nocumentis esse video. Ablatam enim pecuniam vel in morte saltē auari quoq.restituūt: ereptā verò famā quis restituet,cùm tā multi sint qui lacerent? Lacerari enim eā quotidie videmus:restitui nō videmus. Quomodo igitur iis & aliis infinitis propemodū peccatis onustus in districto illo examine apparebis? Verū enim est quod Apostolus ait, Vnusquisq. onus suū portabit. Quot verò peccata cōmisisti, tot supra te onera portabis. Certa narratione didici quo dmodò referā. Seruus quidā conseruum suū pecunias domini ferentē in via interfecit,& pecunias sustulit:qui postea à Iudice cōprehensus,suspēdio admissi criminis pœnas dedit. Qui paucis pòst diebus facie horribili inter ardētes flammarū globos conseruū, quē interemerat,supra tergū baiulans,pio cuidā homini in oratione perseueranti apparuit. Crimen enim illud onus erat quod misera supra se anima gestabat, & in æternum gestatura erat. Quale ergo erit onus illud,in quo tam multa onera congerēda sunt,quot sunt eorū scelera, qui tota vita sine vllo Dei timore cupiditatibus cunctis habenas laxauerunt? Sed ais: Latro hora mortis in cruce pœnitens audire meruit, Hodie mecum eris in paradiso. Hoc tamē vni latroni cōtigisse legimus. Vnde D. Aug. colligit,parū esse huic felicitati fidendum,quæ tā rara fuit. Cōmune verò est,vt mors vitæ respōdeat,vt, qualis vita præcesserit,talis etiam mors secutura sit. Pauci enim sunt quibus ea felicitas cōtingit quam ariolus Balaam desiderabat, cùm diceret: Moriatur

Galat. 7.
Luc. 23.
August.
Num. 15

Moriatur anima mea morte iustorũ, & fiãt nouissima mea horum similia. Itaq. vir auarus & impius cupiebat quidẽ pessimè viuere, & feliciter mori: quod planè multi cupimus, qui Simeonem quidẽ in morte, Iudam autẽ in vita volumus imitari. Hoc idem multi fideliũ non tam voce quàm re ipsa profitẽtur: quod tamen rarissimè cõtinget. Quæ igitur dementia est, vt singularem vnius felicitatem omnes sibi polliceãtur? Quæ insania est, in tam multorum perditione vnius sibi tantùm exemplo salutem polliceri? Si his temporibus, in quibus tam multæ in extremis Oceani finibus opulentæ insulæ inuentæ sunt, vna aliqua nõ minus diues inueniretur, in qua, vno aut altero homine excepto, omnes quotquot eò appulissent, propter aëris & cæli inclementiã variis langoribus concidissent; quis adeò diuitiarum cupidus esset, qui, proposito sibi vnius aut alterius hominis exẽplo, in eam insulam proficisceretur? Quomodo enim non magis tot mortuorum exemplis, quàm vnius incolumitate moueretur? Quòd si tanta cura temporariam corporis mortẽ homines reformidant; cur nõ magis æternum corporis & animæ interitum, æternosque cruciatus non simili metu perhorrescant?

Simile.

Sed nunc, fratres, non tam ratione quàm obsecratione hanc causam concludere volo. Vos itaque per vestrã rogo obtestorq. salutẽ, vt prudẽter attendatis nos omnes, quotquot hîc sumus, fortassis ante quadragesimũ annũ ex hac esse luce migraturos, & ante districti iudicis tribunal adstituros. Sexcẽta enim millia homines eduxit Dñs de terrá Aegypti, exceptis mulieribus & paruulis, qui totidem forsitan fuerunt: qui tamen omnes quadraginta annorũ spatio, Caleb & Iosue exceptis, absumpti sunt. Quid ergo mirum, si nos, qui hactenus viximus, tantoq. pauciores illis sumus, antè quadragesimum annum è viuis excedamus? Cùm verò ad postremam hanc horam vẽtum fuerit, cùm iã mortis imago ante oculos obuersetur, cùm iã præsentiũ obliti, futura nobis præsentia esse cœperint; hoc est, futura mors, futura pœna, futura gloria, futurum iudicium, futurique iudicij irreuocabilis sententia; nemo tam perditis moribus est, qui hoc tẽpore non magis diuinis legibus obtẽperasse, quàm totius orbis imperiũ possedisse elegerit. Quò enim mihi mundi imperiũ, quod iam desero; si supernũ iudicem, qui me in gehennam præcipitare potest, infensum atque iratum deprehendero? Nemo item est, qui non eo tempore omnia mundi supplicia pertulisse maluisset, quàm vnum lethale crimẽ aduersus illum cõmisisse; cuius fauore & gratia per id tẽpus tantopere eget, vtpote in cuius arbitrio æterna salus, æternaq; vita sita sit. Quamobrẽ si hoc ita futurum est, si tãtopere commissorum dolore eo tẽpore torquẽdi sumus: quid superest, nisi vt orem obtesterq. vos fratres,

vt tales nunc esse incipiatis, quales tunc fuisse ardentissimè cupietis. Quid enim iustius, quid vtilius, quid prudentius à vobis quisquã expetere poterit? quod salubrius aut opportunius consilium excogitari, quàm vt tales modò esse velitis, quales tunc fuisse tantopere desiderabitis? Hoc enim pacto fiet, vt beati Simeonis felicitatem consequi possitis, & mortem (quæ omnium terribilium extremum est) non modò non perhorrescere, sed etiam lætis oculis intueri, cum hoc beatissimo sene clamantes: *Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace*: vt in pace vitam finientes, ad visionem pacis quæ nunquam finienda est, aspirante Domino, peruenire mereamini.

IN EODEM FESTO PVRIFICATIONIS, CONCIO TERTIA: IN QVA POST BREVEM Euangelicæ lectionis explanationem, primogenitorum offerendorum lex latiùs explicatur.

THEMA. *Sanctifica mihi omne primogenitum, tam de hominibus quàm de iumentis: mea sunt enim omnia.* Exod. 13.

CVM inter omnia diuina beneficia, fratres dilectissimi, principem locũ redẽptionis & salutis nostræ mysteriũ obtineat; ideò singulari deuotionis & grati animi affectu, quidquid ad huius beneficij rationem pertinet, à nobis celebrandum est. Hodie verò salutis nostræ primitias recolimus, quando videlicet vnigenitus Dei Filius (cuius sacrificio & oblatione mundus erat expiandus) pro nobis Deo Patri offertur & redimitur. Redimitur autem quinque siclis, qui mundum postea quinque sacratissimi corporis sui vulneribus erat redempturus. Hæc enim velut prælibatio quædam redemptionis nostræ fuit, & veluti sacrificium matutinum. Duplex enim sacrificium lex olim instituerat; alterum, quod mane; alterum, quod vesperi offerendum erat. Vtrumque autem sacrificium pro nobis Saluator noster obtulit: hodie quidem in præsentatione matutinum, postmodum verò in passione vespertinum. Hodie quoque cum filij oblatione matris purificationem celebramus: quæ cùm nihil haberet purificandum, purificari tamen voluit; vt quemadmodum innocens filius in circuncisione suscepit imaginem peccatoris; ita ipsa, quæ mundissima erat, in purificatione immunda-

Num. 28

mundarum in se feminarum imaginem præ se ferret, dum legem purificationis implere non dedignata est. Quod quidem (vt de eius humilitate taceamus) duabus potissimùm de causis factum esse cõstat. Altera, quòd cùm ipsa hodie primogenitum suum (hoc est, purissimam oblationem) Deo offerre vellet, ipso quoque hoc humilitatis obsequio sanctificari voluit: vt tanto esset eius oblatio gratior, quanto animus offerentis purior erat atq. humilior. Hoc enim est quod in muneribus nostris Dominus pręcipuè requirit. Qua de re ita D. Gregorius ait: Iram iudicis placare nescit oblatio, nisi ex munditia placeat offerentis. Non enim ex muneribus Abel munera oblata placuerũt. Vnde dicitur: Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Quamobrem, fratres, hæc curarum nostrarum prima sit, vt mentis puritatẽ diligẽtissimè tueamur, quo omnia opera nostra puritatis auctori grata sint: cui nihil quálibet pretiosum, gratum est, nisi ex pura conscientia offeratur. Hæc igitur prior Virgineæ purificationis causa extitit; quæ tamẽ (vt diximus) purificationis legi adstricta non erat. Altera verò fuit, ne quod offendiculũ aliis sacra Virgo præberet, si se à cõmuni purificationis lege subtraheret. Hanc enim vel præcipuã sanctorũ curã esse, ne cuiquam offendiculo sint, latissimè D. Paulus in epistola ad Romanos, & in priori ad Corinthios docet: Omnia, inquit, mihi licẽt, sed nõ omnia expediunt: omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. Hoc autẽ se idẽ Apostolus præstitisse confirmat, vbi ait: Et ego, fratres, in timore & tremore multo fui apud vos: videlicet (vt Theophylactus hoc in loco interpretatur) solicitus, ne cuiquam offendiculo essem. Multa enim & viri sancti faciũt, quæ facere non tenentur, & omittũt quæ facere potuissent; ne hæc eorum libertas infirmis fratribus offensionis materiam prębeat. Quod quidẽ hodierna die sanctissima Virgo fecit: quæ cùm astris purior esset, purificari tamẽ cũ immundis puerperis voluit; ne alicui obloquendi ansã præberet. Neq. hoc solùm alienæ infirmitatis, sed nostrę etiã vtilitatis causa curãdum est. Vult enim Sapiẽs, vt curam quisq. habeat de bono nomine, meliusq. esse ait nomen bonũ, quàm ingẽtes opes & vnguenta pretiosa. Ideoq. Apostolus Timotheo præscribit, vt non modò castum, sed irreprehensibilem etiam se ipsum exhibeat; vt per illud quidem ab omni malo, per hoc verò ab omni specie mali se abstineat, ne vllã contra se rumoris mali occasionẽ maledicis prębeat: quandoquidem (quod ad integritatem nominis attinet) non minùs falsus rumor, quàm verus noceat, cùm integritas famæ nõ tam in re, quàm in opinione hominũ sita sit. Qua in re illud admiratione dignũ est, quòd cũ omnibus in rebus ea aut noxia aut salutaria sint, quæ verè hoc sunt quod dicuntur; quæ verò falsa

Gregor. Genes. 4. 1. Cor. 6. & 10. 1. Cor. 2. Theoph. Eccles. 7. 1. Tim. 6.

ſunt, nihil efficiant, cùm nihil ſint: apud homines tamẽ nõ minus falſa quàm vera fama nocet. Nec minùs vxoris vita periclitatur, cũ falsò à viro ſuo adultera iudicatur, quàm cũ verè adultera eſt. Quot enim pudicas vxores putatis hac de cauſa à viris interemptas, atq. immeritas innocẽtiæ ſuę pœnas dediſſe? Quò factum eſt, vt leges omnes non minùs, imò verò multo magis eos ad reſtitutionem famæ obligent, qui falsò, quàm qui verè alienã famam lacerarunt: quòd intelligerent, hac vna in re non minùs mendacium quàm veritatẽ nocere. Quo argumento facilè vir bonus colligere poterit, quãtum ſibi non ſolùm ab omni malo, ſed ab omni etiam ſpecie mali cauere debeat; quãdo non minùs claritas nominis falſis rumoribus quã veris obſcuretur. Cui rei (vt cætera ſileantur) intemeratæ nos hodie Virginis exemplum admonet: quæ cùm nihil haberet purificatione dignum, purificari tamen voluit, ne vllam hominibus obloquẽdi anſam præberet, ſi ſe à cõmuni purificationis lege ſubtraheret.

I.

Venienti igitur in templum Virgini occurrit Simeon. Cuius eximiam ſanctitatẽ Euangeliſta deſcribit his verbis: *Et homo iſte iuſtus & timoratus, exſpectãs conſolationẽ Iſraël, & Spiritus ſanctus erat in eo.* Qui in hunc vſq. diem à Domino ſeruatus erat, vt vitã mundi, ſalutem ſeculorum, lumen ad reuelationem Gentium, ſalutis noſtræ pretium, priuſquam ex hac vita migraret, oculis cerneret, manibus contingeret, brachiis ſtringeret, complexu foueret, totuſq. in eius aſpectu amore liquefieret. *Cùm ergo inducerent puerũ Ieſum parentes eius, vt facerẽt ſecundùm conſuetudinẽ legis pro eo; & ipſe accepit eũ in vlnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit: Nũc dimittis ſeruũ tuũ Domine ſecundùm verbũ tuũ in pace.* Quod perinde eſt, ac ſi diceret: Antehac triſtis erã, mœſtus eram, & pro ſalute mundi anxius & ſolicitus eram. Omnia hominum ſcelera viſcera mea lacerabãt, & opprobria exprobrantium tibi ſuper me cadebant; in luctu & ſqualore vitam perducebam; zelus enim domus tuæ & gloriæ tuæ pectus meum laniabat: his autem denſiſſimis tenebris circumfuſo, vna mihi reliqua ſpes & conſolatio erat, à qua ſola pendebam, eaque cadentes penè & moribundos artus ſuſtinebam; nempe viſurum me ante extremum vitæ diem ſalutem mundi, & vnicum malorum remedium, Filium tuum. Impleſti iam, Domine, verbum tuum, conſolatus es ſeruum tuum, & mœrores ac lachrymas meas præſentiæ tuæ beneficio in lætitiam cõmutaſti. Nunc ergo, quando id, cuius gratia in hac vita diſtinebar, aſſecutus ſum, non eſt cur diutiùs in ea morari velim. Quamobrem educ, Domine, de carcere animam meam, & dimitte ſeruum tuum in pace. Non eſt profectò cur mirari quiſquã debeat, ſi huic ſeni & vita ipſa, & quid-

& quidquid in vita erat, fastidio fuerit, cùm ipsum vitæ fontem iam vidisset, & complexus fuisset. Qui fixis oculis diu splendorem solis intuitus est, vbi ab illius conspectu discedens, ad interiora domus suæ regreditur, omnia adeò obscura deprehẽdit, vt splendore solis oculorum aciem occupante penè nihil videat. Quid ergo mirum, si beatus hic senex, vbi Solem iustitiæ vidit, nihil amplius videre voluerit, & ideò in pace dimitti postulauerit? Obmutuit Zacharias, Ioannis Baptistæ pater, cùm Angelum Domini tot clarissima mysteria proferentem audiuit. Quamuis enim silentium illud incredulitatis eius pœna fuerit, mysterio tamen (vt Chrysologus ait) non vacat: Tacet enim, inquit, minima, cùm videt maxima; vocem cùm percipit, vocem amittit. Cùm ergo senex noster eadẽ mysteria non solùm futura audierit, sed præsentia viderit; quomodo tantæ felicitatis gloria potitus, mortalem vitam sustinere diutiùs voluisset?

Simile.

Lucæ 1.

Petrus Rauen.

Quamuis autem magna fuerit hodierna die sancti huius senis lætitia (vtpote qui omnium votorũ atq. desideriorum suorum compos factus est. Desiderium quippe, vt Salomon ait, si compleatur, delectat animam: &, Lignum vitæ, desiderium veniens) longè tamen maior fuit lætitia Virginis, cùm dilectissimi filij gloriã à sanctis hominibus diuina reuelatione agnosci & prædicari vidit. Tunc enim summum illud gaudium, quo exultauit spiritus eius de diuini Verbi incarnatione, & maternæ dignitatis gloria, renouatum est. Vnde D. August. huius mysterij cõsideratione attonitus, Quis, inquit, ô beata mater posset nobis indicare inter huiusmodi obsequia animi tui sensum, cùm hinc cerneres ex te natum tantillum infantem, illinc attenderes Deum immensum; hinc creatum, illinc creatorem; hinc infirmum, illinc fortissimum; hinc alendum, illinc alentem; hinc non loquentem, illinc Angelos docentem? Quis, inquam, tui pectoris arcana nobis reserare valeat, quibus modis cogitatum ad vtraque flectebas, cùm vnum eundemque Dei Filium manibus tenẽs, hinc adorares vt Dominum, illinc osculareris vt paruulum? Quis ad tam ineffabile miraculum non obstupescat? Quis non penè elinguis fiat? Generat puella suum & omnium creatorem, nutrit suum & omnium nutritorem, portat ad templum suum & omnium rectorem. O admirandum spectaculum, ad quod non solùm humana, verùm etiam angelica stupescit natura! Hactenus Augustinus.

Prou. 13.

August.

Cæterùm hac ipsa hora superueniẽs Anna prophetissa, sacri huius mysterij (Spiritu sancto docẽte) conscia, sociam se beatissimæ Virgini addidit: atq. ita omnes, hoc est, duo sancti senes, & Anna atq. Maria cum primogenito suo, à vestibulo templi ad altare vsq procedunt, hãc pulcherrimam hostiam Deo Patri

 oblaturi.

oblaturi. Quam quidem processionem sancta hodie per totum Christianum orbem repræsentat Ecclesia: quæ etiam accensos cereos fidelium manibus gestãdos tradit, quibus incarnati Verbi mysterium profitetur. In hoc enim cereo tria sunt, nempe cera, linum, & flamma, quæ tres substãtias, quas in vno Christo cõfitemur, repræsentant. In cera enim carnem; in lino verò, intra ceram consistente, animam; in splendore autem, diuinitatis gloriã, quæ carni & animæ cõiuncta est, accipimus: ideò morituri accẽsum cereum manibus tenemus, vt quo tempore lingua fidẽ Christi profiteri non potest, cereus profiteatur. Quem quidẽ cereum dum eo tempore manibus tenemus, illud etiam significamus, fidem non modò in intellectu, per cognitionem; sed in manibus etiam, per studiosam operationem, fulgere debere. Cuius rei gratia Dei seruos præcinctis lumbis esse, & lucernas in manibus gestare, Dominus in Euãgelio pręcipit. Sanctus quoque Simeon non contentus fide Dominum adorasse, in vlnas quoque accepit; vt intelligamus, fidem quæ in intellectu est, ad opera vsq. progredi debere, vt videlicet sic vitam instituas, quemadmodum illa præscribit: alioqui frustra medici præceptis noxia à salutaribus discernentis fidem habes, nisi & à noxiis abstineas, & salutaribus vtaris. Nemo itaq. sibi de sola fide blandiatur, nisi fidei obedientiam, hoc est, ea fidei opera iungat, quæ fides dictat esse facienda. Sic enim (vt Apostolus monet) habebimus mysterium fidei in conscientia pura: hoc est, non in intellectu solùm per assensum fidei, nec in lingua solùm per eius confessionem; sed in conscientia quoque per vitæ puritatem & piam operationem. Alioqui (vt D. Iacobus ait) quid proderit, si fidem aliquis habeat, opera verò non habeat; nũquid poterit fides saluare illum? Sicut enim corpus sine anima mortuum est; ita fides sine operibus mortua est. Tu credis in Filium Dei? bene facis. Sed aliquid tamen plus quàm tu dæmones habent: qui non modò credunt, sed etiam contremiscũt: cùm ipse tamen Deum non modò non timeas, sed etiam contemnas. Si ergo illi & credentes, & timentes adhuc dæmones sunt, quid de diuinæ maiestatis contemptore iudicandum est? Sed iam ad Virginis oblationem redeamus.

Simile. — *Luc. 12.* — *2. Tim. 3.* — *Iacob. 2.* — *Simile.*

Hoc ergo solenni piorum hominũ comitatu ad altare virgo sanctissima primogenitum suum oblatura procedit, ibiq. Deo Patri, vtriusque, hoc est, suũ & Patris æterni primogenitũ, vtrique dilectissimũ, offert pariter & redimit: offert quidem, vt sit Patris; redimit autem, vt sit noster: oblatione quippe, Patris; redemptione, noster est, & ita noster, vt D. Bern. dicat: Totus es Deus meus, Domine Iesu, totus es meus: in meos videlicet vsus ita expensus, vt nihil à me sumpseris, quod pro salute mea non insum-

Bernard.

insumpseris. Hoc etiã innuere Propheta voluit, cùm ait: Paruulus natus est nobis, & Filius datus est nobis. Et Angelus etiam ad pastores: Annuncio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Saluator, &c. Itaque vbique audis, & nobis, & vobis; quia hæc purissima oblatio tota nostra est, quoniam & à patre data, & à matre redẽpta est. Pater enim ita dilexit mundũ, vt Filium suũ vnigenitũ daret: mater verò ita nos dilexit, vt pro nostra omniũ salute illũ hodie redemerit. Hic est autẽ, fratres, Primogenitus ille, quem omnia alia filiorum Israël primogenita adumbrabant; hic ille, in quem vnũ cælestis Pater intentis oculis aspiciebat, cùm eorũ primogenita exigeret; quẽ vnum desiderabat, quẽ vnum gratissimum habebat, & propter quem cætera omnia illi grata erant, quæcunque grata fuerunt. De eo namque ipse ait, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Et quia vnus hic illi gratissimus erat, omnes alios adeò seuerè exigebat, quoniam inter eos vnus hic illi offerẽdus erat. Sicut enim Herodes, propter maximũ in Christum odium, omnes Bethlehemiticos infantes occidi iussit, vt hunc vnum (quẽ summè oderat) inter illos occideret; ita contrà Deus Pater propter summum in Christum amorẽ, omnia alia primogenita sibi offerri mandauerat, vt vnus, qui solus erat gratissimus, illi inter omnes offerretur. Quamobrem, fratres, salutare hoc à me consilium capite, si vos ipsos, ac preces vestras Deo gratas esse vultis; vobiscum Primogenitum hunc, quoties ad orãdum pergitis, deferte, vt à Deo Patre placidis oculis aspiciamini. Nutrices, quæ filios regum educant, cùm regibus ipsis maximè gratificari, & eorum graues assiduasque molestias lenire volunt, paruulos filios in vlnis gestãtes ad illos deferunt, quorũ aspectu ita oblectantur, vt supercilium, toruumque vultum deponẽtes, filiolis arridere, &, regia seueritate deposita, cum illis velut repuerascere incipiant, ac læti & iucũdi effecti, faciles ad exorandum non modò nutricibus, sed etiam aliis se ipsos præbeant. Multi passim à nobis & orandi modũ, & exquisitas orationes, quæ Deo gratissimę sint, poscunt: quibus planè respondendum est, nullam orandi rationem Deo esse gratiorem ea quæ illi Primogenitum suum, omnesque eius & virtutes & labores suppliciter atque prudenter offert. Quam rem hodierna beatissimę Virginis oblatio apertissimè repræsentat. Hactenus de Euangelica lectione. Nunc ad proposita thematis verba redeamus.

Isaiæ 9. — Lucæ 2. — Ioan. 3. — Matth. 3. — Matth. 2.

TRACTATIO THEMATIS. II.

In hac autẽ sacra lectione, duæ potissimùm leges proponuntur, quæ diuinæ puritatis & sanctitatis imaginem aptissimè ante oculos ponunt: altera, de puerperarum purificatione; altera, de primogenitorum oblatione. Prior lex puerperas omnes, postea-

posteaquam enixæ fuissent, certo dierũ numero immũdas esse decernit; & non solùm ab ingressu tẽpli, sed etiam ab omni hominum contactu & commercio arcet; ac demum post dies illos sacrificium & oblationem instituit, qua ab immunditia puerperio cõtracta expiarentur. Quæ nam hæc immũditia est, quæ possit oculos diuinæ maiestatis offendere? Nullæ enim corporum sordes, cùm non adest voluntatis prauæ consensus, diuinæ puritatis oculos offendunt. In partu verò vt non culpa, sed pœna; ita non spiritualis, sed corporalis immũditia est. Adde etiam alias huius corporeæ immunditiæ leges. Frequentissimè enim vetus illa lex puritatẽ corporis exigebat: eademq. simili ratione corporum sordes & immunditias arcebat. Cùm igitur constet hisce rebus Deum nec placari nec offendi, hoc præcipuè captare videbatur, vt stupidos, & corporeis sensibus addictos homines, his veluti rudimentis ad veræ puritatis amorem (quæ in animo sita est) induceret. Hac etiam ratione voluit summus ille puritatis amator ostẽdere, quo amore mentis puritatem prosequeretur, quando ipsam quoque puritatis imaginem (quæ corporis puritate constat) tot olim legibus commendauerit. Hoc igitur argumento monemur, fratres, vt, qui à Dño diligi vehementer cupimus, interni cordis puritati summa cura studeamus, nullam in eo impuram cogitationem, vel ad momentum, residere patientes: nec dubium, quin ab eo magnopere diligamur, qui tãto se puritatis amore teneri tot legibus declarauit. Cùm enim ipse velut quidam puritatis & sinceritatis perennis fons sit, & amoris vel præcipua causa similitudo existat: quisquis Deo per amorem vniri studet, studeat etiam cõscientiæ puritati: atque ita (quod summæ dignitatis & felicitatis est) vnus cũ Deo spiritus efficietur. Sed hac puerperarum lege prætermissa, ad alteram, quam Dominus his verbis tulit, veniamus.

Exod. 13. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam in filiis Israël, tam de hominibus quàm de iumẽtis: mea enim sunt omnia. Omne primogenitum hominis de filiis tuis, pretio redimes. Cumque interrogauerit te filius tuus cras, dicens, Quid est hoc? respondebis ei, In manu forti eduxit nos Dominus de terra Aegypti, de domo seruitutis. Nam cùm induratus esset Pharao, & nollet nos dimittere, occidit Dominus omne primogenitum in terra Aegypti, à primogenito hominis vsque ad primogenitum iumentorum; idcirco immolo Domino omne quod aperit vuluam masculini sexus, & omnia primogenita filiorum meorum redimo. Et erit quasi signum in manu tua, & quasi appensum quid, ob recordationem, ante oculos tuos, eo quòd in manu forti eduxit vos Dominus de Aegypto.

Hacte-

Hactenus de primogenitorum lege: quæ quidē lex ita iustitiam & æquitatē Dei, sicut prior illa puritatem, declarat. Quid enim iustius, quàm diuinorum beneficiorum memorem animum gerere? Qua verò ratione memoria eorum arctiùs commēdari potuit, quàm vt lege perpetua omnia Deo primogenita cōsecrarentur, vt cùm quotidie maiores natu filij aut hominū aut pecorum, aut etiam iumentorum Domino offerrētur, huius tanti beneficij memoria nunquam ex animis elaberetur? Hoc enim est quod ait: Et erit quasi signum in manu tua, & velut appensum quid, ob recordationem, ante oculos tuos. Itaque semel Dominus filios Israël ab Aegypto liberauit; semel propter eos Aegyptiorum primogenita interfecit; & tamen perpetuo grati animi officio beneficium hoc celebrari voluit: non quòd ei his laudibus, aut hoc officio aliquid accederet (qui bonorum nostrorum non indiget) sed vt hoc argumento, quàm gratus illi animus beneficiorum memor esset, indicaret.

Exod. 13.

Ex eadem quoq. lege facile erit intelligere, quē à nobis Dominus animum requirat, qui nos vt à diaboli tyrannide vindicaret, non hostium primogenita morte affecerit, sed primogenitū Filium suum acerbissimæ morti tradiderit. Quid enim hoc beneficio maius? Duabus enim de causis rerū pretia augeri solent; siue quia ipsa verè pretiosa sunt; siue quia maximè à suis possessoribus æstimātur. Quid autē pretiosius Filio Dei? Quid magis ab æterno Patre dilectum? Sic tamen Deus dilexit mundum, vt hunc dilectissimū Primogenitū pro salute mūdi daret; sic autē dedit, vt illum in manus impiorum acerbissimis supplicijs & contumeliis excruciandum tradiderit: vt huius Primogeniti morte à diaboli seruitute eriperemur. Quis ergo hoc tanti amoris iaculo non vulneretur? Verè sagittæ tuæ, Domine, acutæ, quibus corda hominum, olim tibi aduersa, charitate tua vulnerasti? Neq. immeritò idē Dei Vnigenitus sibi apud Prophetam sagittæ nomen vindicauit, cùm ait: Posuit me sicut sagittam electā, & in pharetra sua abscōdit me. Te itaq. Pater æternus ad hoc vsque tēpus reseruauit, vt hoc insigni & electissimo spiculo aduersantiū tibi hominū corda amore tui ita sauciaret, vt ex inimicis amicissimos reddiderit. Hac eadem charitatis sagitta Sponsa in Cant. se vulneratā esse profitetur, quo vulnere sauciata, conquiescere nullo modo poterat, nec oculis somnum capere, sed per omnes vicos & plateas dilectissimum Sponsum quærens, his verbis occurrentes feminas cōpellabat: Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo. Cumq. illæ ad ea dilecti sui signa requirerent; Dilectus, inquit illa, meus candidus, & rubicūdus, electus ex millibus. Cādidus videlicet splēdore diuinitatis; rubicundus

Simile.

Ioan. 3.

Psal. 44.

Isaiæ 48.

Cant. 5.

Ibidem.

cruo-

cruore passionis;candidus ex patre,rubicundus ex matre; candidus ex puritate, rubicundus ex amore:candidus, quia verus Deus,rubicũdus,quia verus homo. Demum post alias eius laudes enumeratas tandem subdit: Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, filiæ Ierusalem. Quasi diceret: Cùm talis tãtusq́.sit quẽ ego diligo,& ego talis tantillaque sim, non despicit tamen vilitatem & abiectionẽ meã,sed ardẽtissimo me amore complectitur:quare à tali tantoque amatore sic præuenta,quomodo non illũ vicissim redamem? quomodo non illũ quæram, donec inueniam? quomodo non tota in eius amore liquefiam? Hoc eodem amore D. Aug. similiter æstuabat,cùm huius beneficij iaculo vulneratus dicebat: Eia age Dñe,& fac;excita & reuoca nos:accende,rape,flagra;iam amemus & curramus. Sat scio tamen, Dñe, quantumcumq.curram, quantumcumq. diligã, nunquã parẽ huic beneficio gratiã referã. Quo in loco illa D. Bernardi sentẽtia nos consolatur,qui ait: Et si, quod debeo, rependere non possum,nõ tamen possum vltrà quàm possum.

Cant. 5.

August.

Bernard.

III.

Sed iam quid sigillatim à nobis Dominus propter hoc beneficium reposcat,expẽdamus. Sanctifica mihi, inquit, omnẽ primogenitum tam de hominibus quàm de iumentis. Quando omnia olim in figura cõtingebant,quid hac lege Dominus voluerit adumbrare,videamus. Inter omnes animi affectus,amor velut primogenitus est,à quo cæteri proficiscuntur. Ex amore quippe alicuius rei oritur eius desiderium, cùm abest; lætitia, cùm adest:tristitia, cùm ea nobis adimitur;ira,cùm læditur; timor,cùm periclitatur;atque idem de cæteris. Huc ergo primogenitum sibi Dominus consecrari vult, vt, quod pro nobis ille eximio amore gessit,amoris obsequio rependamus. Totus ergo amor noster ita Deo consecrandus est,vt non modò nihil supra eum diligamus, sed etiam nihil nisi propter eum diligamus. Hoc est autem summum quod Deus ab homine exigere, & summum item quod ab homine præstari possit.

Exod. 13

Quia verò hoc summũ inter omnia bona nostra est, explica, quæso Dñe,quibus hoc (vt ita dicam) titulis tantum hoc munus à nobis exigas. Multi sunt planè, sed ille omnium primus, quòd (sicut ipse ait) omnia primogenita eius sint. Ipse enim amorem condidit,& voluntatem quæ amaret,& intellectũ qui amorem antecederet,& memoriã quæ rationes amandi recoleret,ac deniq.totum hominem cõdidit:quare nõ mirũ est,si iure suo,quod ipse cõdidit,repetat. Volũtas enim (vt D. Thomas ait) naturali amore plus diligit eum à quo est, quàm à quo non est. Quamobrem cùm ea à Deo profecta sit, plus hoc amore Deũ,quàm se,diligere debet. Hic igitur primus titulus est, quo Deus

S. Thom. opusc. de amore Dei.

Deus creationis iure totum à nobis amorẽ meritò exigit. Est & alter lõgè maior, quòd videlicet ipse, quos creationis beneficio suos fecerat, redẽptionis iure iterum suos fecit. Plus autem est redemisse quàm creasse. Creauit enim verbo, redemit morte. Quare cùm is vitam suam propter eorum salutem profuderit, iustum est, vt ipsi quoque vitæ suæ se illi debitores agnoscant. Quod quidem hoc argumento colligit Apostolus: Si vnus, inquit, pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus; vt & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est. Rectè planè Apostolus philosophatur: perinde enim est ac si diceret: Omnes quidem Adæ filij propter primũ illud peccatum ad mortem dãnati fuimus; at Christus Dominus, misericordia motus, vitã suam (quæ supra omnes omnium vitas pretiosior erat) pro nostris obtulit, qua oblatione nos à mortis debito liberauit. Verumtamen consequens est, vt, qui eius beneficio viuunt, vitam suam se illi debere fateantur. Hoc enim legibus cautum est, vt cùm fideiussor multorũ æs alienum dissoluit, & creditori pro omnibus satisfacit, debitores quidẽ à creditore liberati, fideiussori obnoxij sint. Hìc enim non soluendi obligatio, sed persona creditoris commutata est. Quare si omnes fideiussori Christo vitam debemus; consequens est, vt, qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est; hoc est, vt iam nemo ex voto suo, sed ex præscripto Saluatoris sui vitam instituat, seq. totũ illius seruituti & obsequio tradat. Exigit itaq. huius debiti ratio, vt homo iam iuris sui esse desinat, & in alienam potestatẽ totus concedat, seque instar holocausti (quod totum in Dei gloriam igne absumebatur) Deo offerat: vbi enim amor, ibi totus homo est. Quid mirũ autẽ, si hoc à te Dñs exigit, vt per amorẽ te illi totũ tradas, quando idem se totum ex amore pro te ad mortem tradidit? Cùm Moysen Dominus ad liberãdos filios Israël in Aegyptum destinasset, isque segniùs munus hoc exequi cœpisset, voluit eum Dominus in itinere occidere. Tulit autem Sephora eius vxor acutissimam petram, & circumcidit filium suum, tetigitq. pedes eius, & ait: Spõsus sanguinũ tu mihi es. His quidem verbis Sephora filij sanguinem, pro viri incolumitate effusum, maximi beneficij loco ducens, virũ, vt se magis ac magis amaret, inducebat: ac si diceret: Duplici iam nomine amoris mihi debitor es; primùm, quia sponsus; deinde, quia sponsus sanguinum es, quòd videlicet te à morte, filij mei sanguine liberaui. Si ergo nouũ amoris gradũ à viro suo Sephora exigebat, quòd illi alieno dolore, alienoq. sanguine, vitã impartita fuerit; quem obsecro amorem merebitur, qui proprio sanguine te ab æterna morte liberauit, æternamq. vitã contulit? Iustè ergo petit, quod pro

2. Cor. 5.

Simile.

Exod. 4.

pro te ipse pertulit, & quod tibi contulit. Ille animam tuam supra vitam suam dilexit, tu quoq. illum supra vitam tuam diligere teneris. Ille nihil saluti tuæ antetulit, tu illi nihil anteferre debes; alioqui eius amori minimè respōdes. Vnde ipse ait: Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, nō est me dignus. Et qui amat filium aut filiam plus quàm me, non est me dignus. Ille autē ista omnia plus quàm Christum amat, qui propter parentum aut filiorum vitā & incolumitatem tuendā, Christi leges violare non veretur. Quòd si, quisquis hac de causa aduersū Christum delinquit, nō est eo dignus; quomodo digni erunt, qui pro rebus nihili, hoc est, propter vilissimarum rerum cupiditatem, illius leges transgrediuntur? Tales enim non quidem supra omnia, sed (quod dictu quoq. nefas est) infra omnia Deū diligunt; quando nihil adeò vile concupiscunt, quod non eius dilectioni anteferant. Quid verò esse monstrosius, quid magis præposterum possit, quàm quòd Deus, qui diuinitatis ac beneficiorum suorum iure in summo cordis nostri loco collocandus erat (vt eum videlicet locum haberet in corde, quem habet in mundo) in infimo rerum ordine reponatur? Horret quidē hoc natura, reclamat ratio, indignantur leges, stupet cælum, terra miratur. O quāto in præstantiori loco te Deus posuit, quàm tu illum ponis? Ille quidem te primùm supra tergum suum posuit, cùm pro te flagellari terga sua passus est: posuit supra humeros suos, cùm supra illos pro te crucem baiulauit, & in ea passus est: posuit supra caput suum, cùm pro te illud spinarum aculeis vndique transfigi voluit: posuit denique supra vitam suam, quam pro te obtulit ad mortē. Quomodo ergo, perfide, Deum audes sub pedibus tuis ponere, cùm ille te despectissimum vermem supra caput suum collocauerit? Quanto aliter martyres Christi, qui vitam suam in imo, Deum verò in summo cardine collocantes, propter illius gloriam, vitam & sanguinem libentissimè profuderunt? Quicunque igitur hos imitantur, hi nimirum primogenita hominum, hoc est, quod in homine præstantissimum & primum est, videlicet summum amorem illi offerunt.

Mat. 10.

Neq. satis ad plenam legis huius obseruationē est, si primogenita tātùm hominum, nisi iumentorum etiam primogenita offeramus. Quid hoc est? Constat planè in vnoquoq. nostrûm aliquid esse proprium hominum, aliquid iumētorum. Hinc duplex in homine appetitus existit. Est enim rationalis; est etiam (vt appellant) sensitiuus: atque ita in nobis duplex amor est: alter rationalis, quo ad spiritualia & honesta rapimur; alter sensitiuus, quo ad carnalia & terrena ferimur. Cùm ergo Dn̄s primogenitum hominis exigit, rationalē amorē postulat; cùm verò iumentorum primogenitum, carnalē etiam à nobis amorem requirit;

requirit; non quidem ad ſeruandum, ſed ad occidendum atque mactandum: primogenita namq. hominũ illæſa ſeruabãtur, iumentorũ verò, niſi ouibus permutarẽtur, ſacerdotali gladio iugulabantur. Cùm ergo iumentorũ à nobis primogenita Dñs requirit, hoc præcipit, vt propter eius amorem omnes impuros amores, & cupiditates, atq. libidines diuini verbi gladio reſecemus. Ideoq. ſi impudico fortaſſe amore æſtuas, iugula illũ huius diuini verbi gladio: Omnis fornicator, aut immundus, aut auarus non habet hæreditatem in regno Chriſti, & Dei. Si vindictæ cupiditate flagras, adhibe gladiũ illum. Si non dimiſeritis hominibus peccata eorũ, nec Pater veſter cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra. Si carnalium deliciarum amore caperis, adhibe illum: Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Si te auaritiæ & inhumanitatis peſtis exagitat, memineris ſcriptum eſſe: Iudiciũ ſine miſericordia ei qui nõ fecerit miſericordiam. Si praua iurandi conſuetudine teneris, in mentẽ illud Eccli. reuoca: Vir multum iurans, replebitur iniquitate, & non recedet à domo eius plaga. Quiſquis autem hoc facit, is vtique iumentorum ſuorum primogenita Deo mactat. Quid verò magnum aut mirabile facis, ſi propter Deum iugulas primogenitum iumenti tui, cùm pro te Deus morti tradiderit primogenitum ſuum? Nec verò lex hæc ſuperiori diſſimilis, ſed maximè coniuncta eſt. Cùm enim ſpiritualis & carnalis amor, hoc eſt, charitas & cupiditas inter ſe contraria ſint, pugnant vtique aduerſum ſe, & mutuam ſibi inuicem perniciem machinantur. Quare ſi in te dominatur charitas, ſeruiet vtiq. cupiditas: ſi verò regnet cupiditas, non dubium quin extincta ſit charitas. Quid enim ſibi vult, quòd cùm Dominus in montem Sinai deſcendiſſet, totus mons fumabat, quoniã eò Dominus in igne deſcẽderat? Quis enim hoc temerè factum credat? Quid verò aliud conuenientius ignis & fumus indicare potuit, quàm quòd hoc indicio Dominus charitatis & cupiditatis naturã (quæ per ignẽ & fumũ intelligitur) exprimere voluerit? Ignis enim proprium eſt, vbi in aliquam rem incubuerit, humorem ſibi aduerſantem expellere, vnde fumus oritur, quem ab ea re procul pellere nititur. Hæc igitur charitatis natura eſt, quòd perpetuò aduerſus cupiditates omnes ſibi aduerſantes bellum gerit, & ab anima, quam ſemel obſedit, excutere nititur. Quo indicio, fratres, vtcumque de veſtro erga Deum amore coniecturam facere poteritis, ſit ne legitimus & verus. Quod quidem non tam ex dulci erga Deum affectu, quàm ex forti aduerſus carnales affectus pugna diiudicare debetis. Aduerſus hanc igitur cupiditatem continenter bellum gerite, cum hac æternam pugnam capeſſite, omneſque aduerſus eam diuini Spiritus machinas ad-

Epheſ. 5.
Matth. 6.
Rom. 8.
Iacob. 2.
Eccli. 23.
Exod. 19.
Simile.

mouete,contra eam vires inuictas à Domino postulate, vt sic tandem compressa cupiditatis libidine,& voluntate propria superata,triumphum de immani & familiari hoste agentes,cælestis tandem gloriæ palmam percipere mereamini.

IN EODEM FESTO PVRIFICATIONIS, CONCIO QVARTA: IN QVA POST BREVEM lectionis Euangelicæ explanationem, lex purificationis olim à Domino lata explicatur.

THEMA. *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ,secundùm legem Moysi, tulerunt Iesum in Ierusalem parentes eius.* Luc. 2.

SI quis à piis hominibus, Deique amore incensis,quærat quid sit quod in hac vita præcipuè in votis habeant; illud asseuerāter respondebunt,se nihil magis quàm Dei gratiam & amicitiam, & omnium peccatorum suorum veniā desiderare. Si quis igitur ex vobis,fratres,hoc desiderio flagrat,habet planè hodie magnum in Christi Domini oblatione solatium. Hodie namque Saluator peccatoribus adiungitur, cum peccatoribus Deo Patri offertur, & pro peccatoribus redimitur: quo huius tantæ humilitatis & obedientiæ merito, eos redemptionis suæ participes efficeret. Hoc est enim quod Apostolus ait; misisse Deum Filium suum in similitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum; & misisse item eum factum ex muliere,& factum sub lege,vt eos,qui sub lege erant,redimeret,vt adoptionem filiorum reciperemus. Vtrumque autem hodie pro nostra salute impletum est, quando innocentissimus Dominus paternæ legi subijcitur, & cū peccatoribus,ac pro peccatoribus offertur & redimitur. Hoc igitur peccatores spei solatium habent:non omnes tamen,sed ij solùm, quos scelerum conscientia terret,quos peccatorum memoria mordet,qui Christi capiti tāquam viua mēbra, non fidei solùm,sed spei & charitatis vinculo coniuncti sunt. Ad hos enim Christus Dominus venit, qui in hoc à Patre missus esse per Prophetam dicitur,vt mederetur contritis corde,& lugentes consolaretur,daretque eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Hoc igitur spei solatiū ex primogenitorum oblatione,quam hodierna sancti Euangelij lectio initio statim proponit,capere licet. Sequitur altera lex quę ad puerperarū purificationem

Rom. 8. Galat. 4.

Esai. 61.

tionem pertinet:quam quidem fusiùs excutiemus, si priùs tamen sancti Simeonis historiam, qui pietate ac deuotione sua huius diei mysterium magna ex parte illustrauit, explicemus. De ipso quippe sanctus Euangelista subdit:

Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomē Simeon, & homo iste iustus & timoratus, expectans consolationem Israël: & Spiritus sanctus erat in eo. Quo in loco cùm Euangelista timorem cum iustitia viri sancti copulet, non illum timorē accipere debemus, qui est initium iustitiæ; sed illum, qui per omnes gradus indiuiduus iustitiæ comes est. Quamuis enim timor Domini, siue is quē parit amor, siue culpæ supplicium, Spiritus sancti munus & beneficium sit, multum tamen inter vtrūq. discrimē est. Ille enim qui à supplicij metu proficiscitur, quo magis charitas crescit, eo magis ipse decrescit: ita vt cū perfecta fuerit charitas, hic timor foras pellatur. At cōtrà timor ille quē parit charitas, adeò crescēte, illa nō decrescit, vt cū illa paribus incrementis sic augeatur & crescat; vt cū perfecta fuerit charitas, perfectè quoq. sanctus hic timor in anima dominetur. Quēadmodū enim qui ardēter aliquē diligit, simili studio atq ardore illi placere desiderat, ita vehemēter timet, ne qua in re animū illius offendat: ab eodem quippe fonte & alicui velle placere, & eius offensionem vereri, manat. Quo quidem timore sanctissima Christi anima tanto cæteris plenior fuit, quāto ardentiùs Verbum, cui erat vnita, diligebat. Vnde Isaias cū omnia Spiritus sancti dona Dño Saluatori tribuisset, vbi ad timoris donum ventum est, Replebit, inquit, eum Spiritus timoris Domini. Post Christum verò, beatissima virgo hoc timore plenissima fuit. Quo enim magis Dei amore flagrabat, eò magis eius offensionem vel leuissimam metuebat. Hoc igitur sancto timore beati Simeonis anima mirificè illustrabatur. Alterum verò timorem perfecta eius charitas foras miserat. Hæc igitur prima senis nostri commendatio est.

Simile.

Isaiæ 11.

Sequitur deinde altera, quòd exspectaret consolationem Israel: quam certè non ab hominibus, sed à Deo mittendam sperabat: vtpote qui non ex terra, sed è cælo; non carnalem, sed spiritualem consolationem quærebat. Hoc enim vel præcipuum inter pios improbosque discrimen est, quòd ij, derelicto fonte aquæ viuæ, quærunt cisternas dissipatas, ex quibus terrenā felicitatē, & fallacia mundi gaudia haurire student; illi verò spem, solatiū, gaudium, & omnia bona sua in vno Deo posuerunt, vtpote qui mundo mortui, Deo viuant. Hoc autem vtrorumque discrimē regius Propheta describit, cùm de improbis cum Deo loquens ait: De absconditis tuis adimpletus est venter eorū; saturati sunt filiis, & dimiserunt reliquias suas paruulis suis; hoc est, spē suam, dum viuūt, posuerunt in diuitiis; quorū ventres si imple-

Psal. 16.

impleueris diuitiis,& abūdare eos feceris liberis, quibus moriē-tes relinquāt diuitias suas, benè secū actum putabūt: æternitatis verò nulla cura, nullo desiderio tanguntur. Sed quid vir sanctus, quanto aliter affectus erat? Ego, inquit, in iustitia apparebo conspectui tuo, satiabor cùm apparuerit gloria tua. Hoc est, ego iustitiæ, quàm inanium diuitiarum studiosior, illā vitæ comitem habens, explebor gaudio: cùm post mortem apparueris mihi ea specie ac forma, quæ propriè tua est. Idem etiā discrimen illa eiusdem Prophetæ verba designant: Multi dicunt, Quis ostēdit nobis bona? hoc est, quis nobis præstabit ingentes opes atq. diuitias, quibus ab omni miseria liberati; & frumenti, vini, & olei copia abundātes, felicem vitam agamus? Hæc illorum vota, hæc studia, hæc desideria sunt: vix enim felicitatem aliam quàm terrenā & corpoream quærunt. Quid verò vir iustus? Ego, inquit, in pace in idipsum, dormiam & requiescam. Cur ita? quibus opibus & auxiliis fretus? Quoniam tu, inquit, Domine singulariter in spe constituisti me. Hoc est, quoniā tu Domine sic animum meum constituisti, vt, cæteris rebus tanquam fragilibus & caducis spretis atq. contēptis, in vna spe miserationis & paternæ prouidentiæ tuæ (quæ bona omnia complectitur) securus habitaret. Ideoq. in te vno securus dormio, in te requiesco, in te spes omnes atq. opes meas constitutas habeo. Quicunq. autem ad hunc felicissimum statum diuino munere peruenerunt, nō solùm omnes humanæ vitæ molestias, sed omnes etiam diaboli laqueos euaserunt. Hinc D. Fulgentius, Non tenearis, inquit, nexibus humanæ delectationis, & de diabolo triumphabis. Neque enim antiquus ille hostis alia habet arma, quibus nos impugnet; nec escam aliam, qua nobis laqueos tendat. Senex ergo noster de diabolo triumpharat, qui non in terra, sed in cælo; non ab hominibus, sed à Deo consolationem exspectabat.

Psal. 16. — Psal. 4. — Ibidem.

Sed illud quoque non negligenter prætereundum est, quòd vir sanctus non tam sua quàm aliorū commoda quærebat, nec tam de sua quàm de aliorū salute solicitus erat: *Expectabat enim consolationē Israël.* Quo nomine iustitiam eius diuus Ambrosius commendat. Bene, inquit, iustus: quia non suam, sed populi salutem requirebat. Cuius pietatis merito & gratissimum Deo fuisse, & felicissimum hoc responsum à Spiritu sancto tulisse, credendum est: videlicet, *non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.* Constat enim similitudinē, amoris esse cōciliatricem: nulla autem in re vir pius Deo magis assimilatur, quàm cùm ardentissimo amore aliorū salutem curat. Cùm enim Deus propter immensam & infinitam bonitatē suam totus in iuuandis, tuendis, & seruandis hominibus positus sit, qui omnes vult

Ambros.

saluos

saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire (cuius rei gratia non modo Vnigenitum suum in mundum misit, sed etiam crucis supplicium subire voluit) ille quidem maximè Deo similis est, qui sui quodammodo oblitus, omnes curas & cogitationes suas ad hominum salutem confert. A quo studio tantum mundi homines absunt, vt sibi soli viuant, sua solùm curẽt; & dum res suas in tuto esse viderint, nihil ad se pertinere putant, si vel cælum ruat, vel terra incendio deflagret. At senex noster non tam priuata commoda, quàm Israëlis salutem & consolationem exspectabat.

Is igitur hodie ab eodẽ Spiritu (qui in eius mente habitabat) admonitus, venit in templum: & *cùm inducerent pueriũ Iesum parẽtes eius, vt facerẽt secũdùm consuetudinẽ legis pro eo; & ipse accepit eum in vlnas suas.* Quis autem verbis consequi possit, quo affectu & ardore beatus hic senex flagrauit, cùm suscipiens infantem in vlnas suas, stringeret brachiis suis, & gestiret includere, si posset, in imis visceribus suis? Ipse autem infans suauis & mitis, quo se affectu castissimo pij senis pectori insinuabat! quomodo eius illabebatur medullis! quàm delectabilem se implicabat ossibus, inspirabat sensibus! Quo quidem beneficio prorsus liquefiebat animus eius quasi cera à facie ignis. Amplectere ô beate senex, sapientiam Dei, & recalescant quasi de nouo sensus tui, renouetur vt aquilæ iuuentus tua, adstringe vberibus tuis misericordiam Dei, & erit senectus tua in misericordia vberi. Inter vbera, inquit, mea commorabitur; & cùm reddidero illum matri suæ, manebit tamen apud me. Et cùm inter materna vbera continebitur, nihilominus inter vbera mea commorabitur. Lętare ergo iam senior iuste, vide quod præuidebas: discussæ sunt mundi tenebræ, ambulabunt gentes in lumine isto, plena erit omnis terra gloria eius.

Guerricus in Ser. Pur.

Cant. 2.

Sed ignis tamẽ qui ardebat in corde, foras erũpens, splẽdidas verborũ scintillas emisit in ore. *Nunc*, inquit, *dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbum tuũ in pace. Quia viderunt oculi mei, salutare tuum.* Quod perinde est ac si diceret: Defecerat anima mea in salutare tuum, ô Domine; defecerant oculi mei in eloquium tuum, dicẽtes, Quando consolaberis me? Factus eram sicut vter in pruina, frigidus corpore, aridus corde, spiritu marcidus, & totus desiderio languidus: sed quia in verbum tuæ promissionis supersperaui, non visurũ scilicet me mortem, nisi viderẽ Christum tuũ; quod speraui, iam video; quod desideraui, iam teneo; quod cõcupiui, amplector. Video Deum Saluatorem meum in carne mea, & salua facta est anima mea. Quamobrem iam dimitte seruum tuum in pace, quando omnium votorum meorum summa completa est, nec quicquam est cur in vita manere

Psal. 118.

Idem ibidem.

 velim.

velim. Hactenus de hodierna solennitatis historia: nunc purificationis legem, quæ huic historiæ occasionem dedit, quoniam non vulgaria vitæ documenta continet, excutere incipiamus.

I.

Lex igitur olim à Dño lata erat, vt mulier quæ suscepto semine masculū peperisset, immunda esset septē diebus, quibus & à viri thoro, & à cōmuni omniū cœtu separata erat. Iis autē tres & triginta alij adijciebantur, in quibus nō quidē ab hominum consortio, sed ab ingressu templi, & omniū sacrorū contactu arcebatur; qui omnes quadragenariū numerum conficiunt: quibus elapsis; pro emundatione sua agnum, quæ diues esset, offerret: par verò turturum, aut duos columbarum pullos, quæ pauper erat. Hæc erat mulieris masculum parientis lex: si verò feminā peperisset, hic dierum numerus duplicabatur, atq. ita quatuordecim diebus, hoc est, duabus hebdomadibus, & octo ac sexaginta diebus (qui omnes conficiunt octoginta dies) immunda censebatur. Quis has Dei leges non miretur? Prima namque fronte imperitis iniustitiæ speciem referre videntur. Quid enim nupta mulier delinquit, cū parit, vt ei, præter acerbissimos partus dolores, hæc etiam legis pœna infligenda sit? Quòd si dicas, hanc non partus, sed conceptus culpā fuisse; quæ culpa est matrimonij à Deo instituti legibus deseruire; cùm potiùs crimen sit, si se alter coniugū à cōmuni thoro & cōsortio subtrahere velit? Præterea cur hæc legis pœna duplicatur in partu filiæ, quādo hoc in parientis facultate positū nō sit; quæ si in hac re quicquam posset, masculum magis quàm feminam parere voluisset? Ad peccati quippe rationem (vt D. Aug. ait) adeò voluntatis consensus est necessarius, vt vbicunq. is desit, nullus peccato locus sit. Vtrumq. ergo mirum est, & quòd pœna infligatur parienti, naturæq. officio deseruienti; & quòd hæc pœna in filiæ puerperio magis quàm filij duplicetur. Hæc ratio Origenem in primis, cæterosq. Patres in eā sententiā adduxit, vt apertissimè docerent, in antiquis legibus, præter eum sensū quē verba præ se ferunt, esse etiam mysticos & latentes sensus, ad quos sit frequenter cōfugiendum, vt diuinæ legis æquitas & maiestas, quæ in priori illo sēsu minùs apparet, in posteriori inueniatur. Cùm ergo in iis legibus quæ ab inexhausto illo totius iustitiæ & sapientiæ fonte manarūt, nihil nō dico iniustū & absurdū, sed ne otiosum quidē esse possit; necesse est, vt, cùm in eis aliquid iudicio nostro absonū inuenerimus, mentē à littera ad spiritum attollamus: in quo dignas tali legislatore sententias deprehēdamus. Ipsa enim litteralis sensus humilitas nos admonet, vt, ea relicta, latētia sub eo litteræ velamine arcana rimemur, eos autem qui hoc faciunt, beatos Propheta pronūtiat, cùm ait; Beati qui

Auguft.

Psal. 118.

qui scrutantur testimonia eius, qui videlicet superficie litteræ minimè contenti, interiora eius solicitè perscrutantur. Hac igitur promissione excitati, purificationis legem, quæ hodiernæ solennitatis fundamentum est, excutere incipiamus.

Mulier, ait, quæ suscepto semine pepererit masculū, immunda erit septem diebus: hoc est, hebdomada vna. Constat planè ex Euangelicis litteris, semen esse verbum Dei; eum verò qui seminat, verbi huius ministrum esse; mulierem autem esse animam fidelem, quæ hoc verbum audit. Itaque cùm nos hoc ipso tempore verbum Domini tractamus, quid aliud quàm hoc ipsum verbum in corda vestra spargimus? Hoc autē semine suscepto, quædam animæ masculum filium, quædam feminam pariunt, quædam verò steriles prorsus & infecundæ sunt. Anima autem quæ masculum parit, ea est quæ ita huius diuini seminis virtute afficitur & fecundatur, vt ad omnia pietatis opera strenuè viriliterq. exequenda incitetur; quæ omni à se muliebri inertia & mollitie profligata, recto & excelso animo accingit fortitudine lumbos suos, roborat brachium suum, & manum suam mittit ad fortia: hoc est, quæ sibi imperat & dominatur, quæ carnē spiritui seruire facit, quæ cupiditatē sub imperio rationis continet, quæ mundi gloriam spernit, quæ Satanam pedibus suis cōterit, quæ Prophetæ paret cōsilio, dicentis: Expecta Dominum, viriliter age: cōfortetur cor tuū, & sustine Dominum. Talis, inquam, anima filiū parit, quæ videlicet, diuini verbi semine concepto, fortia & virilia opera molitur. Cuius rei (vt cætera prætereamus) clarissima in B. Francisco & Antonio habemus exempla: qui cùm templum ingressi, ea Domini verba legi audiuissent, Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quę habes, & da pauperibus, & sequere me: hoc cælestis verbi semine concepto, sic mens eorum fecundata & affecta fuit, vt, nulla interposita mora, pulcherrimum pietatis fructum tanquam masculum fœtum ediderint; dum & mundū & omnia quæ habebant, ipso iam mundo altiores effecti, reliquerunt, & se totos Euangelicæ philosophiæ constanti animo tradiderunt. Neque hæ solùm animæ filium parere dicuntur; sed illæ etiam, quæ ita in amore atq. timore Domini solidatæ sunt, vt cum Apostolo dicere possint: Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an periculū, an gladius? Certus sum quòd nec mors, nec vita, &c. Talis ergo anima, quæ diuino robore septa hoc ipsum verè dicere potest, ea est quæ filium parit. Tales autē masculos Pharao, id est, princeps huius mundi, tanquam sibi regnoq. suo infensos, vehementer odit, & in flumen proijcere, & suffocare omni studio atque labore contendit.

Leuit. 12. Prou. 31. Psal. 26. Matth. 19 Rom. 8.

Mulier verò quæ filiam parit, ea nimirum anima est, quæ cę-

lestis quidem verbi semen intra se concepit, sed muliebri teneritudine languens, virtutis opera non viriliter quidem & fortiter, sed remissiùs operatur, quæ in pietatis operibus exequendis, magis consuetudine, quàm spiritus feruore ducitur: quæ non fortiora & difficiliora virtutùm officia (qualis est sui ipsius abnegatio, cupiditatum compressio, carnis mortificatio, laborum perpessio) sed molliora tantùm virtutum opera & faciliora persequitur. Terit enim Ecclesiæ limina, sacras conciones attentiùs audit, communibus Ecclesiæ precibus & diuinis laudibus frequenter assistit, orat etiam statis temporibus, & cæteras virtutum actiones (quæ non multum operæ atque olei requirunt) exequitur. Hæc igitur est, quæ filiam parit, quæ à lethalibus criminibus abstinere contenta, ardua virtutum opera aggredi laboris metu recusat.

Præter hæc autem duo feminarum genera, sunt quoq. feminæ steriles, quæ nec filium pariunt, neque filiam: quæ videlicet quamuis frequentissimè verbi Dei semen intra se concipiant, sic tamen animo affectę & cõstitutæ sunt, vt nihilo magis quotidianis concionibus audiendis commoueantur, quàm si nihil prorsus audirent. Sicut enim illorum discipulorum oculi, qui in Emmaus pergebãt, diuina virtute tenebantur ne præsentẽ Dominum agnoscerẽt (cuius tam diu familiaritate vsi fuerant) ita spirituales horum oculi non Deo sed diabolo operante impediuntur, ne admiranda religionis nostræ mysteria, quæ tamen gentes ad virtutum aculeos animis addunt, prospicere vllo modo velint. Quo fit, vt quomodo nihil intra animæ suæ sinus aut retinent aut sentiũt; ita etiam nihil boni operis in vita pariant. Si enim ab eis quæras, quem fructum ex sacris concionibus toties auditis retulerint, nihil prorsus in tam longo tempore se Christiano homine dignum gessisse fatebuntur. Qui ergo tales sunt, non immeritò feminæ steriles appellantur.

Luc. 24.

II.

Iam nunc expendamus, quid de hoc triplici animarũ genere lex statuat. Et quidem anima illa quæ filium parit, hoc est, quæ animosè & viriliter in virtute & officio se gerit, immunda esse pronuntiatur septẽ diebus. Cur ita? quid peccauit? quid cõmeruit? Num præclara sanctorum opera crimẽ aliquod habẽt necessariò adiunctũ, quemadmodũ infelices ætatis nostræ hæretici sacrilegis vocibus iactant? Nullo modo. Alioqui quomodo sanctus ille Rex in oratione sua dixisset: Obsecro Dñe, memẽto quomodo ambulauerim corã te in veritate, & in corde perfecto; & quod rectũ est in oculis tuis fecerim? Cur ergo hęc ipsa opera expiationis legi subijciuntur, quæ omni sorde & illuuie vacant? Quia nimirũ quamuis ea in oculis Dei pura & immaculata

Esaiæ 38.

culata sint,in oculis tamẽ viri iusti suspecta frequenter esse debẽt:quoniam (vt D.Greg.ait) bonarum mentium est,ibi timere culpam,vbi culpa non est. An nõ hoc ipsum sanctus ille Iob sentiebat, cùm diceret: Et cùm inuocantem me audierit, non credo quòd exaudierit vocem meam? Quo etiam spiritu ductus,qui nullus sibi lethalis criminis conscius erat, tamen aiebat: Verebar omnia opera mea,sciens quòd non parceres delinquenti. Omnia,inquit,hoc est,non ea solùm quæ leuis alicuius mali speciem præferebant, sed ea etiam quæ cum pietate & iustitia coniuncta erant. Hunc ergo viri sancti affectum in rectè factis etiam gerunt, vt qui sciant eam esse diuini numinis maiestatem,eamque rursus humanæ naturæ infirmitatem, vt vix credant se,hac tanta imbecillitate oppressos,dignũ aliquid tanta illa sublimitate in vita moliri. Itaq. cùm aliquod pium opus faciunt,quamuis opus ipsum ex natura sua rectum sit, vix tamen putant, se illud aut eo animi conatu, aut ea alacritate & feruore spiritus,aut ea certè intentionis puritate perfecisse, vt non subinde vereantur,ne fortè aliqua in re in officio deliquerint: præsertim cùm intelligant non satis esse ad officij integritatem,bonum esse quod agunt,nisi cæteræ quoque boni operis circumstantiæ cum ipsa simul operis bonitate conspirent. Quo fit,vt in ipsis rectè factis tã longè ab inani gloria absint,vt magis sibi videantur habere quod lugeant, quàm fecisse quo gaudeant;magisq.cur admissæ in bono opere negligentiæ veniam petere,quàm cur boni operis præmium poscere debeant. Atque hinc fit, vt illis præclarè gesta, non quidem elationis & inanis gloriæ,sed magis humilitatis & pœnitentiæ materiã præbeant. Quo fit,vt totam huius vitæ hebdomadã pœnitentiæ & expiationis tempus esse credant, eundemq. & pœnitentiæ & vitæ finem esse statuant; & tunc quidem pœnitendi, cùm viuendi finem se facturos esse definiant.

Gregor. | Iob 9. | Ibidem.

Hanc ergo philosophiã,veræ humilitatis magistram,hęc purificationis lex nos hodie docet: cuius etiam typũ in libris Numer. apertè Dñs expressit. Cùm enim lege statuisset, vt cineres combustæ vitulæ in loco mundissimo ad expiationem hominũ adseruarentur,pręcepit item,vt sacerdos,qui vitulam immolasset,lauaret protinus vestimenta sua, & immundus esset vsq. ad vesperã. Rursumq. qui immolatam vitulam combussisset,idem etiam faceret,atq. eodem se ritu expiaret. Postremò mundus etiam homo,qui eos cineres in loco mũdissimo reponere iubębatur,eidem expiationis legi esset obnoxius. Quæ ratio est (ait Flauianus) vt quod alios sanctificat,quod impuros mundat, hoc ipsum & sacerdotem iussu Domini immolantem, & ministrum in ignem victimæ subijcientem, & mundissimos cineres asportan-

Num. 19. | Flauianus in Leuiticũ.

tantem, ita coinquinaret, & immūdos vsq. ad vesperam redderet? Quî fieri, inquā, potest, vt quod aspersione sanctificat immundum, contactu suo contaminet mundum? Nimirum quia aliud de mūdis hominibus Deus, aliud ipsi de se iudicare debēt; ne si mundos se esse credāt, sibiq. de sua munditie blandiantur, hoc ipso innocentiam amittant, quo se innocentes arbitrantur. Quod illi Pharisæo videmus contigisse, qui hoc ipso iustus esse desiit, quòd se iustū existimauit. A quo quidē periculo cùm lōgè abesse pij homines velint, causas semper timendi, atque sese profundiùs submittēdi quærunt. Considerant enim humanum sæpe falli iudicium, sæpeque in oculis hominum fulgere quod diuinis oculis sordeat. Huius rei gratia Apostolus aiebat: Mihi autē pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die: sed neq. meipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum. Hac etiā de causa innocentissimus Iob, Si lotus, inquit, fuero quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea. Quare? Nimirū quia meminerat se dixisse: Nunquid oculi carnei tibi sunt? aut sicut videt homo, & tu vides? Sæpe enim (vt Saluator ait) quod hominibus altū est, abominatio est ante Deum. Talis enim erat ille cui à Dño in Apocal. dicitur: Dicis quia diues sum, & nullius egeo; & nescis quia tu es miser, & miserabilis, pauper, & cæcus, & nudus. Cùm igitur omnia hæc viri sancti probè teneant, meminerintq. scriptum esse, Beatus homo qui semper est pauidus: & illud itē, Nō intres in iudicium cum seruo tuo Domine; quia non iustificabitur in cōspectu tuo omnis viuens. Hæc, inquam, omnia cogitantes, tantum abest vt ipsis virtutibus suis efferantur, vt inde magis sese submittendi atq. deijciendi materiam sumant. Hinc memorāda illa Guerrici Abbatis sententia: Vtinā, fratres mei, vtinam eam nos humilitatem haberemus in peccatis nostris, quam sancti habuerunt in virtutibus suis! Illi enim dum recta facerent, timebāt, ne quod rectum erat, non rectè facerent: nos plerumq. malè gesta partim defendimus & excusamus, partim etiam laudamus. Sic enim ille faciebat, apud quem per Hieremiam Dominus ait: Et dixisti, Absque peccato, & innocens ego sum, propterea auertatur furor tuus à me. Ecce ego iudicio cōtendam tecum, eò quòd dixeris, Non peccaui. Et rursum: Confusi sunt, quia abominationem fecerunt: quinimo non sunt confusi, & erubescere nescierunt. Ab hoc ergo crimine vsque adeò se viri sancti immunes cōseruare student: vt, quamuis innocentissimè viuant, totam tamen huius vitæ hebdomadā expiationis & pœnitentiæ tempus esse statuāt, atque hac ratione purificationis legem impleant. Sic D. Hieronym. asperrimum

1. Cor. 4. — Iob 9. — Iob 10. — Lucæ 19. — Prou. 28. — Psal. 142 — Guerricus in Ser. Pur. — Hier. 2. — Idem 6. — Hieron.

vitæ genus in deserto persequens, de se ait: Quotidie gemitus, quotidie lachrymæ: & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix hærentia ossa collidebam. Hoc igitur modo viri sancti totam pænè huius vitæ hebdomadam in luctu, squalore & lachrymis agere solent.

III.

Quòd si hæc lex animæ filium parienti posita est; quid de ea censendum erit quæ filiam parit? hoc est, quæ in vita sua remissior & negligentior fuit? Hæc nimirum sciat, duas sibi esse hebdomadas ad pœnitentiam destinatas. Nã & in huius vitæ hebdomada, & in altera expiare debet, quicquid ob remissiorẽ viuendi rationem in hoc seculo cõmisit. Nemo autẽ leue esse putet, quod in altera vita luendum reseruatur, cùm D. Aug. dicat, Iolam diem purgatorij omnes sanctorum passiones superare. Ideoq. opportunè Apostolus fideles admonet, vt diligẽter quisque videat, quod supra fidei fundamentũ ædificat. Alius enim ædificat aurum & lapides pretiosos; alius lignum, fœnum & stipulam. Quid autem quisq. superstruxerit, dies Domini declarabit, qui in igne reuelabitur; & vniuscuiusq. opus quale sit, ignis probabit. Itaque ardentissimo illo igne purgandum erit, quidquid ignis materia fuerit, hoc est, quidquid fuerit diuinæ iustitiæ legibus & puritati contrarium.

August.

2. Cor. 5.

Cæterùm si huic legi obnoxia est anima illa quæ filiã parit, quid de illa cẽsendum est quæ omnino sterilis est? quæ nec filiũ parit, nec filiã; hoc est, quæ toties concepto verbi Dei semine, nullũ omnino bonũ opus nec virili nec molli animo retulit, sed in perpetua sterilitate ad finẽ vsq. vitæ perseuerat? Hæc nimirũ per legẽ maledictioni obnoxia est. Sed cui tãdem? illi nimirum quam Apostolus protulit, cùm ait: Terra venientẽ supra se bibens imbrem, proferẽs autẽ tribulos & spinas iis à quibus colitur, reproba est, & maledicto proxima; cuius consũmatio in cõbustionem. Quibus verbis quid dici acrius, quid formidabilius potest? Quid verò illud ex Euangelio? An non eandem Apostoli maledictionem Dñs confirmauit, cùm vernanti ficulneæ maledixit; quòd nullum in ea fructum, sed inania tantùm folia reperisset? Hi autem sunt qui fidei lumen, qui sacramenta, qui diuina eloquia frustra receperunt; quando his omnibus nihilo magis in pietatis & iustitiæ studio profecerunt, quã Ethnici, & exleges homines, qui his omnibus diuinæ gratiæ instrumentis destituti sunt. Qui autem in hoc statu degunt (degunt autem, vt arbitror, permulti) ad cumulum mihi malorum omnium peruenisse videntur. Hoc enim extremum illud supplicium est quod per Oseam Dominus rebelli & perfido populo minatur, cũ ait: Auferat fornicationes suas à facie sua, & adulteria sua de medio

Hebr. 6.

Matth. 21

Oseæ 2.

medio vberum suorum, ne forte expoliem eam nudam, & statuam eam secundùm diem natiuitatis suæ. Quando autem hoc impletur, nisi cùm homo cęlestis gratiæ opibus spoliatus, ita sese in omnia scelera effundit, ita cunctis cupiditatibus & prauis desideriis habenas laxat, vt illi faciunt, qui nullum diuini numinis metum, nullam religionem, nullam certam viuendi legem habent? Quid igitur isti sperare poterunt, qui sic vitam sine vllo pietatis cultu transegerunt; cùm ita nudi, & steriles, & sine vllo bonorum operum fructu ante supernum iudicem statuantur; quem constat vnicuique secundùm opera sua redditurum? His igitur nulla expiationis pœna, nec in huius aut alterius vitæ hebdomada, lege Domini designatur: quia tales, quàm diu ita manent, non temporariæ expiationis, sed æternæ damnationis pœnam sustinere, & sterilitatem hanc non diluere: sed luere perpetuò debent.

Horum igitur vitā detestantes, aliorum fecunditatē, qui vel filios, vel saltem filias pariunt, imitari studeamus; quibus vtrisq. huius vitæ hebdomada expiationi, & agendæ pœnitentiæ destinata est. Hanc ergo, dum vita superest, dū purgationis dies instat, toto pectore amplecti studeamus, fratres. Satius enim & suauius est (vt ait Guerricus Abbas) lacrymarum fonte purgari quàm igne. Qui enim nō fuerint hoc fonte purgati, igne purgari debent: quando scilicet iudex ipse, quasi ignis conflans & mundans argentum, purgabit filios Leui. Nunc Christus aqua diluens; tunc ignis cōsumens: modò fons patens in ablutionem peccatorum & menstruatæ; tunc flāma sęuiens, & ignis vorans vsque ad medullas animæ. Hoc enim igne nihil acerbius, nihil acrius aut vehementius in hac vita potest excogitari. Quòd si à me quæratis, qua potissimùm ratione in hac hebdomada nostra purgari debeamus; ad hoc vobis idem auctor respondet, quòd cùm multa sint quibus peccatorum maculæ in hac vita diluantur, quatuor tamen præcipua esse quæ huic officio maximè deseruiant, ad quæ cætera referuntur: nempe cōtritionem cordis, afflictionem corporis, patientiam tribulationis, operaq. pietatis & fidei. Inter quæ quatuor, postremum hoc vt facilius & suauius, ita omnibus in commune propositum est. Vt enim delicatis hominibus aliquatenus morem geramus, si lachrymas non habent, si labores horrent, si nesciunt ferre tribulationem, nunquid excusare poterunt quod Salomon commendat, Per misericordiam, inquiēs, & fidem purgari peccata? Quid enim misericordia suauius? quid fide iucundius? De illa dicitur: Peccata tua eleēmosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum. Et Dn̄s in Euangelio: Quod superest, date eleēmosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. De hac verò Apostoli dicunt,

Guerric. in Serm.

Prou. 13.

Dan. 4.

Lucæ 11.

Act. 13.

dicunt,fide hominum corda purgari. Quanquam in hac Salomonis sententia possit intelligi non fides qua credimus,sed qua credibiles nos exhibemus,dum fidem Deo & hominibus seruamus:vt quod hîc dicitur, Per misericordiam & fidem purgãtur peccata; & paulo pòst, Misericordia & veritate redimitur iniquitas;eadem sit in diuersitate verborũ repetita sententia. Rectè igitur misericordia & veritas seu fides sociata sunt, cùm in omnibus viis nostris, nisi misericordia & veritas obuient sibi, plus augeri quàm purgari peccata sit verendũ. Sunt enim nonnulli,qui cùm in pauperes & Ecclesias etiã benigni & liberales sint,in veritatis tamen,hoc est,iustitiæ officiis, ad quæ ex diuina lege tenentur,inofficiosi & negligentes sunt. Quorũ misericordia ingrata Deo est,qui obedientiã victimis præfert,& odio habet rapinam in holocaustum. Vnde scriptum est: Qui offert sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris. Cæterùm quòd Dominus ex eo quod superest, eleëmosynam præcipit dari, hoc significare voluit quod Apostolus ait,nempe,vt abundãtia nostra aliorũ suppleat inopiam. Qua in re multũ prorsus pepercit infirmæ & pusillæ nostræ fidei,qui bona cõmunia non ex æquo fratribus partiri, sed ex eo quod superesset propriæ necessitati, iussit eleëmosynã eis impartiri. Esto tamẽ,sit istud ius ordinatæ charitatis,quod moderatio Euangelij suas cuiq. necessitates primùm excepit: quis ille est qui rectè metiatur necessitates proprias? qui inter æquũ & superfluum æquo iudicio discernat? Quàm multa sunt quæ libido & vanitas nostra necessaria esse definit, quæ ab illo sapientissimo & incorrupto iudice (cui huius rei iudicium reseruatur) superflua iudicabuntur? Attẽdamus nobis, fratres, ne de mortibus pauperum fratrum nostrorum incipiamus iudicari, si superfluè retinemus aut insumimus nobis vnde vita illorum valeat sustentari.

Prou. 16.
Eccli. 34.
2. Cor. 8.

IIII.

Sed quoniã satis hactenus de purificationis tempore & mysterio diximus, sequitur vt sacrificij quoq. feminæ purificandæ rationem & significationem exponamus. Præcipiebat ergo lex, hoc dierum numero transacto, vt puerpera pro emundatione sua sacrificium offerret;quæ diues esset,agnum; quæ verò pauper ac tenuis,par turturum, aut duos pullos columbarum. Hac etiam oblatione totius Christianæ philosophiæ summa cõtinetur,quæ hoc symbolo duas tantùm ad felicitatem vias, alteram innocentiæ,alterã pœnitẽtiæ,esse declarat. In agno quippe innocentiam;in turturibus verò & columbis, quæ gemitus semper edunt,pœnitentiũ lamenta designari notissimum est. Quicumq. ergo cælestium donorum diuites sunt, hi agnũ offerunt:

qui videlicet perpetuam in vita innocentiam retinuerunt. At qui hoc prestare nequeunt, sciant se non alia via, quàm lamentis & gemitibus, ac veteris vitę pœnitētia ad felicitatē esse peruenturos, dicente Domino; Nisi pœnitentiā egeritis, omnes similiter peribitis. Quid igitur cunctamini, fratres, qui toties innocentiam perdidistis? Quomodo tam anxiè cælestis vitæ hæreditatem desiderantes, viā quæ sola ad eam ducit, ingredi recusatis? Cur in aliud tēpus differtis, quod quo citiùs, eo faciliùs perficere poteritis? Cur modò eam sementē facitis, vnde postea nihil nisi luctum & lachrymas metere possitis? Cur rem tanti momenti in futurum tempus differtis, cùm ignoretis quid superuentura pariat dies? Cur non timetis ne vos futura tempora computantes, cælestis illa vox intercipiat; Sulte, hac nocte repetent à te animam tuam; ea quæ parasti, cuius erunt? Felix planè & nimiùm felix, qui lauat manus suas in sanguine peccatoris: hoc est, qui alieno periculo sapit, qui alieni criminis supplicio admonitus, vitæ innocentiam & puritatem sectari studet: hic enim non hanc Domini exprobrantis vocem, sed illam potiùs est auditurus; Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui. Quò nos perducere dignetur, qui dolorum suorum acerbitate hoc nobis sempiternum gaudium comparauit.

Luc. 13. Lucæ 12. Mat. 25.

IN FESTO BEATI MATTHIÆ APOSTOLI, CONCIO PRIMA: IN QVA post Euangelicæ lectionis enarrationem tria improbæ vitæ onera explicantur, quæ nos ad eius odium ac detestationem maximè incitare debent.

THEMA. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matth. 11.

SACRA presentis diei solennitas, fratres dilectissimi, Euangelicæ prædicationis officium maximè cōmendat. Constat enim præcipuum Apostolorum munus, quo mundum ad fidem cōuerterunt, Euangelij prædicationem extitisse. Quæ verò sit huius officij dignitas, multa sanè declarant. Atque illud in primis, quod hoc ipsum Seruatoris nostri munus & officium fuit. Cuius rei gratia Paulus Apostolum eum & Pontificem confessionis nostræ appellare nō dubitauit. Quale igitur officium est, ad quod

ad quod vnigenitus Dei Filius in terras à Deo Patre missus est, vt qui loquebatur antea patrib⁹ in Prophetis, nobis in Filio suo loqueretur? Electio deinde beatissimi Apostoli Matthiæ, muneris huius dignitatẽ satis apertè declarat. In qua cùm electores essent sanctissimi, & ab omni acceptionis personarum vitio (quod in electionibus maximè dominatur) alienissimi, non tamen iudicio suo tantum tribuerunt, vt electionis huius munus sibi vsurparent, sed sibi suisq. cõsiliis diffisi, & ad primam illam veritatis regulã fallere & falli nesciã cõuersi; Tu, inquiũt, Dñe, qui corda omniũ nosti, ostende quẽ elegeris ex his duobus accipere locum ministerij huius & apostolatus, de quo prçuaricatus est Iudas. Quæretis huius rei causam? ea est officij dignitas & maiestas, cui animarum salus (quæ non corruptibilibus auro & argento, sed pretioso immaculati Agni cruore redẽptæ sunt) credita est. Quod ergo tãti redẽptori suo cõstititit, quodq. inter æterna præmia aut supplicia constitutũ est, an non summo studio & diligẽtia curandũ erit? Ex fine igitur officij facile erit eius dignitatẽ & necessitatẽ colligere: qua cognita, mirum non erit, quod viri sanctissimi hoc tantũ negotiũ nõ sibi sumere, sed Deo cõmittere voluerint. Qua quidem ex re colligere licet, fratres, quo affectu & mẽte sacris cõcionibus interesse debeamus, quarum ministri tanta religione cooptãtur. Neq. verò S. Apostolus se indignũ hac electione præstitit. Nam cùm in partitione prouinciarum, Iudæa ei nutu diuino obtigisset, multos partim doctrina, partim vita, quam integerrimam ageret, partim miris & inusitatis operibus, quæ in ægrotorũ morbis profligandis ederet, ad Christianã religionem fidemq. traduxit. Quod cùm Iudæi, quos ad sanã mentem à praua deducere non potuit, acerbè ferrẽt, eũ ad Pontificẽ pertraxerũt, doctrinamq. ac religionẽ ei vt crimẽ obijcere cœperunt. Ille magna fiducia, præsentiq. animo fretus, hoc statim respõdisse dicitur, ea quæ ipsi vt probra & crimina obiectarent, non longam desiderare orationem: Christianum enim esse, nõ criminosũ esse, sed gloriosũ. Cumq. Pontifex ex eo quæsiuisset, si tẽpus pœnitentiæ daretur, mutare ne consilium vellet? Deus, inquit, prohibeat, vt ne à veritate, quam semel inueni ac secutus sum, aliquãdo quasi transfuga deficiã. Tum concitati populi furore Pontifex præter priuatum odium impulsus, eum sententia sua lapidibus primò obruendũ, deinde securi feriendũ esse pronunciauit. Duo autem testes quos subornauerant, primi in eum lapides iaculati sunt. Ille verò testimonij causa, vt secum sepelirẽtur, rogauit. Sic beatus Matthias ad Christũ migrauit. Hic igitur beatissimi Apostoli finis fuit: in quo fidei suæ, integritatis, charitatis, & cõstantiæ clarissima nobis exempla reliquit. Nunc superest, vt Euangelicam huius diei lectio-

Heb. 1. Act. 1. 1. Pet. 1.

lectionem,quæ singularem continet doctrinam, explanare incipiamus. Quod vt religiosè præstare possimus, cæleste opem, sacratissimæ Virginis interuentu,suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Paulo ante huius sacræ lectionis initium narrat sanctus Lucas Euangelista Dominum misisse discipulos suos ad prædicādum,potestate illis tradita sanandi languores omnes,& dæmones ex obsessis corporibus pellendi. Discipuli verò peracta Dominica legatione,& re feliciter gesta, reuersi sunt cum magno gaudio ad Dominum,dicētes: Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo. Quibus ipse, Videbā, inquit, Satanam sicut fulgur de cælo cadentem. Quæ Domini verba,vel casum principis huius mundi (qui erat Apostolica prędicatione foras eijciendus) significare volunt; vel tacitè discipulorum lętitiam compescere, & superbiæ periculū exemplo ruinæ dæmonum (qui, quòd cælestibus donis intumuissent, è cælo deiecti sunt) volunt eis demonstrare. Quamuis enim homo ex infimo elementorum omnium,hoc est, ex limo terræ formatus sit (pisces enim & aues ex aqua,quæ terra nobilior est, conditi fuere) tamen dictu mirum est,quo ardore ad sublimia feratur, seque supra omnia erigi cupiat,perinde atq. non ex terra,sed ex aëria vel ignea materia formatus esset. Verùm leuitas hæc non illi ex materia cōditionis,sed ratione cognationis prouenisse videtur. Refert enim moribus & ingenio primos illos generis sui parentes,qui cęca diuinitatis & sublimitatis cupiditate ducti,in huius ærumnosæ vitæ miserias inciderunt: ideoque non mirum, si in eo eadem illa quæ erat in antiqua dignitate ambitio & superbia maneat. Quo fit vt nō in fortuitis modò bonis,sed in naturalibus etiā (quæ aliena esse, & beneficio illi Domini contigisse intelligit) frequenter glorietur. Vnde enim vel vocis suauitas, vel formæ pulchritudo, vel corporis vires, vel ingenij acumen, nisi ab auctore naturæ, & bonorum omnium fōte prodierunt? De his tamen rebus quæ sine suo labore,sola Dñi gratia perceperunt,multi inaniter gloriantur, cùm tamen in illis nihil habeant,quod suo sibi iure vindicare possint. Sed in his adhuc minor est querela. Longè tamen indignius est,quòd non modo in naturalibus, sed etiam in cælestibus & supernaturalibus donis gloriatur: quomodo Apostolus quoque reuelationum magnitudine gloriatus fuisset,nisi quotidiano carnis stimulo fragilitatis suæ admoneretur. Huic ergo Dominus periculo obuiare volēs, gestientibus,ob felicem successum discipulis miserabilem dæmonis casum proposuit, qui ob hoc tanquam fulgur è cælo deiectus est, quod acceptis à Deo muneribus fuerit elatus. Illam igitur periculosam rudium adhuc discipulorum lætitiam tempe-

2.Cor. 12

temperauit,& alteram veræ solidæque lætitiæ causam præbuit, cùm subdit: Veruntamem in hoc nolite gaudere, quod spiritus subijciuntur vobis: gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt in cælis. Quam quidem sententiam alio quoque loco Dñs confirmauit, cùm ait: Nolite timere pusillus grex, quia cõplacuit Patri vestro dare vobis regnum. Felices, quibus hoc tã ingens bonum ab ore Veritatis promissum est. Felices quibus in hac etiam vita manentibus hoc tantum arcanum scire concessum est. Felices iterum atq. iterum, quibus in hoc exilio & calamitosa vita degentibus, spe licuit esse beatis, & in fragili corpore æternæ vitæ primitias degustare. Pusillus quidẽ grex, sed nõ pusillus, cui tã magna merces in cęlis reposita seruabatur. Quid his triste aut obscurum tantæ promissionis spe lætantibus euenire poterat? Si quis enim omnes omnium mortalium labores in corpore perferret, qui tamen certò sciret, se post breuem lucis huius vsuram cum mendico Lazaro choris esse Angelorum inserendum; quid illi hæc tanta malorum colluuies nocere posset? Rursum si totius mundi imperio potiretur, qui tamen certò sciret, se exacta breui illa felicitate, cum epulone diuite ad tartarorum supplicia transmittendum (vbi ne guttam quidem aquæ, siti enectus, esset percepturus) quomodo hunc felicitas illa sua exhilarare, & immensæ deliciæ oblectare possent, cùm tanta malorum vis supra caput illius impenderet? Meritò ergo discipulis Saluator ait, Gaudete & exultate, quia nomina vestra scripta sunt in cælis.

Luc. 10.

Lucæ 12.

Lucæ 16.

Nec ipsis modò exultandum esse hoc nomine suasit, sed ipse etiam post hæc verba exultãs in Spiritu sancto ad Patrem ait: *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ.* Causa autem exultationis huius, salus nostra fuit, quam in prima illa discipulorum legatione præuidit. Hoc ergo nomine Patri gratias agit, quòd huius tanti mysterij reuelationem sapientibus & prudentibus seculi absconditam, paruulis, hoc est, humilibus, & infimæ notæ hominibus, reuelauerit. Cuius rei nõ aliam causam subdit, nisi hanc: *Ita Pater, quoniã sic placitum fuit ante te.* Neque enim Christianus homo in operibus, iudiciis, electionibusq. diuinis aliam causam, quàm diuinam voluntatem (quæ prima totius æquitatis regula est) quærere debet. Sicut enim (vt Saluianus ait) plus est Deus quàm omnis humana ratio; ita plus apud me valere debet, quòd à Deo gubernari cũcta cognosco. Hac enim ratione Christianum hominem contentum esse, nec vltrà curiosiùs progredi debere, D. Athanasius in vita Magni Antonij docet. Memorat enim orãti Antonio reuelatum fuisse, duorum ad se monachorum per arida eremi loca venientium, alterũ siti confectum, animam efflasse; alterum verò, nisi illi subueniretur,

Saluian. contra Gent.

Athanas.

illico moriturum, cui vir factus, designato loco, protinus subueniri præcepit. Idem. Fortasse aliquis (inquit Athanasius) hoc in loco requirat, cur non, antequam alter moreretur, res Antonio declarata sit? Incongruo prorsus (ait) Christianis argumento vtitur: quia non hoc Antonij, sed Dei iudicium fuit: qui & de moriente quam voluit sententiam tulit, & de sitiente reuelare dignatus est. Hæc ille. Hanc ergo philosophiam nos hoc in loco docet æterna Patris Sapientia, cùm in hac tanta re non aliam causam, quàm Patris voluntatem affert.

Sed quamuis hoc nobis sufficere debeat, nō desunt tamen rationes, propter quas summa illa æquitas & sapientia hoc ita esse voluerit. Inter quas illa nō in postremis habenda est, quòd humilitatis amator, & superbiæ osor Dñs, non solùm humilia respicit in cælo & in terra; sed ea etiam quæ vel humilitati confinia sunt, vel ad humilitatem viam muniunt, placidis oculis contemplatur. Bernard. Sicut autē (vt D. Bernardus ait) humiliatio ad humilitatem via est, ita etiam infima hominū sors atq. conditio humilitati propior est: sicut contrà opes, potentia, & sæcularis sapientia superbiæ sunt propiora. 1. Cor 8. 1. Tim. 6. Huius enim gratia Apostolus scientiam inflare ait; & diuitibus huius seculi pręcipit, non sublimè sapere: quòd hoc vitium (nisi diligēter caueatur) opulentię atque seculari sapientiæ finitimum sit. Cuius rei vel indicium vel figura est, quòd toties in litteris sanctis videmus Deum maximos natu filios & primogenitos repudiasse, minores autē elegisse. Sic enim (vt ab ipsius mūdi exordio exempla repetamus) Genes. 4. ex duobus Adæ filiis primogenitū Cain repulit, & Abelem natu minorē elegit: Ibid. 21. ex duobus verò Abrahæ filiis Ismaele primogenito repudiato, ad Isaac translata benedictio est. Ex duobus autem Isaac filiis, Esau & Iacob, hāc Dñs protulit sententiam: Malach. 1 Iacob (natu videlicet minorem) dilexi, Esau autem odio habui. Gen. 49. Ex duobus item Ioseph filiis, Manasse & Ephraim, minorem natu, maiori auus eorum Iacob commutatis manibus ex Dei sententia prætulit, quamuis hoc Ioseph vtriusq. pater ægrè admodum tulerit. In his quidē electionibus fideli homini pro ratione satis abundè diuina voluntas esse debet. Sed illud etiā hìc animaduertendum puto, adeò Dñm humilitatis virtute delectari, vt humilitatis etiam imaginem (quæ in infimis rebus elucet) honorare quodanmodo videatur. Quod non obscurè in Euangelio significauit, cùm pueros ad se allatos blandè recipiēs atque complexans, discipulis illorum ad se accessum prohibentibus ait: Lucæ 18. Sinite paruulos venire ad me, & nolite prohibere: talium enim est regnum cælorū. Idem etiam de virginitatis virtute dicere licet: quam summus ille puritatis amator ita diligit, vt eius etiam imagini peculiarem quendam tribui honorem

rem velit, dũ in vastatione ciuitatũ aliquarũ, cùm nulli sexui vel ætati parcere olim præceperit, virgines tamẽ iusserit reseruari; non quòd infidelium feminarum virginitas Deo grata sit, sed quòd eius quodammodo imaginem gerat. Sic enim, quia summo illi Christi sacrificio maximè oblectandus atque placandus erat, dum hoc tamen differebatur, eius imagines & simulachra quædam in pecorum mactatione offerri sibi in lege præcipiebat: quæ tamen non ex natura sua, sed ex offerentium deuotione illi grata erãt. Has ergo duas potissimũm virtutes, humilitatem & virginitatem (quarum altera præcipitur, altera consulitur) ita Dñs honorat; vt ipsarum quoq. imagines honorare quodammodo videatur. Quo minùs mirandum est, si tantus hic humilitatis amator sapientes seculi, seculari scientia inflatos, reliquerit, & rudes piscatores elegerit, vtpote qui à superbiæ tumore longiùs abessent, & veræ humilitati propiores essent.

Num. 31.

Humilitatem verò ducem esse ad sapientiam, idẽ Dominus exemplo suo protinus confirmat, cùm ait: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Causam verò cur homines ab eo discere debeant, mansuetudinem & cordis humilitatem esse ait: quoniam qui his virtutibus præditi sunt, diuinæ sapientiæ participes efficiuntur; ideoq. digni sunt, quibus cælestis philosophiæ magisterium cõmittatur. Super quẽ enim requiescit Spiritus ille Prophetarũ & Ecclesiæ magister, nisi super humiles mẽtes & mansuetas? Hinc Salomon ait: Vbi fuerit superbia, ibi erit contumelia: & vbi humilitas, ibi & sapientia. Hinc D. Augustinus, Si à me, inquit, quæsieris, quæ sit certissima ad sapientiam via, humilitatẽ respondebo: & si secundò idem quæras, humilitatem iterùm respondebo: & si tertiò tandem ac centies idẽ à me requiras, idẽ à me responsum feres. Superbos autem veræ sapientiæ expertes esse, idem August. cæcitatis suæ exemplo ostendit, cùm ait: Tumore meo Dñe separabar abs te, & nimis inflata facies claudebat oculos meos. Iam verò mansuetos eodẽ modo à Domino illuminari atque doceri, regius Propheta testatur his verbis: Diriget mansuetos in iudicio, docebit mites vias suas. Si ergo mites & humiles præceptorem & magistrum Deum habent; dignum profectò est, vt, qui tanti magistri discipuli sunt, aliorum magistri fiant, & ab omnibus audiantur. Quare non immeritò hunc sibi Dominus honorem & officium sumit, cùm ait: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.*

Prou. 11. August. Idem. Psal. 24.

D. autem Augustinus paulo aliter hunc locum interpretatur: vult enim Dñm mortales omnes ad humilitatis suæ exemplum imitandum inuitare. Itaq. Dominum inducit hæc verba proferentẽ: Discite à me, non mundum fabricare, non cuncta visibilia & inuisibilia creare, non in ipso mundo mirabilia facere, &

August.

mortuos suscitare; sed quoniã mitis sum & humilis corde. Magnus esse vis? à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam cõstruere celsitudinis? de fundamento priùs cogita humilitatis. Hæc autem prima ad veram celsitudinem (hoc est, ad veram animarum requiem & felicitatem) via esse dicitur: altera verò in diuinorum mandatorum obedientia sita est: quod quidem apertissimè Dominus in præsenti lectione testatur, cùm ferentibus legis suæ onus requiem promittit. Quam eius sententiam (quæ magnum piis omnibus solatium præbet) sequens sermo latiùs declarabit.

TRACTATIO THEMATIS.

Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, &c.

I.

Simile

Quemadmodum inter virtutes, quibus anima decoratur, primum ordine locum tenet fides, quæ intellectum (à quo omnis actio proficiscitur) illustrat; ita contrà, cæcitas mentis, vitiorum omniũ, quibus anima fœdatur, initium est. Intellectu enim cæcutiente (qui humanæ voluntatis ductor est) quid ab homine rectè geri & administrari poterit? Si enim cæcus cæco ducatum præstet, nónne ambo in foueam cadẽt? Inter omnes autẽ mortaliũ errores, qui varij & multiplices sunt, ille mihi præcipuus esse videtur, quòd virtutis viam asperam & confragosam, à diabolo decepti, credunt; vitiorũ autẽ amœnam & iucundã. Quæ res facit, vt virtutis & honestatis via relicta, per blanda vitiorum itinera, vt ipsis apparet, gradiantur. Ea enim humani cordis natura est, vt (quemadmodum Aristoteles ait) dulcia & voluptuosa maximè appetat, fugiatq́. contraria. Vnde illa Rhetorum sentẽtia manauit: Nihil lacryma citiùs arescere: quòd humana mens tristia cuncta, vt naturæ aduersantia, fugiat; & placida atq. iucunda, quæ eandẽ recreant atq. reficiunt, auidissimè concupiscat. Vnde sicut medici aiunt iecur nostrũ cibis dulcioribus maximè oblectari, eosq́. vehementer ad se trahere; ita sanè mens nostra vt amaris rebus offenditur, ita dulcibus ardenter inhiat. Quæ res (vt antè diximus) in causa est, vt virtutẽ improbi, tanquã horridã & difficilem fugiant; vitia verò tanquam dulcia & voluptuaria amplectantur. Hic igitur mihi, fratres, inter omnes hominum errores valde perniciosus esse videtur, quique vnus vitia, voluptatis nomine, maximè commendet. Aduersus autem hunc errorem frequẽter mihi certamẽ ineundum est, apertissimisque rationibus ostendendum, verissimum esse quod in Ecclesiastico legimus: Via peccantium complanata est lapidibus, & post hæc inferi, & tenebræ, & pœna.

Matth. 15

Aristot.

Simile.

Eccli. 21.

Hoc ipsum autẽ ea quæ proposui Domini verba satis apertè prædicant. Cùm enim Dominus ait: *Venite ad me omnes qui laboratis,*

ratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: nónne improborum hominum curas & labores, & piorum iucunditatem & requiē demōstrat? Quos enim hoc in loco alios ad se, nisi peccatores, peccatorū suorum pondere grauatos, vocat? Quibus verò refectionis & alleuiationis opem, nisi ad se confugientibus (hoc est, piis hominibus) promittit? An non hoc ipsum Moyses eisdem penè verbis prçuaricatori populo comminatus est? Quia noluisti, inquit, seruire Dño Deo tuo in gaudio cordisq. lætitia propter rerum omnium abundantiam, seruies inimico tuo, qui ponet iugum ferreum super ceruicem tuam. Ita quod Saluator onus appellat, Moyses iugum ferreū vocat; quod ille refectionem, iste gaudium & rerum omnium abundantiam nuncupat. Hæc duo sanctarum litterarum testimonia, ab ipsius Veritatis ore profecta, satis superq. esse deberent, vt vulgari hominum errore deposito, diuinorū mandatorū viam, veris deliciis plenam, improborum autem grauissimis oneribus refertā esse, certissimè crederemus. Sed quoniam hæc ipsa generatim dicta minùs mouent, libet in reliqua concionis parte tria potissimùm grauissima improborum onera, quæ illos in præsenti vita premunt, paucis indicare, nempe ipsius peccati malitiam, sceleris conscientiam, derelictionemque diuinam.

Deut. 28

Partitio.

Et quidem primū peccati siue odium siue supplicium, breuiter ad Luciliū Seneca describit, cū ait: Prima peccati pœna est peccasse. Rursumq. alibi: Sceleris in scelere supplicium est. Sicut enim alibi idē dixit, fecisse, rectè facti mercedē esse: ita nūc sceleris in scelere suppliciū esse testatur. Ingēs enim scelus est, aduersus rationis lumen, aduersus diuinæ legis imperiū, aduersus ipsam naturæ præscriptionē deliquisse. Quo nomine D. Thomas, quæ improbè gerimus peccata, contra naturam esse testatur, quod videlicet aduersus naturæ auctorē (cui omnia obtēperant elemēta) & aduersus naturæ legē, cordibus nostris diuino lumine impressam, acriter pugnat. Quam eius deformitatē gētiles etiam Philosophi (quāuis fidei lumine destituti) apertissimè cognouerunt. Sic enim apud Ciceronem legimus: Si vnum in locum collata sint omnia mala, cū turpitudinis malo nō erūt cōparanda. Idemq. rursū, Nobis, inquit, persuasum esse debet, si Deos hominesq. celare possemus, nihil tamen auarè, nihil iniustè, nihil libidinosè esse faciendum. Et iterum, Simus, ait, ea mēte, quā veritas & ratio præscribit, vt nihil in vita nobis præter culpā cauendū isse putemus. Hactenus ille. Quid, quæso, ab homine Ethnico, imò & Christiano, dici amplius potuit? Audite tamen, fratres, aliud fortasse maius. Amicum quendā Seneca his verbis ad vitiorum detestationem adhortatur: Vita cuncta, oro te, mi Lucili, persequere sine modo, sine fine; nam illis quoque

Seneca.

D. Tho.

Cicero.

Seneca in Epist.

quoq. nec modus est, neq. finis: quæ si extrahi nequirent, cor ipsum cum illis reuellendũ erat. Hoc dixit homo Ethnicus, quem neq. æternorum suppliciorum, neq. præmiorum fides, sed sola turpitudinis deformitas à vitiorum amore deterrebat. Quid hîc Christianus homo dicet, quem cælestia & terrestria, quẽ supera & infera, quemq. ipse rerum omnium conditor & Dominus expansis in cruce manibus à peccando deterret? Hoc igitur primum peccati onus est, quod quamuis vulgus hominum non agnoscat, sapientum tamen iudicio grauissimum mentis nostræ onus est. Quid enim grauius, quàm illum offendere, cui Angeli seruiunt, cui elementa famulantur, à quo cælum & terra pendent, ad cuius nutum columnæ cæli contremiscunt, ante cuius conspectum vniuersa mundi machina vix vnius vermiculi instar obtinet: cuius numine regimur, cuius beneficio viuimus, cuius cibis alimur, cuius prouidentia gubernamur, ac postremò sine quo neq. esse, nec viuere, nec loco moueri, neq. spirare ad momentum possumus: propter cuius gloriam si mille mortes obeundæ essent, nõdum illius maiestati & beneficiis esset satisfactum. An non igitur hæc tanta sceleris deformitas satis magnum & importabile onus esse credendum est? Misera profectò, imo verò bis mortua illa mens est, quæ huius tam tetri facinoris pondus intra se retinens nihil sentit.

Secundum verò onus est, sceleris conscientia, quæ grauiter etiam sceleratos homines, nisi omnem prorsus humanitatem & communem sensum exuerint, premere solet. Sic enim naturæ conditor Deus naturam instituit, vt intra ipsam aculei quidam essent, qui nos semper ad virtutem extimularẽt, & à turpitudine reuocarent. Hinc Gentiles etiam, quamuis fidei lumine destituti essent, quæ eorum scelera coargueret, hic tamen cõscientiæ stimulus, naturæ beneficio datus, peccantes accusabat, eosque scelerum conscientia perterrebat. Vnde est illud Poëtæ: *Lege Deûm stabili semper metus angit iniquos.* Hinc illa Pythagoræ meritò laudata sentẽtia; Neminem tam audacẽ esse, quẽ mala conscientia non facit timidissimum. Non enim quiescit animus malè sibi conscius, sed ab omni vento pauet. Idemq. dicere solebat; Virum iniquum plus mali pati afflictum cõscientia, quàm eum qui corpore castigatur, & cæditur: multo enim grauiora sunt ægroti animi mala, quàm corporis morbi. Ab hac autẽ Pythagoræ schola Philosophus quidam prodiit, cuius memorabile factum silentio præterire non debeo. Hic igitur coëmens sibi à sutore calceos, neq. promptam habens pecuniam, orat vt crastinum exspectet diem: quo cùm venisset satisfacturus, audit sutorem iam defunctum. Non faciens igitur mentionem pecuniæ, nummos non inuita manu domum gratulabundus

bundus de facto iam lucro retulit. Verùm cùm sceleris cõscientia subinde torqueretur, arreptam pecuniam in sytoris domum proijciens, ait: Tibi viuit, qui aliis defunctus est. Videtis ergo, fratres, sine fide etiam solam sceleris conscientiam & horrere peccata, & illorum admissione lacerari? Si igitur sola hæc naturæ scintilla animum hoc modo vexat; quid ea faciet splendore fidei adiuta, quæ menti reprobæ iram Dei, mortem, iudicium, suppliciaque improbis constituta proponit? Nemo enim adeò sceleratus est, qui non Deum esse putet, illiusque sæpenumero iudicium metuat. Cùm igitur esse numen putat, horret & tremit, nullaq. in sede consistit, cùm sæpe animo anxio atq. solicito scelerum pœnas extimescat, vtpote qui certò sciat esse vim diuinam omnia contuentem & animaduertentem, pœnasque de scelere & improbitate repetentem. Quomodo igitur qui animum suum tot facinorum vlceribus conscissum gestat, nõ assiduè trepidabit, iramq. iusti iudicis formidabit? Est enim mala conscientia comes odiosa, turbulenta tempestas, animum perpetua iactatione concutiens, assiduisque terroribus obiectis incessanter exagitans. Vt enim si aliquis trãsfixus esset venenato telo, quod è corpore euelli non posset, nullum temporis punctũ dolore vacuũ haberet: sic, vbi iniustitiæ mortiferum venenum in viscera penetrat, & in præcordiis hæret, animoque mortiferum vulnus imponit, vix quidquam est quod miserum hominem valeat à summis angoribus, & assidua dolorum acerbitate liberare. Cùm enim totius miseriæ fõtem intra pectus habeat; euenit, vt nunquã vim molestiæ à se dimouere possit; sed quocumque pergit, eximio dolore & solicitudine conflictetur. Ex quo fit, vt, neque domi quietem, neque foris oblectamentum inueniat. Neque enim domus, neque ciuitas, neque celebritas, neque solitudo illis iucunda esse potest, qui gerunt animũ vulneribus iniquitatis & iniustitiæ conscissum. Itaq. sicut æger, cuius viscera ardentissima febris vrit, nullo modo in latus vnum consistere diu potest, sed modò in hanc, modò in illam partem voluitur atque iactatur; neq. tamen tot mutationibus quietem, quam quærit, inuenit (quoniam intra se inquietudinis suæ causam gestat) ita improbi homines vix vlla rerũ aut locorũ mutatione lethale telum, quod intra se ex malorum suorũ conscientia gestant, excutere possunt. Quæ quidem res tantum in nobis peccati odium parere deberet, vt quãuis nulla alia siue præmia siue supplicia nos ab eo deterrerent, hoc vnum satis superque futurum esset. Hac enim ratione prudentissima femina Abigail Dauidis furorem in lenitatem vertit, & ab indignissima cæde furentem reuocauit. Cùm enim is indignanbundus ad euertendam Nabalis domum atque familiam pergeret, illa obuium

Simile

Simile.

1. Reg. 25.

obuium excipiens,inter alia verba, quæ iratum lenire possent, hoc quoq.intulit:Malitia,Domine mi,nõ inueniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ.Cũq. fecerit tibi Dominus domino meo omnia bona quæ locutus est de te, & constituerit te ducem super Israël, non erit tibi hoc in singultum,& in scrupulũ cordis, quòd sanguinem innoxium effuderis, aut ipse te vltus fueris. Qua quidem oratione ira concepta Dauidis ita deferbuit, vt non modò arma deponere coactus sit, sed in prudentissimæ mulieris laudes effusus, Benedictus,inquit, Dominus Deus Israël,qui misit te hodie in occursum meum;& benedictum eloquium tuum;& benedicta tu, quę prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem,& vlciscerer me manu mea.

Denique vt breuiter hanc partem finiam,rem certè admiratione dignã cõmemorabo,quæ interni huius cruciatus certissimam fidẽ faciat. Epicurus,voluptatis assertor, qui summũ bonũ vna voluptate definiuit, cùm is neq. Dei prouidentiam,neque animarum immortalitatem, ac multo minùs bonorũ præmia,suppliciaq.malorũ agnosceret,cùm is omnes ad voluptatẽ illam suam vias diligentissimè excogitasset; virtutem ad hoc in primis sequendam,vitiaq. maximè fugienda esse docuit. Quid nouum hoc Epicure? quid tibi cum virtute, cui nullum à Deo præmiũ cõstitutum esse fateris? quid tibi cũ odio vitiorũ, quorum supplicia nulla formidas, quæq. magnas interim voluptates pariunt?Certè,ait,quoniam ego omnibus in rebus voluptatem capto;nihil autem virtutis honestate atq.decore voluptuosius aut iucundius esse cognosco. Ego item omni ratione dolorem & acerbitatem voluptati contrariam, tanquam summum malum,fugio:nihil autẽ magis animũ quàm scelerum cõscientia torquet,assiduòq.metu exagitat. Potest enim, ait, nocenti contingere vt lateat,latendi fiducia nõ potest. Cuius sententiæ sensum Seneca sic exponit:Ideò non prodest latere peccãtibus, quia latendi etiam si facultatem habent,fiduciam non habent; ideoq. à continuo metu & angore animi tuti esse non possunt. An non igitur testimonium, ab ipsa voluptatis officina profectum, satis esse debet, vt intelligamus, quanto sit virtutum quàm vitiorum professio iucundior; cùm hæc assidua conscientiæ laceratione animũ cruciet,illa verò contrà mentem decoris & honestatis suæ pulchritudine exhilaret? Verissimè enim à Salomone dictum est:Gaudium est iusto,facere iustitiam. Et: Secura mens quasi iuge conuiuium. Perpetuò enim epulatur, qui virtutum & meritorum suorum consciẽtia pascitur & oblectatur. Magnum peregrè proficiscentis solatium est,cùm certissimè se rectà ingredi scit:magna autem cura & solicitudine iter facit, qui se rectum iter reliquisse, & per auios saltus, & inuia loca

Seneca.

Prou. 21.

Simile.

loca ingredi videt. Hoc igitur secundum improborum hominum,& quidem grauissimum, onus est.

II.

Tertium verò ex dissimili prouidentia quam Deus malorum & bonorum gerit,facilè colligitur. Ad bonos quippe illa Domini verba pertinent: Ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis. Et illa: Factus sum Israëli pater,& Ephraim primogenitus meus. Ad improbos autē illa referuntur, quæ per Zachariam Dominus ait: Non pascam vos: quod moritur, moriatur:& quod occiditur,occidatur: & reliqui deuorēt vnusquisque carnē proximi sui. Qua quidē ratione Apostolus Gentiles sine Deo esse dixit in hoc mundo: non quòd is rerum humanarum prouidētiam non haberet, sed quòd talē se Deus erga improbos gerat,quales se ipsi erga ipsum gerunt: atq. vt Deum illi ab animo & cogitatione sua repellūt,ita ipsi à paterna eius cura & prouidentia repelluntur. Quod quidem Azarias, Spiritu Dei afflatus, Asa regi ab Aethiopum cæde cū magna gloria redeunti,significauit his verbis: Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo. Si quæsieritis Dominum,inuenietis eum: si autem dereliqueritis eum,derelinquet vos. Hæc Dei lex, hæc iustitiæ & æquitatis diuinę regula est. Quæ cùm ita sint, iam nūc expendamus,qualis eorum conditio sit, qui hoc tam salutari præsidio vel instructi vel destituti sunt. Est enim vita,quā in hoc fragili corpore degimus,abyssus curarum, continua militia, assidua mentis corporisque iactatio,in qua labor laborem excipit, cura curam trahit,dolor ex dolore nectitur: infinitæ curæ, molestiæ, sollicitudines animum peruagantur, eumq. frangunt atq. debilitant,& de omni statu deijciunt. Quid ergo faustum, quid lætum in ea vita esse poterit, quæ à maternis visceribus ad terræ vsque viscera tot laboribus respersa est? cuius conceptio culpa, nasci pœna,viuere miseria,& mori tormentum est? Cùm igitur tam multis calamitatibus vita referta sit; quid, quæso, fragilis homuncio in tam turbulento & procelloso mari à Deo derelictus,eiusque paterna prouidentia destitutus faciet? quò se vertet? quid consilij capiet, qui hoc malorum omniū profugium à se vitio suo alienauit? At quanto alia piorum sors in calamitate est? Vir enim pius Deum paterna cura sibi consulentem habet, seque vt pupillam oculi custodientem,scapulis suis obumbrantem,veritatis suæ scuto tegentem, murumque igneum (vt est in Zacharia) se illi in circuitu exhibentem; quemadmodū dæmon ipse aduersus Iob cum Deo agens testatus est: Nunquid (ait) frustra Iob timet Deū? Nunquid non tu vallasti eū,& omnem domum eius? Operibus manuū eius benedixisti,& possessio eius creuit in terra. Quæ vis igitur calamitatum hominem

Oseæ 11.
Hier. 31.
Zach. 11.
2. Par. 15.
Zach. 2.
Iob 1.

hoc cælesti præsidio septum, deijcere aut frangere queat? Adde etiam spiritualia arma, quibus homo ad incommoda omnia perferenda, omniaq. inimici tela propulsanda, instructus est. Fide enim munitur, spe in cælestia subleuatur, charitate incenditur, fortitudine roboratur, orationis præsidio armatur, clamans cum Propheta; De tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine Dominus: hoc est, gaudio & lætitia dilatauit cor meum, quod calamitatis pondus angustare ac premere debuisset. His igitur auxiliis adeò vir pius in tribulatione non concidit, vt vehementer etiam Deo custode & protectore lætetur. At improbus homo huiusmodi præsidiis septus non est, Deum verò contra se iratum & infensum habet, nō modò plagas non repellentem, sed etiam inferentem. Cùm ergo his omnibus auxiliis destitutus sit, sibiq. ipsi relictus; quibus, quæso, armis aduersus omnes diaboli cōgressus, & sæuientis fortunæ tela, decertabit? Quod malum igitur tantùm comprehendi cogitatione potest, quod sit cum hac tanta calamitate cōferendum? Nam cùm homo impietate prolapsus, illū Dominum, qui omnia potestate infinita complectitur, cuius ope cuncta bella facilè depellebat, non modò à se alienauerit, verùm etiam acrem sibi aduersarium constituerit; quod nam tandem habere poterit in vita malorum perfugium? ideoque malis omnibus patebit, quia à vitæ suæ custode derelictus est. Sic enim olim Dominus Moysi prænunciauit his verbis: Ecce tu dormies cum patribus tuis, & populus iste consurgens fornicabitur post Deos alienos, & irritū faciet fœdus quod pepigi cùm eo. Et irascetur furor meus contra eum in die illo: & derelinquam eum, & abscondam faciem meam ab eo, & erit in deuorationem. Inuenient enim eum omnia mala & afflictiones, ita vt dicat in illo die: Verè quia non est Deus mecum, inuenerunt me hæc mala. Quod igitur maius veritatis huius testimonium sperandum est, quàm ipsorum improborum aperta confessio, qua & malorum suorum magnitudinem, & eorum causam (hoc est, iram Domini) confitentur?

Psal. 117.

Deut. 31.

Hæc ipsa quæ diximus, breuissima oratione sanctus ille Tobias filium suum admonens complexus est; cuius admonitionis hoc exordium fuit: Memor esto, fili, quòd pauperem vitam gerimus, sed multa bona habebimus si timuerimus Dominum. Cùm enim pauperis vitæ mentionem fecit, mala ea, quæ superiùs commemorauimus, vnico verbo complexus est. Cùm verò ait, multa bona nos esse habituros, si timuerimus Dominum, malorum omniū perfugium, & cælestes piorum opes comprehendit. Quid enim deesse illi poterit, cui omnipotens rerum omnium Dominus adest, vt non cum Propheta dicere possit;

Tob. 4.

Dominus

Dominus regit me, & nihil mihi deerit? Deus enim, in quo sunt omnia, piis quidem hominibus fit in omnibus omnia; in labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium, in paupertate diuitiæ, in fame cibus, in siti potus, in nuditate indumentum iustitiæ, in morbo medicamentum salutis: quemadmodum beata Agatha Apostolo Petro, curationem offerenti, respōdit: Medicinam carnalem corpori meo nunquam exhibui, sed habeo Dominum Iesum, qui solo sermone restaurat vniuersa. Videtis ergo, fratres, vtriusq. vitæ discrimina; quàm sit videlicet piorum vita secura, quantisque contrà malorum fluctibus improborum vita obnoxia.

Psal. 22.

Quæ cùm ita sint, quis adeò mentis inops erit, qui non apertè videat, peccatum esse onus illud atq. talentum plumbi grauissimum, quod Zacharias Propheta vidit; contrà verò iugum Christi esse, vt idem ait, leuissimum & iucundissimum? Si enim æterna illa Veritas legem suam, iugum suaue, & onus leue nominat: si doctrinæ suæ præceptis & institutis, animæ requiem parari ait; si nos ipse non ad laborem, sed ad refectionem; non onerandos, sed exonerādos hoc in loco vocat: quis adeò impudens & infidelis erit, qui audeat graue aut acerbum appellare, quod ipsa Veritas leue & suaue esse testatur? Quis igitur adeò demens, adeoque sibiipsi infensus erit, qui velit magis diabolo obsequi, iugum ferreum super ceruices imponenti, æternaque supplicia minitanti; quàm Christo, ad suaue iugum & onus leue nos inuitanti, & æterna præmia pollicenti? Quocirca, fratres, inuitanti Domino aures libenter præbeamus, ipsumq. ad se nos amantissimis vocibus compellantem audiamus; *Venite* (ait) *ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Qui enim hanc electis suis refectionem, hanc animarum requiem, has postremò diuini spiritus delicias pollicetur in via; non dubium quin multo illis maiores ac diuturniores repositas seruet in patria.

Zach. 5.

IN

IN EODEM FESTO B. MATTHIÆ, CONCIO SECVNDA, IN QVA, VITIORVM atque virtutum collatione facta, apertè monstratur, quanto sit iugum Domini, diaboli iugo leuius & suauius. Vnde colligitur dementia eorum, qui captandæ iucundioris vitæ gratia virtutis iter planissimum deserunt, & per difficilem vitiorum viam gradiuntur.

THEMA. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Matth. 11.

HODIE, fratres, beatissimi Apostoli Matthiæ natalem diē celebramus, qui ex numero septuaginta duorum discipulorum, duodeno sanctorū Apostolorū choro diuina electione meruit copulari. Assumpto enim in cęlū Domino, Petrus, Ecclesię Princeps, ab hac electione, Pōtificatus sui ministeriū ante Spiritus sancti aduentū exorsus est. Exurgens enim in medio fratrum (erat autem turba hominū ferè centum viginti) Viri fratres, ait, oportet impleri scripturam, quam locutus est Spiritus sanctus per os Dauid, de Iuda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Iesum; & cætera quæ sequuntur. Ex quo quidem loco intelligimus, fratres, verū esse quod diuus Hieronymus ait: Non quæruntur in Christianis initia, sed fines. Paulus malè cœpit, sed benè finiuit. Iudæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur. Ex hoc item loco intelligimus, qua cura illud Domini præceptū in Apocalypsi seruare debeamus: Tene quod tenes, ne alius accipiat coronam tuam. hoc est, quamuis tibi videaris à Deo etiam ad munus aliquod electus, vel in eius gratia constitutus, non ideò te negligenter & oscitanter geras, nec tibi tuta omnia à diuina electione pollicearis, sed cautè & diligenter supra tui custodiam vigila, vt (quemadmodum Petrus Apostolus ait) per bona opera certā facias vocationem tuam. Nam & Saul à Domino ad regni sedem, & Iudas ad Apostolatus culmen electi sunt, qui tamen huius præcepti immemores, quia solicitè quod iam tenebant, tenere noluerunt, aliis coronas suas tradiderunt; Saul quidem Dauidi Regi, Iudas verò Matthiæ Apostolo. Qua de causa diuus Bernardus in omni statu nos ad continuum vigilemque timorem inuitat his verbis: In veritate

Act. 1.

Hieron. in Epist.

Apoc. 3.

2. Pet. 1.

Bernard.

tate didici, nihil esse æquè efficax ad gratiam promerendam, retinendam, & recuperandam, quàm si omni tempore corã Deo inueniaris non altum sapere, sed timere. Time ergo cùm arriserit gratia; time cùm abierit; time cùm denuò reuersa fuerit: hoc est enim semper esse pauidum. Cùm adest, time ne eius occasione in superbiam efferaris. Superbiæ enim spiritus, si impedire non præualet actionem, tentat intentionem, suggerens & suadens vt effectum gratiæ arroges tibi. Quod quidem genus superbiæ intolerabile esse non ambigas. Timendum est etiam manente gratia. Quid ergo si abierit? nónne multo magis timendum? planè multo magis: quia vbi deficit gratia, deficis tu. Audi quid dator gratiæ dicat: Sine me nihil potestis facere. Time ergo subtracta gratia, tanquam mox casurus. Time, Deo tibi (vt sentis) irato. Time, quia reliquit te custodia tua. Nec dubites in causa esse superbiam, etiam si nihil tibi conscius sis. Superbiam dico, aut præteritam, aut futuram, si gratia subtraheretur. Habes huius rei euidens argumentum in Apostolo, qui stimulum carnis accepit; non quia extolleretur, sed ne extolleretur. Iam si gratia redierit, multo magis timendum ne recidiuam patiaris, quod est longè deterius. Hactenus Bernardus. Sed iam ad historiam redeamus.

Ioan. 15.

Hic igitur beatissimus Apostolus hodierna die inclyto martyrio, sicut cæteri Apostoli, coronatus, victor migrauit in cælum. Posteaquam enim Iudææ prouinciam (quæ illi in diuisione orbis terræ obtigerat) prædicando lustrasset, multosq. Iudæorum ad fidem conuertisset, apud principes sacerdotum, quòd Christi fidem & gloriam constantissimè prædicaret, accusatus, lapidationis sententiam, tanquã blasphemus accepit. At ille lapidibus obrutus, & securi etiam, Romano more, percussus, expansis in cælum manibus, gloriosoque cruore respersus, per martyrij coronam migrauit ad regnum; vbi pretiosæ mortis, & laborum suorum meritis perpetuò fruitur. Hactenus de glorioso beati Apostoli exitu; nunc postrema præsentis Euangelij verba, quæ diuinæ legis iugum suauissimum esse docent (rem certè fidelibus cunctis gratissimam) explanare incipiamus: priùs tamen cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Iam primùm cõstat, inter omnia diuinæ bonitatis opera sũmum & maximũ extitisse, quòd Deus ipse ad homines descendere, terras lustrare, & in crucem tolli, atq. acerbissimum mortis suppliciũ perpeti dignatus sit. Quòd si huius tãti operis causam quæras, paucis Apostolus respondet, nempe Christum Dominum semetipsum pro nobis tradidisse, vt mundaret sibi populũ accepta-

Tit. 2.

acceptabilem,sectatorē bonorū operum. Nec hoc solùm opus (quod omnem superat admirationem) sed omnia etiam quæ hactenus à Deo facta, dicta,& instituta sunt; leges præscriptæ, opes ostēsæ,terrores illati,bona in fideles magnificētissimè collata,supplicia nocentibus & facinorosis acerbissimè constituta: hæc,inquam,omnia in quē alium finem referuntur,nisi vt, repudiatis sceleribus,in iustitia & sanctitate viuamus? Quæ cùm ita sint; non abs re quæri solet, quid sit in causa, quòd fidelium multi,qui hæc omnia certissimo fidei lumine cognoscunt, virtutis via relicta,per vitiorum itinera gradiantur.

Ad hoc quidem multi, vitiorum dulcedinem & voluptatem, virtutum verò asperitatē & iniucunditatem, huius tantæ peruersitatis causam esse aiunt. Hanc autem voluptatis illecebram improbi homines adeò esse expetēdam censent, vt eam omnibus virtutum meritis & ornamentis, quamlibet præstātissimis, anteponant. Itaq.cùm tria bonorū genera philosophi statuant; honestū,vtile,& iucundū; duo priora bona sine vlla cōtrouersia vt virtutibus tribuunt,ita vitiis detrahunt (quæ & turpissima & perniciosissima sunt) iucunditatem tamen & voluptatem vitiis quidē tribuunt,virtutibus adimunt. Qua persuasione decepti, & voluptatū falsa opinione deliniti,deserto virtutū cultu, adeò præcipites in vitia feruntur,vt nullis neq. Ecclesiæ vocibus, nec Dei beneficiis, nec promissis, minis & plagis ab hoc studio reuocari velint. Qua quidē opinione diaboli operâ concepta,non sibi ipsis modò perniciē adferunt,sed Dei quoq. prouidentiam, & rerū ab eo dispositarū ordinē accusant; quòd cū omnia opera ad humanæ vitæ vsum & propagationem necessaria, voluptate quadam & oblectatione condierit (ne sibi ipsis,atq.naturæ suæ homines deessent) virtutē tamen (quæ ad immortalis vitæ gloriam necessaria est) omni suauitate nudauerit, & acerbā, asperam & inaccessam fecerit,perinde atq. virtutem & felicitatem hominibus inuiderit. Cùm igitur hæc impia persuasio tantorū malorum causa sit, nō vulgarem hominibus vtilitatem afferet, quisquis eam ab ipsorum mentibus reuulserit, & improborum vitā,acerbissimam; bonorū verò,iucundissimā esse monstrauerit. Hoc est igitur quod in reliqua sermonis huius parte probare cōstitui. Et quoniā hoc idem argumentum in superiore concione tractaui,nunc alia ingrediar via: vbi enim vniuersè rem demonstraui,nunc sigillatim ad omnia capitalia vitia, virtutesq. eis contrarias,descendam: quantum in singulis quibusq. vitiis cruciatus & laboris sit; quantumq.in virtutibus suauitatis & iucunditatis,apertissima oratione declarabo.

I.

Principiò igitur à superbia (quæ vitiorū omnium caput est) exor-

exordiũ capiamus. Ea verò eſt (vt Theologi definiunt) inordinatus honoris & propriæ excellẽtiæ amor; cùm homo nulli ſeruire, nulli obtemperare, nulli ſubeſſe, ſed omnibus præeſſe, & omnes dignitate & gloria anteire acerrimè concupiſcit. In hoc autem affectu (vt cæteros prætermittam) tres maximos cruciatus inuenio. Primùm enim, cùm hæc ipſa homo ardenter exoptet, ac frequenter voti compos effici nequeat; an non vehementer cruciabitur, cùm ſe iis rebus, quas tantopere cõcupiſcit, fruſtrari videat? Si enim (vt Salomon ait) deſideriũ cùm cõpletur, oblectat animam; conſequens eſt, vt, ſi non cõpleatur, eandẽ torqueat atq. conficiat. Cùm verò tãtus in magna ſiti cruciatus ſit, vt Dñs in Euangelio gehennæ ſupplicium ardentiſſimæ ſiti comparauerit; quomodo nõ grauiſſimè cruciabitur, qui honorem & gloriam auidiſſimè ſitiens, voti cõpos effici nõ poteſt? Nec minus tamen cruciabitur, ſi ea ipſa, ad quę adſpirabat, fuerit adeptus, cùm ab eiſdem ſperare & cupere maiora didicerit. Semper igitur in continua ſiti fameque verſabitur, ſemper ſibi indigere videbitur; nulliſq. mens eius honoribus expleri poterit, dum prioribus votis aliquid ſemper addere feſtinat. Et hoc quidẽ primum ſuperbiæ tormẽtum eſt. Alterum verò eſt, quod ex inuidia, ſuperbiæ comite, proficiſcitur. Qua de re ita Seneca ait: Nemo eorũ qui in Repub. verſantur, quos vincat, ſed à quibus vincatur, aſpicit: & illis non tam iucundũ eſt multos poſt ſe videre, quàm iniucundum aliquem ante ſe. Ideoq. idem alibi, Ambitionem nõ reſpicere, ait. Quo verbo ſignificare voluit, ſuperbũ nõ reſpicere quos à tergo relinquat, ſed quos ante ſe, hoc eſt, ſibi prælatos cernat. Ianum olim veteres finxerũt duplices oculos, in fronte & in occipitio, habentem: quos quidẽ prudentes homines habere debent, quibus & præterita meminerint, & futura proſpiciãt: ſuperbus autem ſolos habet anteriores, vt qui non magni ęſtimet quàm multos à tergo relinquat, ſi vel vnum ante ſe viderit. Hac vna re vritur, hac æſtuat, huc omnes conatus ſuos cõparat, vt ex præcedente ſequentẽ faciat. Quid enim aliud miſerrimos Cæſarem atq. Pompeium in bella ciuilia (hoc eſt in generis humani perniciẽ) miſit, niſi quòd neuter alterum ante ſe videre poterat? Quis autẽ ſuperbus ab hac inuidiæ peſte immunis eſſe poterit, qui videat ſummũ Dei ſacerdotẽ Aaronem, & ſororẽ eius Mariam, prophetiæ laude inſignẽ, aduerſus mitiſſimũ & innocentiſſimum fratrẽ inuidiæ liuore tactos fuiſſe, propterea quòd frater ex imperio Domini principatũ in populo gereret? Si tabes hæc in fraternis piiſq. viſceribus hærere potuit, quid in ſuperborum mentibus efficiet? Eſt & aliud commune ſuperborum tormẽtum, cùm aliquis videlicet vel eorum conatibus obſiſtit, vel ad eandẽ honoris & laudis gloriam ſimili auiditatę

Prou. 19.

Seneca.

auiditate contendit. Inter hos quippe non magis quàm inter eiusdẽ sponsę procos conuenire potest. Vnde Salomon inter superbos ait semper iurgia esse. Hinc Cicero, Pestis, inquit, maior esse nulla in amicitiis potest, quàm in quibusdã honoris certamen & gloriæ: ex quo inimicitiæ maximè semper inter amicissimos extiterunt. Estq. in hoc vitio singulare quiddã, quòd cùm improbi homines, eiusdemq. sceleris participes, sese mutuo diligant (in ædibus enim Babylonis inuicẽ sibi respondent vlulæ, clamatq. pilosus ad pilosum) superbus tamen superbũ vehemẽter odit: vel quòd eundẽ vterq. honorẽ ambit; vel quòd neuter alteri se submittere velit. Iam verò quàm indignè ferũt, si quis eis vel non illico reuerenter assurgat, vel minus aliquid honoris impertiat! Exemplo esse poterit superbus ille Aman; qui cùm Mardochæum ad fores palatij sedentẽ sibi non assurrexisse vidisset, adeò cõmotus est, vt pro nihilo duxerit in vnum Mardochæum sæuire, quin potiùs Iudæorũ omniũ, qui erant in regno Assueri, nationem vno nuncio, atq. vno die trucidare constituit. Quo ergo furore illum æstuasse credendum est, qui hoc nouum & inauditum supplicij genus mente tractare atque definire potuerit? Hæc sunt igitur superbi hominis tormenta, quibus perpetuò illum cruciari necesse est.

Prou. 13. Tullius. Esther 3.

A quibus, bone Deus, quàm longè vera cordis humilitas abest! Est enim (vt diuus Bernardus ait) humilitas virtus, qua homo verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit. Huius autem diuus Anselmus septem gradus facit; cuius postremum esse ait, vt non minori auiditate verè humilis infimum gradum, quàm superbus primum, desideret. Cuius rei Palladius insigne memorat beati Pasuntij exemplum: qui quoniam in maximo apud suos honore habebatur, ad ignotas regiones, & lõgè posita monasteria, dissimulata nominis sui claritate, profugit, vt ibi, tanquã rudis & nouus monachus, optatæ humilitatis officiis frueretur. Quod ita factum est, ibiq. illum, Deo ita volente, fratres quidam stercus ad hortorum cultum humeris portantem inuenerunt, inuentumq. magna vi ad suũ monasterium reuocarunt. Aliud quoq. narrat memorabilius exemplum. Ait enim virginem quandam in aliarum virginũ monasterio fuisse, quæ tantopere ignominiarum & opprobriorum desiderio flagrabat, vt insaniam longo tempore simulauerit, quo derisui & contemptui omnibus esset, & abiectissima monasterij officia sibi iniũgerentur. Cuius cùm admirabilẽ innocentiam & puritatẽ quidam ex sanctis Patribus, Domino reuelante, cognouisset, & ille acceptis à Deo signis ad eam visendam perrexisset, ipsoque reuelante res tota patefacta esset, cæteræq. virgines (quæ illã variis contumeliis & iniuriis afficiebant) stupefactæ essent; illa honorem

Bernard. Anselm. In historia Sanct. Vbi sup.

honorem hunc sibi delatum, molestissimè & indignissimè tulit. Cæterùm qui verè humilis est, quãuis nondum eò peruenerit, vt hoc modo propter Christum ignominiarum calicem bibere cupiat, hoc tamen habet, vt superiores dignitatum gradus non ambiat, & quemuis locum, quãlibet infimũ, paruitati suæ idoneum iudicet. Itaq. ad vtramq. fortunã sic aptatus est, vt neque excelso loco intumescat, neq. infimo perturbetur, cùm nec hoc quidem se dignum iudicet. Est igitur humilis instar quadrati ligni, quod quocumq. ieceris, fida & solida statione cõsistit. Videtis ergo quàm placidum & quietũ sit humilium pectus, quod nullis iniuriis perturbatur, nullis contumeliis vritur, nihilque se indignum pati putat, cùm se propter humilitatem iniuriis omnibus dignum esse arbitretur? Quo nomine D. Bern. superborũ insaniam miratur, quòd tam difficilem sponte sua prouinciam susceperint. Cùm enim, inquit, superbia semper ascendere, humilitas verò descendere nitatur; & descendere quidem facillimum, ascendere verò difficillimum sit: quæ dementia, inquit, est, deserta placida ac prona humilitatis via, in abrupta superbię præcipitia velle conscendere? Deniq. sicut arbores in excelsis montibus consitæ, ventorũ omniũ flatibus expositæ sunt (à quo periculo absunt quæ in ima valle creuerũt) ita superborum mentes aduersarum rerum turbinibus semper exagitantur; humiles verò, quietæ & immotæ manent.

Simile.

Bernard.

Simile.

II.

Hactenus de superbia, nunc auaritiã excutiamus. Est autem auaritia inordinatus pecuniæ amor: id est, inexplebilis auri fames. Hoc autem vitium similes atque superbia tortores habet, ne dicam plures. Auarus enim auri sacra fame & siti primùm laborat, cùm non assequitur quod ardenter cõcupiscit: nec minus tamen angitur cùm id assecutus est; cùm non ideo minorẽ auri famẽ in copia quàm in inopia patiatur. Quam rẽ appositissima similitudine Seneca describit his verbis: Vidisti aliquando canẽ missa à domino frusta panis aut carnis aperto ore captantẽ: quidquid excepit, protinus integrum deuorat, & semper ad spẽ futuri inhiat. Idem euenit nobis: quidquid expectantibus fortuna proiecit, id planè sine vlla voluptate demittimus, statim ad rapinam alterius erecti & attenti. Hinc D. Gregor. Nyssen. Quid pecuniæ studiũ? an nõ, inquit, doliũ perforatum est, toto fundo perfluens? cui si vel totũ mare infundas, ea natura est, vt expleri non possit. Quòd si causam quæras, cur cætera desideria cùm expleta fuerint, cõquiescant, auari autẽ cupiditas nulla copia satiati possit: ad hoc tibi argutè Seneca respondet his verbis: Neminem pecunia diuitẽ fecit: imò contrà nulli non maiorem sui cupiditatẽ incussit. Quæris quæ sit huius rei causa? Plus incipit

Simile.

Seneca in Epist.

In oratione funebri.

Simile.

Seneca.

cipit habere posse, qui plus habet. Acutè sanè huius auiditatis causam insignis Philosophus exposuit. Quia ergo diues, ipsis suis opibus fultus, plura consequi potest, efficitur planè, vt, quo plura habet, plura desideret. Procul enim posita, velut impossibilia, aut difficilia, minùs desiderantur: in ea verò præceps animus incurrit, quæ ad manum, & veluti ante oculos posita sunt. Iam ergo mihi aduersus auaros omnes cum eodem Philosopho exclamare licebit: A quo malo liberant diuitiæ, si ne hoc quidē adimunt, sui nimirū cupiditatē? Famelicus, vbi comedit, famē expleuit; sitibundus, vbi potum hausit, sitim sedauit; irati animus, vbi de hoste vindictā sumpsit, cōquiescit: pecuniæ verò cupidus, adepta pecunia, maiorē pecuniæ famē patitur; quia videlicet plus habere posse cœpit. Quid verò miseram auari seruitutem cōmemorem; qui dies noctesque in hoc vnum incumbit, hoc vnum captat, vt pecuniarū cumulum augeat? Quid varias eius lites, curas, solicitudines, & mendacia, quibus niti ferè debent qui diuitias augere cupiunt, referam? Iam verò si vel furto, vel fortuna, vel seruorum negligentia aliquid effluxerit, vel negotiatio parū feliciter cesserit; bone Deus, quo angore disrūpitur, quibus curis dilaniatur! Non enim potest non esse rei vehementer amatæ grauis & acerba iactura: adeò, vt non defuerit nostra ætate, qui hac ipsa de causa (cùm multis etiam opibus circumflueret) manus sibi iniecerit, & laqueo vitam finierit.

Induction.

Hæc sunt igitur auari hominis tormenta. Auaritiæ autē contraria est liberalitas & misericordia: quæ ab his omnibus tormētis immunis, adeò ad benè merendum de aliis propēsa est, vt nunquam auarus tantum pecuniis cumulandis, quantum hic elargiēdis gaudet. Qua ratione hoc poteris cōprobare? Afferam sanè locupletissimum huius rei testē, nempe acerrimum voluptatis assertorem Epicurum: qui (vt memorat Plutarchus) ait, nō modò pulchrius esse beneficio alios afficere, quàm affici, verùm etiam iucundius atq. suauius. Nam nulla res perinde parit gaudium, vt beneficentia. Quapropter multi sæpe pudore suffunduntur, cùm beneficiū accipiunt: semper autē gaudent, qui beneficium præstant. Hactenus ille. Videtis ergo, fratres, testimonio quoq. illorum qui in ipsa voluptatis officina versātur, liberalitatis virtutē esse iucundissimam? Sed ad nostra veniamus. Hanc eandem voluptatem regius Propheta breuiter indicauit, cùm ait: Iucundus homo qui miseretur, & cōmodat. Cur ita iucundus? nēpe quia scit verum esse quod Apostolus ait, Hilarem datorē diligit Deus: qui videlicet tribuit non ex tristitia, aut ex necessitate, sed promptissima voluntate. Scit etiam, nihil magis secundùm naturā esse, quàm naturæ consortem iuuare. Scit (vt Ambros. ait) solam esse misericordiam comitem defunctorum.

Lib. de disp. Phi. los.

Psal. 111.

2. Cor 9.

Scit

Scit illam se in morte vocē emissurum, quam Marcum Antonium, ab Augusto superatū, Seneca protulisse scribit: Hæc habui, quæ dedi: cætera enim quæ hîc relinquo, quę mecū auferre non possum, quomodo illa habeo, quæ velim nolim aliis trado? Quisquis ergo hæc omnia in imo pectore condita seruat, quomodo non hilaris esse donando debet? Si gaudium est iusto facere iustitiam, multo maius gaudiū erit facere misericordiam. Videtis ergo, fratres, quanto sit liberalitas auaritia iucundior & hilarior; immo quàm illa tristis, marcida, exanguis & pallida; quàm verò hæc læta, iucunda, hilaris & suauis.

Seneca lib. de beneficiis.

III.

Iam ad luxuriam transeamus, quæ ad eundē modum describi potest, vt sit immoderatus impuræ cōmixtionis ardor. Huius autē cruciatus qua oratione describā? Constat enim ex Theologorum sententia, nullibi magis cōmunis peccati virus & potētiam, quàm in hoc impuro affectu, desæuisse, quo ipsius peccati labes in posteros transmittitur. Hoc autē cùm aliorum innumerabilium, tū vel maximè Dauidis sanctissimi, & Salomonis sapientissimi ruinæ illæ maximæ & stupēdæ declarāt; à quo malo, neq. illum tam spectata vitæ sanctitas, neq. hunc tam admiranda sapientiæ claritas immunem integrumque seruarunt: tanta morbi huius vis atq. potentia est; de qua idē Salomon ait: Multos enim vulneratos deiecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab ea. D. autē Ambros. in opere sex dierū, diuitem quēdam fuisse ait, cui ob grauem oculorum morbum medici vxoris consortio interdixerūt, alioquin fore, vt protinus lumine orbaretur; qui tamen cupiditatis impotentia victus, Vale, inquit, lumen amicū: minùs enim molestū illi fuit in æterna nocte & caligine vitā ducere, quàm cupiditatis illius ardore & vehemētia cruciari. Quis igitur vel hoc vno argumento cupiditatis huius vim & immanitatem nō agnoscat? quæ adeò furenter hominū pectora obsedit, vt alios quidē ad insaniā, quosdā in morbum, nonnullos etiam in mortē impulerit; quā vel vis doloris intulit, vel manibus ipsi suis sibi eam consciuerunt, dum voluptatibus, quas ardentissimè exquisierant, potiri nequiuerunt. Si autem adeò istis molestum & acerbū est voluptatibus suis carere; quot molestissimas curas perpeti illos necesse est, cùm tanta solicitudine ab aliis seruetur, quod illi tā ardenter cōcupiscunt? Quàm multis enim claustris atq. repagulis homines huic dedecori obsistere solent! adeò enim indignè læsæ pudicitiæ iniuriā ferunt, vt ciuitates sæpe & prouincias propter vim pudori illatam, ad solum vsq. deiecerint, & euerterint. Cùm igitur ea sit huius flagitij deformitas & infamia, cumque tanta seueritate de filiabus patres, & de vxoribus adulteris viri supplicium sumant, facilè

Prou. 7.

Ambros. in hexa.

colligitur, quibus tormentis crucientur, qui tantopere quas cupiunt delicias, tot modis impediri, sibiq. subtrahi vident. Quid igitur desperationis huius cruciatu molestius & acerbius? Adolescentẽ quendam seculo suo memorat Pontanus virginis amore ita captũ fuisse, vt, cùm propter singularem virginis pudorẽ voti compos effici desperasset, iniecto contra eius fenestram laqueo mortẽ sibi consciuerit: vsq. adeò furor hic & mentẽ homini eripit, & (quod est multo grauius) sempiternæ etiam morti adijcit. Sed quid ego vnũ memoro, cùm innumeros penè & viros & feminas ex historiis recensere possem, qui simili sorte vitam finierunt, mortem magis quàm animi cruciatus (quibus ob interdictas cupiditates exagitabantur) ferre volentes? Quòd si terribilium cunctorũ mors esse vltimũ dicitur, quale tormentũ illud erit, quod ipsa etiã morte acerbius iudicatur? Iam verò si quid turpiter gestum est, & hoc vel fama vel suspicio ad aliorũ aures detulit, qui æstus, quæ odia, quæ cædes, qui fluctus irarũ, quæ in animo tẽpestates excitantur! Cõstat igitur vitiũ hoc tanto cæteris acriùs impudici hominis pectus lacerare, quanto & cupiditas eius immanior, & cõcupitæ rei assecutio difficilior est. Quis autem fœdissimos corporis morbos, familiæ labes, patrimonij iacturã, infamiæ dedecus, quæ ex hac impuritate consequi frequenter solent, oratione complecti possit? Si hæc igitur omnia enumerare vellem, multæ sanè chartæ implendæ essent. In his igitur tribus vitiis (quæ hactenus exposuimus) eadem fames atq. sitis miseros homines vexat, quam luxuriosus filius à paterna domo discedens pertulit, qui ne siliquis quidem porcorum impleri poterat. Neq. enim superbi in honorum studio terminis vllis continentur, nec auari modum pecuniæ cupiditati præfiniunt, neque qui voluptatibus dediti sunt, famem, qua laborant, sedare vnquam possunt.

Pontanus.

Quæ cùm ita sint, quid, quæso, castitate iucundius, quæ solo strenuè decertandi labore ab his omnibus molestiis libera, placidissimam, & ab omni curarũ æstu solutam vitam homini confert? Neque verò intolerandus in hoc certamine labor est. Cùm enim pudicus homo nõ minùs omnes lasciuiæ occasiones, quã ipsam lasciuiæ pestẽ fugiat, & impura carnis germina intra pectus suũ adolescere non sinat, sed in ipso velut semine suppullulentia protinus abscindat, & pectoris flammam, cùm primùm serpere incipit, sine vlla mora extinguat, nullã in victoria molestiam patitur: quoniam non cum adulto hoste, sed (vt ita dicam) cum lactente & inermi congreditur. Quæ cùm ita sint; quis iam dubitare poterit, multo plus esse in impudicitia quàm in castitate laboris, quamuis stultis hominibus longè aliud prima fronte videatur?

IIII.

Veniamus ad iram, quæ est vehemẽs vltionis & vindictę appetitio: cui mãsuetudo & clementia (charitatis & misericordiæ filia) cõtraria est. Quis est autẽ adeò rerum humanarum imperitus, qui luce clariùs irati hominis perturbationes, furorẽ & rabiem se ipsam dilacerantem non videat? contraque, lenitatem, placabilitatem & suauitatem mansueti hominis non agnoscat? Alter enim fonti perlucido leniterq̃. fluenti; alter procelloso & furenti pelago, naues ad scopulos allidẽti, similis est. In illo omnia tranquilla sunt & placida; in hoc concitata, rabida, & turbulentis motibus irrequieta. Hinc illud vulgo iactatũ, nẽpe, Iratum à furioso, tempore solùm differre. D. autem Basilius iratos nõ furiosis modò, sed iis qui à dæmone obsessi sunt, similes esse testatur his verbis: Irati nihil prorsus ab iis qui à dæmone obsessi tenentur, neque habitu, neque animi affectione differunt. Cùm enim vlciscendi libidine vindictam de aliquo sumere cupiunt, tum iis sanguis circa cor efferuescit, quasi calore ignis agitatus & ebulliens: at cùm in extrema cute efflorescit, aliam irati speciem demõstrat, familiarem & notam omnibus. Qualis verò ea species sit, copiosè & eleganter Seneca describit his verbis: Flagrant & micant oculi, multus ore toto rubor, exæstuante ab imis præcordiis sanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac surriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens, articulorum seipsos torquentium sonus, gemitus, mugitusque, & parum explanatis vocibus sermo præruptus, & cõplosæ sępius manus, & pulsata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnasq. iræ minas agens, fœda visu, & horrenda facies deprauantium se ac intuentiũ. Nescias vtrùm magis detestabile vitium sit, an deforme. Quibusdam (vt ait Sextius) iratis profuit aspexisse speculum: perturbauit illos tãta mutatio sui: veluti in rem præsentẽ adducti, non agnouerũt se. Et quantulum ex vera deformitate imago illa speculo repercussa reddebat? Animus si ostendi, & si in vlla materia perlucere posset, intuentes non cõfunderet? ater, maculosus, æstuãs, & distortus, & tumidus. Nunc quoq. cùm tanta deformitas eius sit, per ossa carnesque & tot impedimenta effluentis, quid si nudus ostenderetur? Hactenus Seneca. Deniq. ea est irati hominis rabies & furor, vt sæpe, cùm de alio supplicium sumere non possit, de se sumat; & contra omnes naturæ leges, quo alium furore petere debebat, seipsum petat, sibique manus afferat. Quocirca argutè idem Seneca iram ruinis simillimam esse dixit, quæ supra id, quod opprẹssere, frangũtur. Plutarchus verò hac ratione inductus, iram homicidio peiorẽ esse ait. Homicida namq. aliũ perire sine suo detrimento vult: at ira non hoc conatur, ne quid ipsa patiatur

Simile.

Simile.

Lib. 1. de ira.

Sextius apud Senecam.

Vbi suprà lib. de cohibenda ira.

patiatur mali, sed vt malè etiam habeat, modò funditus perdat alium. Quòd si aliquando ea felicitas (vt ipsi putant) iratis contingat, vt illatis in alterum iniuriis aut cōtumeliis, furorē suum expleant; quam grauiter paulo pòst ob patratū scelus (cùm furor ille deferbuit, & pristinæ serenitati animus redditus est) discruciātur? Alexāder ille rerum dominus, & cupiditatum seruus, vbi ira & furore percitus, Clitum, inter amicos charissimum, interfecisset, seipsum postea, sceleris pœnitētia ductus, interficere voluit. Iam verò qui hac furia exagitati, manus suas aliena cęde cruentarunt, & de hoste supplicium sumpserunt, quàm longo deinceps tempore, quàm multis periculis & laboribus, quot calamitatibus & iacturis suis suorumq. omnium, breuem illā vindictæ voluptatem, Reipublicæ magistratibus sceleris vltionem expetentibus, luere solent? Peregre enim proficisci, alieno cælo vti, à suorum cōplexu diuelli, maximasq. opum suarum iacturas perpeti necesse est, quo à legum & iudiciorum seueritate tuti esse valeant. Quid? quòd istis frequenter neque cibus, neq. somnus, nec iocus, neque ludus, vel tutus, vel gratus esse potest, cùm pericula vndiq. capiti suo ab aduersariis impendere videāt? quæ quāuis nulla sint, ipsa tamen sceleris conscientia, & illata iniuria menti sæpe obijcit, & fingit. Quanto igitur felicius esset, primum illum iræ impetum consilio regere, & exigua mora temporis refrigerare, quàm ob hanc adeò breuem & ferinam voluptatem, tam diuturnis & acerbis calamitatibus exagitari!

Neq. verò illi, quibus impunè sæuire in alios licet, ab omni prorsus pœna immunes sunt: satis enim pœnarum dat, qui viscera sua rabido furore priùs laniat, quā in alios desæuiat. Quo enim furore Saulis Regis animus lacerabatur, quando sine vlla vera luminis suspicione, septuaginta sacerdotes Domini, vestitos Ephod lineo, ante oculos suos strangulari pręcepit? Nec hac feritate contentus, sacerdotum ciuitatem, nihil cōmeritam ferro vastauit, nulli vel sexui, vel ordini, vel ætati parcens: quodq. immanius est, & boues, & oues, & camelos, & asinos in ore gladij interfecit. Quo igitur furore intus agebatur, qui omnē planè humanitatem exutus, non tā ferarum quàm dæmonij crudelitatem hoc scelere imitatus est? Quid enim atrocius vel ipsi etiam dæmones designare potuissent? Sed quid in re apertissima iam dudum moror, cùm res ipsa loquatur, iram quidem, dęmonum furorem & rabiem; mansuetudinem verò, Angelorum lenitatem & tranquillitatem imitari? Hinc illud est Psal. Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Vnde enim pax, nisi ex lenitate & mansuetudine nascitur? In Euangelio verò Dominus ad lenitatis & humilitatis suæ nos imitationem inuitat, quòd hac ratione animabus nostris,

2. Reg. 11

Psal. 36.

Mat. 11.

ſtris, requiem (ad quam humana mens ſemper aſpirat) inuenire poſſimus. Plutarchus verò placabilitatem & manſuetudinem nulli familiarium atq. ſeruorum perinde gratam eſſe ait; nulli tam amicam & omni moleſtia carentem, quàm ipſis quibus ea virtus adſit. Omnibus enim amabilis & grata, ſed multo magis habenti gratiſſima, omniq. moleſtia libera eſt. Hæc de iræ cruciatu, & manſuetudinis iucunditate.

Lib. de cohibenda ira.

V.

Nunc ad voracitatis & gulæ vitium, quod quinto loco inter capitalia crimina numeratur (quod voluptariis hominibus iucundiſſimum inter cætera vitia creditur) veniamus. Verùm ego facilè oſtendam, multo plus in ſobrietate ac temperantia, quàm in gula & ingluuie voluptatis eſſe. Primùm enim, edentium voluptas (vt D. Chryſoſt. ait) non tam in eduliorũ pretio, quàm in edentis fame poſita eſt. Quam ſententiam Salomon confirmat his verbis: Anima ſaturata calcabit fauum; anima autem eſuriens etiam amarũ pro dulci ſumet. Vnde cùm quidam Socratem properè ante cœnam deambulantẽ rogaſſet cur ita properaret; ille, Paro, inquit, mihi obſonium ad cœnam. Fames enim illa, ſudore & exercitatione cõparata, inſtar ſuauiſſimi obſonij illi erat, quæ cibos ſine arte condiret. Quid verò ſobrij & ebrij, tẽperati & intemperãtis diſcrimina cõmemorem? In dubium vocari certè non poteſt quod Eccleſiaſticus ait: Vigilia, & cholera, & tortura viro infrunito; ſomnus ſanitatis in homine parco. Dormiet vſq. manè, & anima illius cum ipſo delectabitur. Et iterum; Quàm ſufficiens eſt, inquit, homini erudito vinum exiguum! & in dormiendo non laborabis ab illo. Hinc nobilis quidam vir, parca & philoſophica cœna à Platone inuitatus, cùm placidè noctem illam, & conſequentem etiam diem, ſtomacho minimè laceſſente, tranſegiſſet, & ſequenti die eiuſdem cœnæ conuiuam obuium excepiſſet; Vos, inquit, Philoſophi altero etiam die conuiuamini: ſentiens videlicet, ſobrietatem in conuiuiis, duplicatum eſſe conuiuium; propterea quòd cœnæ frugalitas & noctem & diem conſequentem quouis epulo lætiorem efficiat. Iam verò ſi & ſanitatem quam temperantia efficit, & morbos quos ingluuies & intemperantia parit, hoc in loco recẽſere velim, nónne facilè apparebit multo eſſe temperantiam intemperantia ſuauiorem? Quid enim aliud multos morbos, niſi multa fercula fecerunt? Quam quidem ſententiam eleganter & copioſè Seneca perſequitur his verbis: Medicina quondam paucarum fuit ſcientia herbarum, quibus ſiſteretur fluens ſanguis, vulnera coirent. Paulatim deindein hanc peruenit tam multiplicem varietatem. Nec eſt mirum tunc illam minus negotij habuiſſe, firmis adhuc ſolidiſque

Chryſoſt.

Prou. 12.

Eccli. 31.

Ibidem.

Sen. lib. natur. 4.

corporibus,cùm facili cibo, nec per artem voluptatemq. corrupto,alerentur. Qui postquam cœpit nõ ad tollendã,sed ad irritandã famem quæri, inuentæ sunt mille conditura, quibus auiditas excitaretur;& quæ desiderantibus alimenta erant, onera sunt plenis. Inde pallor,& neruorum vino madentium tremor; & miserabilior ex cruditatibus quã ex fame macies. Inde incerti labẽtium pedes, & semper,qualis in ipsa ebrietate, titubatio. Inde in totam cutem humor admissus, distentusq. venter, dum malè assuescit plus capere quàm poterat. Inde suffusio luridæ bilis,& dedecor vultus,tabesq.in se putrescentiũ,& retorti digiti articulis obrigescentibus, neruorũ sine sensu iacentium torpor, aut palpitatio corporum sine intermissione vibrantium. Innumerabilia præterea febrium genera, aliarum impetu subeuntium,aliarũ tenui peste repentium,aliarũ cum horrore, & multa membrorum quassatione venientium. Quid alios referam innumerabiles morbos, supplicia luxuriæ? Immunes erant ab istis malis qui nondũ se deliciis soluerant, qui sibi imperabant, sibi ministrabãt, corpora opere ac verò labore durabãt,aut cursu defatigata,aut venatu, aut tellurem versantia: excipiebat illos cibus,qui nisi esurientibus placere poterat. Itaq. nihil opus erat tam magna medicorum supellectile, nec tot ferramentis atque pyxidibus. Simplex erat, ex simplici causa,valetudo; multos morbos,multa fercula fecerunt. Hactenus Seneca. Denique (vt paucis rem absoluã) ea est sobrietatis atq. tẽperantiæ iucũditas eaq.contrà intẽperantię,ob stomachi cruditatẽ & morbos ex ea consequentes,amaritudo,vt Plutarchus iis,qui voluptatem sibi maximè expetendã persuaserunt, sobrietatem pręcipuè ad hoc ipsum amplectendã esse, apertissima ratione demonstret. Morbi,inquit,non tam multa negotia,nec tot spes,neq. tot peregrinationes, nec tam multa exercitia nobis eripiunt ac perdunt, quàm multas adimunt voluptates. Vnde fit, vt, qui maximè sectantur voluptatẽ, his minimè expediat corporis sanitatẽ negligere. Siquidem permulti sunt, quibus aduersa valetudo nequaquã est impedimẽto, quo minùs philosophiæ dent operam, aut rem etiam exerceãt militarem,aut imperium administrẽt: at corporis voluptates eiusmodi sunt, vt his in morbo frui nullo modo possint. Videtis ergo, fratres, quanto sit sobrietas ebrietate & intemperantia iucundior?.

Plutarchus.

VI

Iam ad inuidiam,& inuidiæ aduersam charitatem veniamus; sed in hac cõparatione quid multis opus est,cùm satis constet, eã esse vtriusq. habitus huius naturam, vt,quod alteri cruciatus, alteri lętitiæ materiã prębeat? Vt enim aliena felicitate torquetur inuidia;ita hac potissimùm vera charitas exultat atq.triumphat.

phat. Cùm enim inuidiæ propriũ ſit de aliena proſperitate cruciari; conſequens eſt, vt, quidquid in aliis felicitatis & lætitiæ fuerit, inuido mœroris & infelicitatis occaſio ſit: vt eleganter in inuidorũ ſuppliciũ Seneca optare dicat, oculos eorũ per cunctas ciuitates circumferri, quo de omnium hominũ felicitatibus triſtarentur. An obſcurũ eſſe poteſt, quàm miſerè humana pectora inuidiæ peſtis dilaceret? Hinc clariſſimi quique auctores infeſtiſſimis atq. acerbiſſimis rebus inuidiæ morbum ſimilem eſſe dixerunt. Diuus quidẽ Chryſoſtomus ſpirituale animæ tineam illã eſſe ait. Sicut enim tinea veſtimẽtum; ita inuidiã liuidi hominis viſcera exedere. D. autem Baſilius æruginiillã ſimili ratione comparat. Sicut enim ferri durities ferrugine abſumitur; ita inuidi præcordia ſpirituali hac ærugine deteruntur. Plutarchus verò eam nõ minùs appoſito nomine vlcus animæ appellauit, à quo prurigo ſemper triſtitiæ & maleuolentiæ manaret. Socrates autẽ animę ſerrã eſſe dixit, quæ miſerũ animæ pectus aſſiduo cruciatu cõſumit & cõficit. D. porrò Auguſt. hoc vitium diaboli proprium eſſe ait, & ab eo in corda hominũ immiſſum. Non enim (ait) Diabolus damnatur propterea quòd adulteriũ cõmiſerit, aut furtũ fecerit, aut rem alienam rapuerit; ſed quia homini ſtanti lapſus ipſe continuò inuidit, & inuidia ſua in orbem terrarum mortem intulit. D. verò Chryſoſt. deteriorẽ adhuc hominis quàm dæmonis inuidiam eſſe ait; propterea quòd dæmon quidem non dæmonibus, qui eiuſdem naturæ participes ſunt, inuidet; homo verò in nullũ magis quã in naturæ ſuæ conſortẽ inuidiæ liuore deſæuit. Quale autem, quàm funeſtum, quàm tabificum illud vitium erit, quod à tali fonte manauit! Quamuis autem (vt D. Greg. ait) per omne vitiũ, quod perpetratur, humano cordi antiqui hoſtis virus effunditur, in inuidia tamen tota viſcera ſua ſerpens concutit, & imprimẽdæ malitię peſtem vomit. Quo ergo furore, quo œſtro exagitabuntur ea corda quę tam diro veneno tincta & infecta ſunt? Hinc non ineleganter Gregorius Theologus hoc vitiũ inter cętera omnia & iniùſtiſſimum ſimul & iuſtiſſimum eſſe ait: illud, quia viros bonos & felices inſectatur; hoc verò, quia auctorẽ ſuũ grauiùs torquet, quàm illum ipſum cui infeſtum eſt; atque ita ipſum de ſe ipſo meritas pœnas ſumit. Cuius quidem morbi cruciatus Cypr. in ſerm. de zelo & liuore, elegantiſſimè ſimul & copioſiſſimè perſequitur, ad quẽ ſtudioſum lectorẽ remitto. Vt autem inuidia nihil amarulentius; ita contrà charitate (quę illi aduerſatur) nihil iucundius, nihil blandius, nihil ſuauius. Charitas enim (vt Apoſtolus ait) patiens eſt, benigna eſt, non ęmulatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati. In charitate enim (vt D. Auguſt. ait) aut non labo-

Seneca in epiſt. · *Simile.* · *Chryſoſt.* · *Baſil.* · *Simile.* · *Plutarch.* · *Simile.* · *Auguſt.* · *Chryſoſt.* · *Gregor.* · *Nazian.* · *Cyprian.* · *1. Cor 13.* · *Auguſt.*

laboratur,aut ipse etiam laboramatur. Itaq. tãtum abest,vt aliquid amaritudinis in charitate sit,vt ipsa omnium aliarum virtutum amaritudinem (si qua fuerit) suauitate sua in dulcedinẽ vertat. Tantum enim abest vt aliena felicitate offẽdatur,vt vix vlla in re maiori lætitia efferatur. Non enim vt aliena, sed vt sua,aliorũ bona reputat:ideoq.nõ vt alienis,sed vt suis,gaudet. Quæ cùm ita sint,satis apparet,quantum amarulentię & acerbitatis liuor;quantum verò suauitatis & iucunditatis habeat illi contraria charitas; quæ non suis modò bonis, sed omnium hominum felicitate lætatur.

VII.

Superest vitiorum extremũ,acedia,cui spiritualis alacritas, & deuotionis virtus aduersa est. Illius enim est,hominẽ ad omnia virtutis & pietatis officia morosum,segnem,ac tardum efficere; huius autem promptum, alacrem & expeditum reddere. Acedia namq.animæ lãguor & tristitia est,quæ spiritualia bona nõ minùs insuauia facit, quàm sit ægroto, fastidio laboranti,salutaris cibus. Vtrique enim, & acedioso,& ægroto,fastidio est,quidquid innoxium & salutare est. Quo exemplo facilè vtriusque habitus, ratio, & natura agnoscitur. Sicut enim æger fastidio laborans,nullamq.in edendo voluptatem capiens, vsq. adeò graui in comedendo molestia afficitur, vt interdum ne mortis quidem metu induci ad edẽdum possit; cùm contrà qui bona valetudine est, magnam in edendo capiat voluptatem; ita planè qui propter acediam spiritualia cuncta fastidit, grauẽ, dum illis vacare compellitur,molestiam patitur:qui verò deuotionis virtute præditus est, maximam, dũ rebus diuinis operam dat,voluptatem percipit. Vnde est illud: Gaudium est iusto facere iustitiam. Quod quidem exemplo suo Propheta cõfirmat, cùm ait: In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitiis. Quod vt clariùs perspiciamus,duos nobis ante oculos fideles proponamus: alterum acediæ morbo laborantem,alterũ deuotionis virtute vigentem. Huic igitur quæcumque ad fouendam atq.nutriendam deuotionem iuuant,nempe ieiunium, silentiũ,oratio,sacra lectio, Sacramentorum perceptio,& solitudo, quietis & orationis amica, nõ dubiũ quin gratissima sint. Hinc D. Hieronymus: Viderint, ait, quid alij sentiant; vnusquisque enim suo sensu ducitur. Mihi oppidum, carcer; solitudo,paradisus est. Ad eandem quoq.solitudinem simili studio Magnus ille Antonius monachus properabat. Is namq. vt D. Athanasius scribit, post clarissima miracula (quæ in Alexandria cõtra Arrianorum perfidiã,mirãtibus & lætãtibus populis,ediderat) in hoc præcipuè lætabatur,quòd hoc religionis officio functus,ad desideratam solitudinem remearet. Hoc igitur

Simile.

Prou. 21.

Psal. 118.

Hieron. in epist.

Athanas.

tur animo, hoc ſtudio bona opera, qui deuotionis ſpiritu feruent, perſequuntur. At qui acediæ morbo laborat, quã grauia & oneroſa hæc omnia putat! Ieiunia illi moleſtiſſima ſunt, inſuauis ſacra lectio, inſuauior oratio, faſtidioſus paulo longior de Deo ſermo, ſolitudo ingrata, quies & ſilentium moleſtiſſimum, ſacramentalis verò cõfeſſio planè tormentum eſt. Cùm enim redeunte anno cõfitendi tempus aduenit, quot illã diebus differt! quàm difficile ſe ad eã præparat! quot moras quotidie nectit! quoties itque reditque domum! non diſſimilis ægrotis, qui amarum pharmacũ bibituri, horrent, differunt, tergiuerſantur, moleſtiſſimeq. ſumunt, quod neceſſariò illis ad ſalutem ſumendum eſt. Qua ex re obiter colligere licet, omnia monaſticæ vitæ inſtituta, ſi deuotionis ſuauitate cõdiantur, eſſe quidem ſuauiſſima; ſi verò acediæ morbus monachi mentem occupet, eſſe acerbiſſima. Quam ob cauſam Apoſtolus legem non iuſtis, ſed iniuſtis poſitã eſſe ait. Cùm enim lex Domini, iugum & onus appelletur, hoc quidem nomen apud illos non retinet, qui in lege Domini, velut in omnibus diuitiis, oblectantur: retinet autem apud illos, qui propter hunc acediæ morbum, onus graue, & iugum ferreum eſſe arbitrantur.

2. Tim. 3.

Quæ cùm ita ſint; quis, quæſo, fratres, hac vitiorum & virtutum collatione facta, nõ luce clarius videat, piorum vitã vt honeſtiſſimã, ita & iucundiſſimam; contrà verò improborum non minùs laborioſam & acerbã, quàm pernicioſam & turpem eſſe? Nihil enim ſubterfugimus, nihil intactũ reliquimus, ſed æqua lance vitia ſimul, & virtutes illis aduerſas, in omnium conſpectu appendimus; vt quid acerbum, quid ſuaue eſſet, vtrimq. collatione facta apertiſſimè cerneremus. Quæ cùm ita ſint (neque enim negare rem adeò apertã poſſumus) quid, quæſo, dementius, quid indignius, quid magis deplorandum, quàm virtutem omnibus diuinis ornamentis cumulatam, rerumque omnium reginam propter falſam amaritudinis ſpeciem relinquere; & improbitatem atque iniuſtitiam, quæ malorum omnium origo & ſeminarium eſt, non quidem falſis, ſed veriſſimis laboribus & cruciatibus cinctam amplecti? Vos igitur, fratres, ante quorum oculos vtriuſque rei facies propoſita eſt, ſi hactenus communi errore deluſi, virtutem, vt horridam atq. difficilem, fugiebatis, iam nunc, quæſo, patefacta veritate, vt ſuauiſſimam & iucundiſſimam (certè vitiis multo iucundiorem) amplecti debetis; ac Dominum ipſum, per Salomonem vobis obuiam prodeuntem, & manum porrigentem, ſeq. cuſtodem vitæ, & itineris ducem pollicentem, audire dicentem: Ducam te per ſemitas ęquitatis; quas cùm ingreſſus fueris, nõ arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum. Huic igitur teſtimonio creda-

Prou 4.

credamus,& huic voci, non dementis & insani vulgi erroribus, fidem habeamus; hunc certissimum vitæ ducem sequamur, qui nos in hoc mari magno & procelloso gradientes,per has clarissimarum virtutum semitas,quas oratione persecuti sumus, felici cursu ad optatum salutis portum & patriam perducet claritatis æternæ.

IN FESTO B. THOMÆ AQVINATIS,

CONCIO PRIMA: IN QVA, DE TRIBVS admirandis D. Thomæ virtutibus, hoc est de sapientia, castitate,& humilitate, agitur.

THEMA. *Mirabilis Deus in Sanctis suis.* Psal. 66.

HANC breuem Prophetæ sententiam,fratres charissimi, in hodierna concione tractandã suscepi, quæ Deum non modò in cæteris operibus,sed in Sanctis suis maximè mirabilem esse testatur. Quod cùm de omnibus in commune Sanctis verè à Propheta dictum sit; de beatissimo tamen Patre nostro D. Thoma propter admirãdam eius sapientiam, cæterasq. virtutes singulari quadam ratione dicitur. Vt igitur hoc argumentum vtiliter& religiosè tractare possimus, cæleſtem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Duæ sunt præcipuę causæ, fratres, propter quas Ecclesia quotidie vitas & exempla Sanctorũ nobis ob oculos ponit: altera, vt per eos clariorem diuinæ bonitatis notitiã adipiscamur; altera, vt per eorũ imitatione tot clarissimarum virtutũ exemplis propositis accingamur. A priori igitur illa causa exordiũ capientes, constat felicitatis & salutis nostræ initiũ in Dei cognitione positum esse. Omnis enim homo (vt D. Hieronymus ait) absque conditoris sui cognitione, bellua, non homo, existimandus est: Deũ verò in hac vita per magnifica ipsius opera cognoscimus. Est enim effectus omnis (vt Philosophi tradunt) participata quædam suæ causæ similitudo: ideoq. speciem nobis, & veluti eius simulachrũ exhibet. Quemadmodum enim ex fructu cognoscitur arbor, & ex fabrica operis opificis ars atq. peritia; ita ex effectibus virtus & præstantia causæ cognoscitur. Cæterùm quo effectus nobilior atq. præstantior, eo illustriorẽ causã suam esse declarat. Cùm autem inter omnia diuinæ virtutis opera principem locum opera gratiæ teneant (quæ ad rationalis creaturæ

Hieron.

Simile.

turæ sanctificationem destinata sunt) vix quidquam est, quod in hac vita maiorem nobis diuinæ bonitatis atq. virtutis cognitionem, quàm exempla & opera Sanctorum præbeāt. In quibus (vt alia prætereamus) diuinę bonitatis magnitudinē ita cognoscimus, vt cum Propheta exclamare cogamur: Quàm bonus Israël Deus iis qui recto sunt corde! Hoc est, quàm benignus, quàm misericors, quàm exorabilis, quàm amabilis pater, quàm pius Dominus, quàm fidus amicus iis qui recto sunt corde? Psal. 72.

Nec sola Dei erga pios bonitas & benignitas, sed admiranda quoq. eius virtus & potētia hac ratione cognoscitur. Quid enim potentius & mirabilius, quàm ex carne spiritū, ex terreno cælestem hominem efficere; & impura carne septum, angelicæ vitæ puritatem imitari? Hinc Paulus, Non, inquit, erubesco Euāgelium; virtus enim Dei (siue vt alij verterunt) potentia Dei est in salutē omni credenti. Quod perinde est ac si diceret: Non pudesio, cùm Christum crucifixum, Iudæis quidē scandalū, Gentibus verò stultitiam, prædico. Quam quidem prædicationem, non ignominiā, sed Euangelium gloriæ Dei magna voce nuncupo. Cur ita? Quia virtus Dei est, in salutem omni credenti: hoc est, quia sub illa infirmitatis imagine latet admirāda vis & potētia Dei. Quam quidem vim Regius Propheta designauit, quando Christum Dominum alloquens ait: Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. Quæ verò potentia hæc? quis hic gladius est? Certè nō alius quàm qui hoc in loco à Paulo virtutis & potentiæ nomine designatur. Quòd si hanc salutarē vim & potentiam agnoscere velis, in sanctorū Martyrum, Virginum & Confessorum pręclarissima gesta oculos conijce: omnia enim eorum magnifica opera, ineffabilem diuinæ virtutis & gratiæ vim & potentiam prædicant atq. testantur. Atq. (vt alia huius rei argumenta prætereamus) quænam obsecro illa vis fuit, qua inuictus Christi martyr Vincentius immanissimo Tyranno dixit: Insurge, & toto malignitatis spiritu debacchare: videbis me, Dei virtute, plus posse dum torqueor, quàm possis ipse qui torques. Quod eius responsū nō minùs verè quàm animosè dictum fuisse, exitus cōprobauit; quando ipse Tyrannus post tam multa & dira tormēta in vnū corpus inflicta, cùm eius inexpugnabilem fidem atque constantiam nullo modo frangere potuisset, tandem ait; Victi sumus. Quæ itē vis illa fuit, qua beatissimus Laurentius Tyranno varia tormentorum genera minitanti subridens dixit: Infelix, has epulas ego semper optaui. Cumq. idem in craticula subiectis prunis assaretur, tam inuicto & alacri animo ardentiū flammarū cruciatum pertulit, vt vocē illam admiratione dignissimam emiserit: Hæ flammæ mihi refrigeriū præstant. Sed viros omittamus. Quæ Rom. 1. Psal. 44.

vis

vis illa fuit, quam B. Cyprianus inter Martyrum laudes cōmemorat, vbi fęminam tortam, viris torquentibus fortiorē esse dicit? Quæ vis illa fuit, quæ multarum virginum pudorem adeò illæsum integrumq. seruauit, vt ne in longissima quidē vita non opere, nō verbo, nō vel sola cogitatione hunc virginitatis candorem aliqua labe fuscauerit? Quæ vis illa fuit, quæ multos itē sanctorum Patrum toto vitæ spatio non modò ab hac impuritate, sed ab omni etiam capitali crimine immunes conseruauit? Quod quidem munus beatissimo Patri Dominico, Petro Martyri, Catharinæ Senensi, & D. Thomæ tributum fuisse (vt alios prætereamus) res eorū gestæ, & vitæ innocentissimæ acta declarant. Post beati enim Thomæ gloriosum exitū F. Reginaldus, fidissimus eius socius, in frequentissima concione se totius vitæ confessionē audiuisse testatus est, neq. vllū prorsus in ea lethiferum crimen deprehendisse. Sed Sanctos, qui Ecclesiæ laudibus celebrantur, omittamus, & ad pios quosq. homines transeamus. Quæ vis illa est, quæ facit, vt homo carnis fragilitate septus, quæ spōte sua, sola corporea & terrena bona (quæ sensibus vsurpare potest) cōsectatur, his omnibus spretis atq. repudiatis, ad sola inuisibilia (quę nec oculis cerni, nec manibus attrectari, nec vllo externo sensu percipi possunt) tota auiditate festinat? Quæ vis illa est, quæ in summa rerum omniū egestate, sine vllo terrenarum rerū splēdore & apparatu, eā piorū animis quietē & tranquillitatē tribuit, vt nihil aliud in hac vita desiderēt, quàm quod habent? Quis enim piorum hominū spirituales opes atq. delicias, quis firmitatem in eo quod credunt, pacem in eo quod sperant, gaudiū in eo quod amant, iucunditatē in eo quod desiderant, patientiam in eo quod tolerant, robur & alacritatem animi in eo quod aggrediuntur, oratione consequi possit? Hæc igitur interna diuini Spiritus opera an non satis mirabilē Dei vim & potentiā declarāt? Hinc D. Aug. in Epist. ad Paulinū (qui de vxoris consensu secesserat, & mundū relinquens, omnia quæ habere poterat, pauperibus erogauerat) nihil esse ait Christianæ charitati dulcius aut iucundius, quàm cùm videt homines alacri animo cunctis mundi opibus & voluptatibus renunciare; quod diues ille adolescēs in Euangelio facere recusauit, ideoq. tristis audita Dñi voce, recessit. In hac enim terrenarum rerum abdicatione, quas homines auidissimè cōsectantur, diuinæ potentiæ virtus maximè cernitur. Verè enim admiratione dignū est, humi repentes homines multo se feliciores rerū omniū despectione, quàm earundē possessione reputare, maioribusq. delicijs frui nihil habentes, quàm si omnia possiderēt. Quam rem facilè D. Thomæ exemplo cōprobare licebit, qui tanto paupertatis & professionis suæ amore tenebatur, vt summa vi precū à beatis-

August.

Luc. 12.

beatissima Virgine impetrare cõtenderit,ne vnquã professionis suæ conditionẽ sublimiori aliqua dignitate cõmutaret. Quam rem ab eadẽ beatissima virgine obtinuit,quę se illi externa specie videndã exhibẽs,hoc ei pro magno munere cõcessit. Hunc, quæso,mihi animũ, fratres, cũ Alexãdri magni ambitione cõferte:-qui cũ Anaxarchũ Philosophũ,infinitos alios mũdos esse affirmantẽ,audiuisset,flesse dicitur,quòd ipse vni⁹ tantũ imperiũ nondũ esset adeptus. Quid igitur hoc animo in tanta rerum opulẽtia miserius? quid vero illo in tãta paupertate felicius? An non igitur hæc adeò magnifica diuini Spiritus opera eius vim atq.potentiã apertè prædicãt;quæ facit,vt homines in paupertate diuitias,in humilitate gloriã,& in laboribus quietẽ atq.lætitiã inueniant? An nõ igitur verissimè ab Apostolo dictum est, Virtutem & potentiã Dei in Euãgelio prędicari. Hęc igitur facit,vt huius tãtæ virtutis auctor,in Sãctis suis mirabilis esse dicatur;& ita mirabilis,vt lõgè mirabilior sit in vni⁹ creaturę sanctificatione, quã in tota vniuersitatis huius fabrica & molitione. Quo fit,vt vir iustus,qui plura de Deo suo, per ea quæ facta sunt agnoscit,plura etiã,per ea quæ intra se operatur,intelligat. Hinc D.Greg.locũ illũ B.Iob enarrãs; Cũ te consumptũ putaueris,orieris vt Lucifer: Iustos,ait,per Luciferũ esse accipiẽdos; cùm propter alia, tum vel maximè quia in ipsis cognoscimus Deũ,quẽ nõ videmus: quemadmodũ per Luciferi ortũ proximè venturũ Solẽ agnoscimus. Quæ cũ ita sint,meritò sanè Ecclesia res gestas Sanctorũ nobis ob oculos ponit, vt per eas in diuinæ virtutis,summæq.illi⁹ bonitatis cognitione indies proficiamus.

Rom.1.

Gregor. Iob.11.

Est & altera pij huius instituti causa, quòd hac ratione nos eadẽ Ecclesia,propositis tot Sanctorũ exẽplis,ad eorũ imitationẽ accẽdere intendit. Quid enim prætexere possumus, quo ab hac imitatione retrahamur,quando & eiusdẽ naturæ consortes sumus, eundẽq. Dñm colimus, qui sine personarũ acceptione gratię suę dona omnibus elargiri paratus est? Fidelis quippe est, & seipsum negare non potest. Magnus enim ad pietatẽ & virtutem stimulus bonorũ exempla sunt,quæ & virtutis iter monstrant,& facilẽ viam à multis tritã ostẽdunt, & nõ sequẽtes arguũt,atq.pudore suffundunt. Quod quidẽ sacra illa Ezechielis animalia nos docẽt,quæ sese mutuo alis percutere,& ad volandũ incitare perhibẽtur. Vt enim Greg. interpretatur,is planè ala sua me percutit,qui exẽplo suo me ad bene viuendũ prouocat. Nec ad benè viuendũ modò, sed ad ferẽda quoq.huius vitę incõmoda & labores,exẽpla Sãctorum mirè adiuuãt. Cùm Abdemelech Aethiops Hieremiã à cœnulẽto lacu (in quẽ Sedechiæ Regis tyrãnide proiectus fuerat) demissis funib⁹ extrahere vellet,proiecit illi simul veteres pannos,& antiqua vestimẽta quæ

2.Tim.2.

Ezech.1.

Gregor.

Hier.38.

com-

computruerant,præcepitq́. vt iis vestibus,sub vtrisq.cubitis applicitis,funes deinde subijceret,ne eius brachia, dum à lacu extraheretur,grauiter lęderentur.Quid autē per hos veteres pannos & antiqua vestimenta,nisi veterū Patrum exempla,& virtutum ornamenta intelligimus? Hæc ergo dum piè & religiosè cogitamus,facilè eorum comparatione incōmoda nostra (quæ sunt multo leuiora) sustinemus. Vnde est illud Greg. Facta præcedentium pensemus, & grauia non sunt quæ toleramus. Hæc igitur exempla pius homo sibi frequenter ante oculos ponere debet, vt & leuius mundi huius aduersa ferat, & (quemadmodum diximus) ad hoc exemplar vitam & mores suos effingat. Hinc D.Basilius: Quemadmodum, inquit,pictores,cùm imaginem aliquam ad alterius exemplar exprimere volunt, identidem exemplar ipsum spectantes,illius lineamenta & colores ad viuum referre conantur,ita quisquis se ipsum studet virtutibus cunctis perfectum reddere,debet in hoc elaborare, vt quasi ad simulachra motu & actione prædita (vitas dico sanctorum Patrum) sæpe oculos animi conuertat, vt eorum in se puritatem & innocentiam transferre valeat.

Gregor.

Basil.
Simile.

Cùm igitur hæ sint præcipuæ causæ, propter quas Ecclesia Sanctorum festa celebrat,ideo ad hūc veluti scopū referēda ea sunt quæ dę D. Thomæ laudibus in præsenti concione tractabimus.Quia verò longū esset omnes eius virtutes recēsere; tres ex iis,quæ in eo præcipuæ esse videntur,attingemus;nempe incomparabilem eius sapientiam, purissimam castitatem, & altissimam humilitatem: quibus diligenter inspectis, quàm sit Deus in Sanctis suis mirabilis,facilè intelligemus.

I.

Ab hac eius ergo incomparabili sapientia exordiū capientes, multa in eo deprehendemus singulari quadam admiratione dignissima.Inter quæ primum est,eius doctrinæ dignitas & excellentia: constat enim sine vlla controuersia,illum inter scholasticos Ecclesiæ Doctores principem locum obtinere,eosq́.ita superare,vt matutinus Lucifer cætera cæli sidera splendore suo vincit.Quo fit vt in omnibus sacris Cōciliis,quę post eius mortem celebrata sunt, Patres ea definierint quę D.Thomas antea docuerat. Quam rē ipsa Conciliorum decreta satis indicāt,quæ miro modo cum sancti Doctoris doctrina cohærēt. Nec solùm dignitas & excellentia, sed veritas etiam & sinceritas doctrinæ in eo præcipuè cōmendatur: quod quidem partim diuinæ gratiæ,eius calamum regenti,partim admirandæ ipsius humilitati tribuendum est.Quo factū est, vt Spiritus ille cælestis,qui mysteria sua paruulis reuelare solet,tanta paruulum hunc imbuerit sapientia. Non enim frustra dictum est: Vbi fuerit superbia,

Prou.11.

ibi&

ibi & cõtumelia;& vbi humilitas,ibi & ſapiẽtia. His adde multiplicem doctrinæ varietatem,in qua cæteros omnes plurimùm antecellit. Alij namq. ſacri Doctores vel in exponendis ſcripturis,vel in hęreticis confutandis,aut hominibus ad pietatem inſtituendis ferè verſantur; ideoq. mirum non eſt,eos in vno aliquo argumẽti genere excellere,quod ſolum ſectati ſunt: at ſanctiſſimo huic Doctori cõuenire videtur quod de Salomone dictum eſt,diſputaſſe videlicet à cedro quæ eſt in Libano, vſq.ad hyſſopũ,quæ egreditur de pariete. Nihil enim fuit de quo Doctor ſanctus non diſſereret. A Dialectica enim exorſus, vniuerſam Ariſtotelis Philoſophiam, Naturalem, Moralem, Metaphyſicen explanauit;& ita explanauit, vt queadmodum ij qui corpora ſecãt, vt Anatomen addiſcãt,ita ipſe in ſingulis Philoſophi capitibus velut anatomiam exercet,dum minimas etiam eius partes diſſecat: quod ſine magno certè ſtudio & ingenio fieri nõ potuit. Iam verò in Theologia quid intactum reliquit? Commentaria in magiſtrum Sententiarum edidit; ſummam Theologiæ complexus eſt;cõtra Gentes diſputans, miris rationibus fidei noſtræ dogmata confirmauit; multa item ex ſacris literis volumina interpretatus eſt, & innumera alia opuſcula edidit, quæ recẽſere longum eſſet. Cumq. inter ſacros Doctores Auguſtinus,Hieronymus,& Chryſoſtomus eo nomine celebrentur,quòd plurima ſcripſerint; D. Thomas hoc nomine ſuperior eſt:longè enim plura quàm quiſquã eorũ ſcripta reliquit;quod facilè voluminũ moles & numerus declarat. Quę res eo mirabilior eſt,quòd ſancti Doctoris vita exiguo annorũ numero definita fuerit, cùm cæteri Patres longè diutiùs in vita mãſerint. Quid ergo mirabilius,quàm hoc tam breuis æui ſpatio tam multa & varia didiciſſe? tam multa legiſſe? tam multa memoria cõplexum fuiſſe? tam multa deniq. literis conſignata poſteris tradidiſſe? An non ergo verè mirabilis Deus in Sanctis ſuis,qui tam ingentes theſauros in vaſe fictili potuit collocare?

3. Reg 9.

Simile.

II.

Sed à ſapiẽtiæ laude digreſſi,ad pudicitiæ gloriã,quæ puritate ſua ad diuinæ lucis radios excipiẽdos mentẽ præparat,trãſeamus. In quo virtutis genere illud primo loco ſciendũ eſt, ad omnes penè virtutes naturã ipſã nos aliqua ratione iuuare, ad ſolã autẽ caſtitatis & cõtinentię virtutẽ adeò nõ iuuare,vt magna etiã nobis impedimẽta prębeat. Ad amorẽ quippe in Deum ipſa nos inuitat ſtimulatq. natura, quæ plus caput quã cętera corporis mẽbra,plus totũ quã partes diligere ſuadet: Deus autẽ & caput,& totũ,& omne totius vniuerſitatis huius bonũ eſt. Iã verò ad eleẽmoſynæ & benignitatis officia à natura magnopere iuuamur,quæ piũ miſerationis affectũ nobis indidit,& viſceribus

Luc.10. nostris impressit. Quod facilè Samaritani illius exẽplo discim⁹, quẽ non vera religio, sed misericordiæ affectus ad vulnerati hominis curã extimulauit. Vnde illa sententia manauit; Nihil esse tã secundũ naturã, quã iuuare cõsortẽ naturæ. Ad lenitatis verò & clementiæ, atq. mãsuetudinis officia natura nos ipsa finxisse videtur, quæ & exarmatos, & ciuilis societatis amantes effecit. Ciborum verò parsimoniã, & victus sobrietatẽ, sanitatis & vitę amor à natura nobis ingeneratus (qui frugalitatis virtute cõparatur) à nobis exigit. Idẽ penè de quibusdã aliis virtutibus, quæ ad ciuilis vitæ societatẽ pertinẽt, dici potest: quæ quoniam sunt animi habit⁹ rationi cõsentanei, magnopere cũ rationalis creaturæ ingenio & natura cohærẽt, & ab ea aliqua saltem ratione iuuãtur. Cęterùm castitatis virtus (vt antè diximus) tantũ abest vt à natura iuuetur, vt ab ea vel maximè insitæ naturæ propensione & cupiditate impugnetur: adeò vt, ex Theologorũ sentẽtia nullus inter omnes corruptæ naturæ turbidos motùs neque immanior neq. violentior existat. Quod facilè infinitis propemodũ generis humani ruinis cõfirmare possẽ. Verissimè enim
Prou.7. de hac tyrannica passione à Salomone dictum est: Multos enim vulneratos deiecit, & fortissimi quiq. interfecti sunt ab illa. Adde aliud non minùs formidandũ, quod cæteri quidẽ virtutũ habitus breuioris tẽporis exercitatione parantur. Qui enim initio Quadragesimæ vix ferre ieiunij inediam potest, si superata hac difficultate ieiunare pergat paucis pòst diebus vel nullo vel exiguo labore inedię molestiã perfert. Lõgè tamẽ aliter in castitatis virtute accidit. Nõ desunt enim pij homines, qui posteaquã viginti aut triginta etiam annos hanc virtutem illibatam integramq; seruarunt, nõ minùs tamẽ post hoc tã longũ spatiũ, quã ante illud, varijs imaginibus, & fœdis motibus infestãtur. Vnde
Simile. sicut Philosophi de Rhinocerote truculẽtissimo animãte aiunt, nulla eũ tẽporis diuturnitate ad homines assuescere, cùm tamẽ & leones & tigrides breui etiã tẽporis spatio & mãsuefiant, & cicurẽtur: ita de indomita libidinis cõcupiscentia dici potest, vix eam vllo tẽpore sedari & veluti mansuefieri; propterea quòd in ipsis præcordiis fixã intra nos & permanẽtẽ causã habeat. Hinc multos Sanctorũ legim⁹ diu multũq. hac tẽtatione fuisse infestatos. Taceo stimulũ carnis, quo vas electionis Paul⁹ post raptũ
2. Cor. 12. in tertiũ cęlũ exagitat⁹ est. Taceo nõnullos ex Christi Cõfessorib⁹, qui post cõfessionis gloriã, & equuleos superatos, ab hoc insidioso & molli vitio superati sunt: quos enim tormẽta vincere minimè potuerũt, libido prostrauit. D. Hieron. in eã Epist. quã ad Eustochiũ de virginitate seruanda scripsit, quãta vi ab impuris cogitationibus impetitus fuerit, cõmemorãs ait: Scorpionũ tantũ socius, & ferarũ, sæpe choris intererã puellarũ. Horrebant

bant sacco mēbra deformia,& mens desideriis æstuabat. In arido corpore,& ante hominē suum iā carne præmortua, sola libidinum incendia bulliebāt. In vitis verò Sanctorū Aegypti Patrum legimus, sanctissimā virginē Saram annis quatuordecim à spiritu fornicationis lacessitam fuisse, quæ tamen hoc tā lōgo spatio nunquam à se abigi hunc fœdū spiritum à Dño postulauit: sed cū tentabatur, fortiùs ieiunabat,& orabat attētiùs. Quibus rationibus inductus, iam dudū apud me persuasum habeo, neminē eorū qui corpora sua huic virtuti cōsecrarunt (siue illi clerici, siue monachi, siue viduę,& continētes sint) posse hāc supernaturalē virtutē diu integrā inuiolatamq. seruare, nisi multarū aliarū virtutū prę sidio septū. Nā & caro extenuāda,& mēs assiduæ orationis ac deuotionis adipe impinguāda est,& omnis incendiorū materia & occasio subtrahēda. Ad hæc, omnia periculosa cōtubernia fugiēda: oculorū etiā licentia cōprimenda,& malarū cogitationū initia summa celeritate ab animo sunt abigēda, si hāc Angelorū puritatē perpetuò tueri & cōseruare volumus. Itaque vt lapis angularis in summo testudinis loco stare nequit, nisi inferiorum lapidum positu fulciatur: ita virtus hæc integra & illæsa non erit; nisi aliarum accessione fulciatur. Simile.

Sed ad D. Thomā redeamus: is planè mirabili quodā supernæ gratiæ dono virtutē hanc in eo gradu, quē heroicū appellāt, habuisse videtur. Quod vt apertiùs intelligatis, tres in virtute à Philosophis & Theologis gradus numerātur; infimus, medius, atq. supremus. Et quidē in infimo, quæ cōtinentiæ nomine designatur, certamina tētationum sunt,& rebelles motus; qui tamen rationis virtute frę nantur. Et homo quidē rectè operatur, sed cū labore tamen & animi cōtentione. Secundus verò gradus (qui iam commune virtutis nomē meretur) est, cùm homo virtutis operibus assuetus, rectè operandi habitū acquisiuit; ideoq. promptè & delectabiliter operans, facilè turbidos carnis motus spiritui subijcit. Tertius autē & summus gradus, virtutes, quas heroicas, siue purgati animi appellant, cōplectitur. Quarū temperantiam atq. fortitudinem Macrobius (D. Thoma referente) ita definit: Temperantia purgati animi est, terrenas cupiditates nō reprimere, sed penitus obliuisci: Fortitudinis autē est, passiones ignorare, nō vincere. D. verò Thomas & has & reliquas virtutes cardinales ita definit: Prudētia est, quæ sola diuina intuetur. Tēperantia, quæ terrenas cupiditates nescit. Fortitudo, quæ passiones ignorat. Iustitia, quæ cum diuina mēte perpetuo fœdere sociata est, eam videlicet imitando. Quas quidem virtutes idem D. Thomas ait esse beatorum, aut aliquorum perfectissimorum virorum. Castitatē porrò heroicam D. Ioannes Clim. eā demum appellat, qua homo ita à se ipso deficit, & in diuinæ Macr. 9. D. Th. 1. 2 q. 61. ar. 9 Clim.

 simili-

similitudinis imaginem transit, vt nō magis animo cōmoueatur pulcherrimo corpore inspecto, quàm si marmoreā statuam cerneret. Hanc autem virtutem in hoc summo gradu D. Thomam singulari Dei munere habuisse memoratur. Qua verò ratione hoc tātum donum fuerit assecutus, existimo vos frequenter audiuisse. Cùm enim mater eius & fratres à monasticæ vitæ proposito illum reuocare conarentur, multis aliis rationibus frustra tentatis, hanc nouā excogitarunt, vt speciosam meretriculā ad illū destinarēt, quæ blanditiis femineis pueri innocentiam violaret, & cōstantiam emolliret. At is iustissimo indignationis furore cōmotus, titione ex igne arrepto, illam à se effugauit. Quid autem post hunc triumphū puer innocentissimus fecerit, animū certè meum magnopere afficit. Eodē enim titione, quo pro gladio aduersus castitatis hostē pugnauerat, ceu penicillo quodam vsus, Dominicæ crucis signū in pariete depinxit (nec enim altare aliud, aut sacras imagines sanctus puer habebat) & flexis genibus ante viuificum illud salutis nostræ signum, oratione fusa, suppliciter à Dño inuiolatæ castitatis puritatem postulauit. Quid hîc faceret summa illa atq. immensa bonitas, cùm puellum tredecim annos natū adeò prudenter & viriliter decertantem, & de antiquo generis humani hoste triūphantem in tam tenera ætate vidisset? Quid, inquā, facere debuit summus ille innocentiæ & puritatis amator, nisi quod fecisse memoratur? Duos enim ad illum Angelos destinauit, qui ipsius renes stringentes, In virtute Dei, inquiunt, te cingimus cingulo castitatis, quod nunquam dissoluetur. Cuius muneris adeò fuit efficax gratia, vt ex eo tempore nullū venereæ voluptatis stimulum senserit. Quid igitur hoc dono mirabilius; in carne non secundùm carnem viuere; & ante resurrectionis gloriā, resurrectionis primitias degustasse; & in mortali adhuc corpore constitutū, glorificati corporis naturam referre; & post generis humani lapsum, originalis iustitiæ puritatem corpore in peccatis concepto quodammodo æmulari? Miramur tres illos pueros inter Babylonicæ fornacis ignes sine vllo corporū suorū incendio perdurasse: non minùs certè mirabile est, animam intra corpus originis peccato vitiatum, adeò puram & incōtaminatam permanere. An non ergo apertè liquet verum esse quod initiò proposuimus, mirabilem esse Deum in Sanctis suis?

Dan. 3.

III.

Quamuis autē virtus hęc in sanctoDoctore admiratione digna fuerit, fortasse mirabilior est quam mox referā. Non enim castitatē modò, sed humilitatem etiā in eodē gradu heroico habuisse narratur. Si enim ad heroicā humilitatem pertinet, non solùm superbos motus reprimere, sed nescire; hoc idē in sancti

Doctoris laudibus hodie cecinimus: O munus diuinæ gratiæ, vincẽs quoduis miraculũ, pestiferæ superbiæ nunquã persensit stimulũ. Idem etiã amicis familiariter narrauit, nunquam se ex Dei gratia propter hominũ laudes aut gloriam siue disputandi, siue legendi, siue scribendi, siue cõcionandi animo intumuisse, aut inani gloria se extulisse. Et si quis fortasse primus motus rationẽ anteiret, facilè illum, vbi aduertisset, velut manu à se procul abegisse. Quod quàm mirabile in tanto viro fuerit, facilè intelligetis, si prius superbiæ & inanis gloriæ naturã cognoueritis. Est autẽ superbia, immoderata honoris & gloriæ appetitio. qui quidẽ affectus adeò latè patet, vt omnibus ferè actionibus nostris insidietur. Siue enim loquaris, siue taceas; siue ieiunes, siue vt abstinentiã dissimules, nõ ieiunes; siue purpura & bysso induaris, siue pãnis obsitus sis; siue solus gradiaris, siue famulis stipatus; vndecunq. pestis hæc ansam arripit inuadendi, vbiq. nutrimenta inuenit quibus coalescat, & acriùs mẽtem hominis imperat: omne sublime videt, & omnibus rebus excelsis maximè insidiatur. Hinc D. Hieron. Superbia, inquit natione cælestis, sublimiũ mentes inhabitat; in cinere frequẽter & cilicio recubans. Quo fit, vt quatuor genera rerum huic morbo obnoxia sint. Primũ quidẽ ingentes opes, nobilitas atq. potẽtia secularis. Cuius rei gratia Apostolus Timotheo scribit: Diuitibus huius seculi præcipe non sublime sapere. Secundo verò loco sapientes infestat. Quo nomine idem Apostolus dixit, scientiam inflare; quod tamen nõ suo, sed hominũ vitio contingit, qui bonis sæpe rebus perperã abutuntur. Huius verò rei causa est, quòd scientia hominũ, quatenus rationalis creatura est, maximè perficiat atq. nobilitet. Rogatus enim Socrates, quid ei pulcherrimum inter omnia animantia videretur; Homo, inquit, scientia ornatus. Cleanthes verò homines imperitos sola forma à bestiis distare prædicabat. Salomon verò aliquid addidit sublimius: Cognoui (inquit) quòd tantũ præcederet sapientia stultitiã, quantũ differt lux à tenebris. Quo fit, vt vir doctus, nisi sibi prospiciat, tãto se cæteris hominibus superiorem credat, quãto eos doctrina, & rerũ maximarũ cognitione antecellit. Inde adeò fit, vt sese animo efferat, & rudiores quosq. elato supercilio cõtemnat. Tertio verò loco eadem superbia Sanctorum etiam virtutibus insidiatur, & inanis gloriæ laqueos nectit. Hinc D. August. Alia (inquit) iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiãt; superbia verò etiã bonis operibus insidiatur, vt pereãt; quod perinde est ac si diceret: Aliorũ quidẽ vitiorũ est, praua opera moliri; superbiæ verò, bona opera inanis gloriæ labe inficere & maculare. Cæterùm inter virtutes ipsas sunt quæ magis à superbiæ spiritu infestari soleãt; inter quas præcipuè castitas periclitatur; de qua sic

Hieron.

1 Tim. 6.

1. Cor. 6.

Eccli. 1.

August.

Ambrof. Ambrosius ait: Castitatis bonũ quàm magnũ video, tanto magis ei, ne pereat, furẽ superbiã pertimesco. Est enim rara virginitatis virtus, & quæ hominibus maximè admirationi ac venerationi sit: quemadmodũ contrà impudicitiæ vitium despectui & contemptui. Quo fit, vt, qui hac virtute præditus sit (hoc est, qui nunquam corpus suum corruptionis huius labe inquinauit) seipsum interim miretur, & alios, quos in libidinis cœno volutari cernit, nonnunquam despiciat. Ex his ergo, quæ hactenus diximus, colligere licet, fratres, quàm fuerit in hoc beatissimo Patre humilitas admiranda, quæ inter tot superbiæ incitamenta, incõcussa tamen & illibata permansit. Neque enim generis claritas illius animũ extulit, cùm adeò nobili loco natus esset, vt duæ matris eius sorores, altera Siciliæ, altera Aragonum Reginæ fuerint. Neq. rursum admiranda illa doctrina (qua velut lucifer inter omnes sacros Doctores emicuit) vllam ei elationis occasionẽ præbuit. Neq. pulcherrimus virginitatis flos (quo ad Angelicæ vitæ puritatem accesserat) aliquid eius humilitati detraxit: neq. præstãtissimarum aliarum virtutum splendor (quibus tanquam vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso effulsit) vlla eum inanis gloriæ labe fuscauit. Quid igitur mirabilius, quàm tot superbiæ incitamentis non modò nunquam extolli, sed ne vllũ quidem superbiæ stimulũ sentire? Nec internã solùm cordis humilitatem, sed externã etiã non minori cura studioq. seruauit. Cuius rei, nisi temporis angustia impediret, exempla multa commemorarem: sed illud tamen silentio prætereundum non est, quod cùm quidam frater laicus ignoranter ipsum in itineris sociũ adsciuisset, fratri se sociũ exhibens, properantem illum sequebatur, non tamen passibus æquis. Cæterùm cùm frater ille admonitus à quodam, errorem suum agnouisset, veniamque à sanctissimo Patre petiuisset; ille (vt erat humilitatis spiritu plenus) placidè respondit, sibi nihil prius esse, quàm maiorum suorum præceptis obtemperare.

Hæc de sanctissimi Doctoris virtutibus breuiter dicta sunt: nũc finẽ principio iungamus, in quo admonuimus, in hoc præcipuè Sãctorum festa ab Ecclesia celebrari, vt ad clarissimas eorum virtutes imitandas excitaremur. Ex omnibus autem sanctissimi huius Patris virtutibus duas tantùm (ne vos præceptorũ multitudine onerem) ad imitãdum proponã; nempe heroicam illius castitatem, & altissimam humilitatem, superbiæ & inanis gloriæ nesciã. Quæ duæ virtutes inter se nexæ & colligatæ esse debent: quoniam altera alterius fidissima custos est. Vt enim Simile. ignis intra cinerem inextinctus cõseruatur, sic splendida castitatis virtus, humilitatis cineri cõiuncta, dignitatẽ & splendorem suum perpetuò retinet. Castitatis autem eximia laus est, quòd non

non mentem solùm, sed corpus etiam immaculatum puritatis auctori in holocaustum offert. Ad quod nos Apostolus inuitat cùm ait: Obsecro vos, fratres, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem. Omne enim peccatum quodcunq. fecerit homo (vt idem ait) extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus peccat; illud videlicet turpiter fœdando & inquinando. Humilitatis autem fructus est, omnes diaboli laqueos euadere. Hinc cùm magnus ille Antonius in oratione positus, vniuersum mūdum laqueis sese inuicem connectentibus plenum vidisset, nimioq. timore correptus exclamasset; O quis istos effugiet? vocē è cęlo audiuit, Antoni, humilitas. Hęc enim eximia virtus, superbię (quæ ruinarum omnium mater est) expultrix, quo magis suis viribus diffidit, magisq. diuinæ miserationis opibus fidit, eo magis Deum sibi patronum ac defensorem efficit, qui ab omnibus hisce laqueis hominem tutum & incolumem seruat. Has igitur virtutes, fratres, præcipuè colamus, easq. ab auctore virtutum assiduis precibus & gemitibus impetrare contendamus: vt casto corpore, & mundo atque humili corde, ad cælestem gloriam, humilibus atq. puris mentibus promissam, aspirante Domino, peruenire valeamus.

Rom. 12.

IN EODEM FESTO DIVI THOMÆ AQVINATIS, CONCIO SECVNDA: IN qua de dono sapientiæ (quod in D. Thoma pręcipuè fulsit) deque itineribus quibus ad eam peruenire possumus, differitur.

THEMA. *Optaui, & datus est mihi sensus: inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ.* Sapient. 7.

IAM primùm cōstat, fratres dilectissimi, hoc concionandi officium (quod adeò frequenter in Ecclesia exercemus) in hoc institutum esse, vt fidelium mentes ad virtutum amorem, & vitiorum odium excitemus. Id quod non in aliis concionibus modò, sed in iis etiam quæ Sanctorum laudibus dicatæ sunt, fieri debere diuus Basilius præcipit: qui nequaquam huiusmodi conciones encomiorum legibus, quas Rhetores tradunt, seruire debere ait. Hi namque solam eius, quem laudant, gloriam, & præclara gesta illustrare dicendo volunt;

Basilius.

nos autē Sanctorū,quos laudamus,virtutes nō tam ad ipsorum gloriam,quàm ad vitæ nostræ institutionem accommodare debemus. Parū enim nostra refert,si sciamus illos virtutibus cunctis ornatissimos fuisse,nisi nos pro virili nostra illorum virtutes æmulari studeamus. Quamuis autē Sancti omnes omni genere virtutum cumulati fuerint,alij tamē in aliis magis excelluerunt: vnde illa sponsæ Christi varietas existit, quæ ad eius dexteram sedet in vestitu deaurato circūdata varietate. Cuius vestis typū gerebat tunica illa polymita,qua nō sāctus Patriarcha Iacob,sed cælestis Pater Ioseph nostrū vestiri voluit, & ornari. Quo fit,vt nos quoq. orationem nostram sic instituere debeamus,vt pro varia dignitate & conditione Sanctorum,varias quoq. eorundem virtutes in concionibus nostris vobis imitandas proponamus Itaq. in Apostolis eximiam charitatem, & diuinæ gloriæ atq. humanæ salutis desiderium cōmendamus: in Martyribus fidei ardorem,& insuperabilem constantiam attollimus: in sanctis Pontificibus diligentissimam ouium suarum curam,& pastoralis officij solicitudinem prædicamus: in sanctis verò Doctoribus sapientiæ atq. doctrinæ cælestis studium collaudamus: in Virginibus autem illibatam corporis & animi puritatem ad imitādum proponimus. Cùm igitur hodierna die de beatissimo Patre nostro D. Thoma Aquinate concionem habere debeamus (qui inter Ecclesię Doctores velut clarissimus Lucifer sapiētiæ dono emicuit) quid in eius laudibus potiùs quàm hoc ipsum donum prædicabimus? Hac enim de causa sacra lectio, quæ sapientiæ laudes continet, in eius hodie solennitate canitur,vt intelligamus, hoc maximo Dei dono virum sanctissimum decoratum fuisse. De hoc igitur excellentissimo sapientiæ dono sermonem hodie instituere paro, de quo duo mihi dicenda esse video. Primùm enim sapiētię nomine exposito, eius dignitas & fructus qui ex ea consequuntur; ac deinde gradus & virtutes quibus ad eam peruenitur,explicanda sunt. Si autem quæ de hac re dicturus sum,communem hominum fidem atq. captum superare videbuntur, mirari non debetis: quia cùm inter septem Spiritus sancti dona, sapiētiæ donum summum locum teneat,maxima etiam & altissima esse debent quæ de ipso dici possunt. Huius autem argumēti tractatio, cùm alia multa, tum præcipuè hoc pręstabit,vt quicūq. Deo neglecto,amorem suum in fluxis seculi rebus posuerunt,apertè videant, quantas diuinæ gratiæ opes atq. delicias amittant, quibus Dominus familiares amicos suos in hac etiam vita reficere,pascere,& quodammodo beare solet. Quam rem quisquis singulari Dei dono expertus fuerit,non poterit illorum vicem nō vehementer dolere,qui cùm his tantis opibus frui possint,per turbidas Aegypti lacunas,

Psal. 44.

Gen. 37.

Partitio.

lacunas, veræ felicitatis fonte relicto, miserrimè vagantur. De hac igitur tanta re dicturi, cæleſtem opem, ſacratiſſimæ Virginis interuentu, ſuppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Quoniam de altiſſimo ſapiētiæ dono ſermo nobis hodie instituendus eſt; quid ſapientia ſit, ante omnia expediamus. Cùm autem ſapientia cognitio quædam ſit; ſcire oportet duplicem eſſe rerum cognitionē: quædam enim cognoſcimus, quia multa de iis vel legimus, vel audiuimus; quædam verò, quoniam eorum vim atque naturam experimento noſtro didicimus. Aliter enim partus dolores puerpera ſentit quæ illos experta eſt, aliter quæ hoc ſolùm auditu aut etiam lectione didicit: aliter etiā paternum erga liberos amorē intelligit qui filios habet, aliter qui non habet. Cuius rei commodiſſimum exemplum inter clarorum virorū Apophthegmata extat. Ferunt enim Ageſilaum Lacedæmoniorum Regem clariſſimū, multiſq; victoriis illuſtrem, cùm miro eſſet erga filios amore, arundine aliquādo pro equo conſcenſa, cum iiſdem ſimiliter ludentibus in ſecretiore domus loco luſiſſe. Cumq; familiaris quidam eius amicus repentè palatium ingreſſus, huiuſmodi ludū vehementer admiratus eſſet, ille contrà, Obſecro te, inquit, ô amice, ne cuiquam hūc meum ludum detegas, quouſque tu filiorum parens effectus eris. Intellexit Rex ſapientiſſimus, quanto aliter intelligamus quæ experimento cognouimus, quàm quæ alia ratione didicimus.

Sciendū præterea eſt, hac duplici cōcione Deum ab hominibus in hac vita cognoſci: aut enim legendo, ſpeculādo ac diſputando immēſam Dei bonitatem, cæteraſq; eius virtutes & laudes agnoſcimus; aut hæc ipſa, familiariter cum Deo agentes illumque toto pectore amplectētes, in nobis ipſis quodammodo experimur. Hoc autē fit, cùm homo diuinorū donorum communione experitur bonitatem eius; ſpirituali verò complexu, atq; interno mentis oſculo, charitatē eius; ſuauiſſimo ipſius guſtu, dulcedinem & placabilitatem eius; miſeriarum ſuarum reuelatione, miſericordiā eius; quotidianiſq; beneficiis (quæ ſemper ab eo recipit) largitatem & beneficientiam eius. Hęc autem cognitio, quæ Spiritus ſancti magiſterio paratur, eſt diuina illa ſapientia, quæ inter cætera eius dona principem locū tenet, ad quam alia ordinantur. Sapientiæ verò nomen, à ſapore deductum eſt; vt ſit ſapientia, quaſi ſapida quædam & ſuauis ſcientia. Huius autem ſapientiæ opus eſt, altiſſima diuinæ bonitatis & pulchritudinis contemplatio, in qua Theologi felicitatem (quæ in hac vita haberi poteſt) ſitam eſſe definiunt. In qua quidem contemplatione, ſancti viri tanta nonnumquam ſuauitate fruūtur, vt corpora ſenſus omnem ſentiēdi facultatē amittant.

D. Bern. in Cant. serm. 85.

Qua de re D. Bernardus: In hoc genere contemplationis interdum exceditur & seceditur etiam à corporis sensibus, vt se mens non sentiat, quæ Verbū sentit. Hoc autem fit, cùm mens, ineffabili Verbi illecta dulcedine, quodammodo se sibi furatur, imò rapitur atq. elabitur à se ipsa, vt Verbo fruatur. Hactenus Bernardus.

Ad huius autem rei fidem faciendam locupletissimum nobis exemplum D. Thomas exhibet, qui frequenter, dum deuotiùs oraret, sic à se ipso excedebat, vt omnis prorsus motus & sensus expers fieret. Vnde cùm in graui quodā morbo ex medicorum decreto esset cauterio adhibito curandus, ministris præcepit, vt se diutius in oratione persistentem obseruarent, atque eo tempore ferrum illi & ignem adhiberent. Quod cùm factum esset, vir sanctus non magis candentis ferri vim sensit, quàm si mortuum corpus gestaret. Quæ res facilè declarat, quanta sit illius diuinæ dulcedinis & charitatis vis, quæ sic hominis animam, atque omnes eius vires post se trahit, vt in corpore viuo omnem vitalem sensum atque motum extinguat.

Quid verò illud? quanto mirabilius! quòd non modò externorum sensuum vitales actiones diuinæ dulcedinis magnitudine sopiuntur, sed corpus interim graue & ponderosum, magna vi spiritus sese ad cælestia subleuantis, cum eodem spiritu in sublime feratur! Vt enim aqua igni admota, vbi eius in se calorem concepit, motum quoque imitatur; & cùm natura grauis sit, deorsumq. feratur, naturæ tamen suæ quodammodo oblita, more ignis sursum agitur: ita nonnumquam Sanctorum hominum corpora, vbi eos diuini Spiritus vis, per sapientiæ donum, ad sublimia eleuat, eius quoq. motū sequuntur, & aduersus omnem naturæ vim sursum aguntur. Cùm enim sapientia vapor quidā sit virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis illius sincera, quæ è cælis ad homines descendit, eorundem etiam mentes & corpora eò perducere nititur, vnde ipsa descendit. Quam rem eiusdem D. Thomæ exemplo confirmare licet, qui non raro, dum attentiùs oraret, à terra eleuabatur; corpore videlicet mentis in Deum raptæ motum & impetum sequente. Quæ res non obscurè declarat, quanta vi mens illa in Deum ferebatur, quę terrenum & graue corpus post se trahebat. Semel autem in huiusmodi raptu singularis quædam diuinæ visitationis gratia ei cōtigit. Cùm enim Neapoli in Ecclesia diuinæ contēplationi vacaret, visus est à quodā monacho à terra quasi duobus cubitis eleuatus. Quam rem cùm ille vehementer, vt par erat, miraretur, audiuit sacrā crucifixi Dñi effigiem, ad quā vir sanctus conuersus orabat, hanc vocem edentem: Bene scripsisti de me Thoma: quā ergo percipies pro tuo labore mercedē? Sanctūq.

Simile.

Sap. 7.

virum

virum protinus respondisse: Non aliam præter te, Domine.

Hęc omnia, fratres, eo cõsilio à me dicta sunt, vt intelligatis, humanæ vitæ felicitatem non in fluxis huius mundi rebus, hoc est, non in corporis voluptatibus, non in opibus atque diuitiis, non in honoribus & imperio (quibus in rebus seculi homines sitam esse arbitrantur) sed in diuinæ pulchritudinis contemplatione (quæ à sapientiæ dono proficiscitur) positam esse. Hæc enim mentem hominis per amorem cum Deo copulat, hæc diuinæ bonitatis ac felicitatis participem efficit, hæc desideriorum nostrorum sitim sedat, & in summi illius boni, in quo sunt omnia bona, cunctis huius vitæ deliciis repudiatis atque contemptis, suauissimè dormire & requiescere facit.

I.

Atque vt hoc ipsum quod dicimus, proposito aliquo exẽplo, mentibus vestris altiùs imprimamus, fingamus esse aliquẽ hominem, quem Dñs ex infima fęce vulgi ad summã imperij dignitatem euexerit, cui etiam omnia quæ in cæteris mundi Imperatoribus maximè illustria fuerunt, hoc est, diuitias Crœsi, potentiam Alexandri, gloriam Assueri, felicitatem Octauiani, cæteraque his similia fortunæ munera contulerit. Deinde verò ipsum, elapso certo temporis spatio, tota illa opulentia rerum atq. magnificentia priuet, & ad inopis & mendici inopiam redigat; sic tamen, vt eius mentem hoc diuinæ sapientiæ dono ea mensura repleat, qua vel D. Thomam, vel quemuis alium Sanctorum impleuit. Exinde verò Dominus hoc modo cum ipso agat: Tu quidem, homo, ad cælestis regni gloriam, in quacunq. vixeris fortuna, à me iampridem ab omni æternitate cooptatus ac destinatus es; verùm quàm diu in hoc mortali corpore vixeris, optionem tibi permitto, vt ex duplici hac felicitate, spirituali videlicet & corporea, quas expertus es, vtram malueris, eliges, à me illico eandem percepturus. Si hoc, inquam, homini in vtroque statu diu versato Dominus proponat, incunctanter & absque vlla hæsitatione respondebit, malle se extrema inopia atque nuditate constrictum, hac spirituali felicitate frui; quàm omnibus huius vitæ opibus circumfluentem, ea destitui. Quis hoc vestrûm, fratres, credat? quis non miretur? & tamen hoc esse verum, sacra præsentis diei lectio apertissimè confirmat. Sic enim Sapiens, diuino Spiritu actus de hac sapiẽtia dicit: *Præposui illã regnis & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in cõparatione illius. Nec cõparaui illi lapidem pretiosum: quoniã omne aurum in cõparatione illius arena est exigua, & tanquã lutum æstimabitur argentum in cõspectu illius. Super salutem & speciem dilexi eam, & proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius.* In his verbis Spiritus sanctus omnia ferè terrenorum bonorum genera, quæ

quæ vulgus hominum miratur, cõplexus eſt: nempe argentum, aurum, diuitias, lapides pretioſos, ſedes, regna, imperia, ac poſtremò ſalutem & pulchritudinem, cæteraque quæ ſub his nominibus continentur: quibus omnibus non modò ſapientiæ donum antetulit, ſed ex his etiam quæ commemoraui, argentum, aurum, atque diuitias, arenam exiguam, vile lutum, ac poſtremò nihil ſapientię comparatione eſſe teſtatus eſt. Quid igitur hoc teſtimonio apertius? quid illuſtrius? Quis huic veritati diuinis oraculis confirmatæ refragari audeat?

Adijciam & aliud non minùs firmũ veritatis huius teſtimoniũ. Rex enim Salomon vtriuſq. felicitatis conditionem, quam ſuprà deſcripſimus, expertus eſt. Nam & florentiſſimum eius regnum extitit, & tot tantiſq. delicijs abundauit, vt idem ipſe de ſe dixerit; Quis ita vorabit, & delicijs affluet, vt ego? Idemq. hoc ſapientiæ dono illuminatus, internam hanc & ſpiritualem felicitatem deguſtauit. Nec enim Chriſti & Eccleſiæ ſponſæ epithalamium, quod totum flagrantiſſimo ſponſi atque ſponſæ amore plenũ eſt, ſine magna diuini Spiritus dulcedine, & ſapiẽtiæ dono ſcribere potuit: quamuis poſtea miſerabili caſu atque ruina ab hac tanta felicitate deciderit. Hic igitur tantus vir, qui vtriuſq. felicitatis experimentum ceperat, de interna felicitate (quæ ſapientiæ dono conſtat) ſic ait: Beatus homo qui inuenit ſapientiã, & qui affluit prudentia. Melior eſt acquiſitio eius negotiatione argenti, & auro primo fructus eius. Pretioſior eſt cũctis opibus; & omnia quæ deſiderantur, huic nõ valẽt cõparari. Quo vno verbo omnia expetendorum genera complexus eſt, cùm dixit: Omnia quæ deſiderantur, non valent ei comparari. quibus omnibus ſapientiam longo interuallo prætulit. Hoc ipſum autem quod ſanctarũ literarũ teſtimonia probant, ſanctorũ quoq. Patrum exempla facilè cõfirmant. Quàm multi enim Reges & Reginæ, quàm multi principes viri, opibus & mundi gloria florentes, fortunis omnibus renunciarunt, vbi hanc cæleſtium rerum dignitatem deguſtare cœperunt! Sed nequaquam à D. Thoma recedamus; qui Romã accerſitus, oblatas ei vltrò à Pontifice Maximo Eccleſiæ dignitates, maxima quidẽ humilitate, ſed maxima tamen cõſtantia accipere recuſauit. Quis igitur dubitare iam poterit verum eſſe quod paulo antè diximus, ſanctiſſimos quoſque viros, ſpirituales opes atq. delicias cunctis mũdi opibus & voluptatibus prælaturos, felicioreſq. ſi illis fruãtur, in ſumma etiã inopia futuros, quàm ſi illis deſtituti, rerum omniũ cõpotes eſſent? Quid igitur humano ſenſui mirabilius, quàm hominem cũ extrema inopia & paupertate cõflictantem (quæ vel ſola miſeriarum omnium ſeminarium eſt) tanta felicitate in ſumma illa nuditate atque ſolitudine frui? Nullæ ſunt apud

Prou. 3.

apud eum opes, non splendidæ mensæ, non familia obsequens, non vnguenta pretiosa, non vina suauia, non cibi è longinquis regionibus aduecti, non transmarinæ dapes, non domus marmore atq. auro vestitæ, nō aurea & argentea vasa, non varia diuitiis domus supellex, non deniq. amicorum greges ludentium, confabulantium, atque iocantium; nihil postremò apud hunc hominem lætum atque iucundum conspicies, nihil non vile ac sordidum; quotidie insuper gemitus, quotidie lachrymæ. Vnde ergo homo hic, sine istis externæ felicitatis adminiculis, tanta deliciarum copia fruitur? In promptu sanè responsio est, si in Deum, huius tantæ felicitatis auctorem, oculos conijciamus. Quis enim nesciat, vnicum illud & summum bonum, in quo sunt omnia bona, longè pleniùs atq. feliciùs pij hominis mentē, quàm fallacia, lubrica, & momentanea huius mūdi bona reficere, oblectare, atq. bonis omnibus implere posse? Quā multa in cælo sunt astra, quæ nocti lucem præferunt! sic enim Dominus ad Abrahā. Numera, inquit, stellas cęli, si potes: at vnicus Sol quanto splendidiùs, quàm omnia in vnum collecta sidera, mundum illuminat! imò verò ea omnia, quamlibet innumera sint, ante eius splēdorem prorsus euanescunt, fulgoremq. suum tueri non possunt. Hoc igitur exemplo, fratres, internæ felicitatis præstantiā atq. causam intelligere licebit. Ab vno enim illo inexhaustæ bonitatis fonte cætera bona manāt: quæ tamē omnia cum eo collata, bonitatis nomen amittunt, isq. vnus mentem hominis infinitis partibus vberiùs atque copiosiùs reficere atq. implere potest. Hæc autē, fratres, facilè declarant, quantus in sapientiæ possessione thesaurus sit, quādo inchoata felicitas, extremumque expetendorum omnium quæ in hac vita haberi possunt, in eius actione sit positum. Quo nomine Sapiēs in sacra huius diei lectione, infinitū thesaurum esse ait. Fateor quidem hæc ipsa omnia, quæ diximus, sublimia esse, & quæ communem hominum fidem atque virtutem superent; quæ tamen, dum sanctissimorum virorum laudes & virtutes prædicamus, transire silentio non possumus. Hæc enim & ipsorum sanctitatem declarant, & diuinæ gratiæ vim atq. magnificentiam commendant, hominesque minimè desides, veræque felicitatis appetentes, ad has tantas diuinæ gratiæ opes adspirare faciunt.

Simile.

Gen. 15.

II.

Existimo, fratres, neminē inter vos esse adeò rerū diuinarum negligētem, qui dum hæc audit, felicitatis huius desiderio non capiatur, & quo in loco tantus hic thesaurus (quē cunctis mundi opibus anteferri diximus) delitescat, scire cupiat. Nec enim aut passim aut facilè tāta res inueniri potest. Hanc autē curam innocētissimus ille Iob pro nobis suscepit, qui post magnificentissimas

tissimas sapientiæ laudes omnia mũdi loca lustrauit, vt eius locum inueniret. Vbi enim dixisset, Deũ rebus omnibus sua loca designasse (nam & auro, & argento, & ferro, cæterisq. metallis, & pretiosis etiam lapillis sua loca, licet occulta, destinauit, & luci ac tenebris sua tẽpora distinxit) quęrit idem Sanctus, quo in loco, aut à quibus hæc pretiosa margarita inueniri possit. Sapiẽtia, inquit, vbi inuenitur? & quis est locus intelligẽtiæ? Non inuenitur in terra suauiter viuẽtium. Abyssus dicit, Nõ est in me: & mare loquitur, Non est mecum. Vnde ergo sapientia venit? Abscondita est ab oculis omnium viuentium, volucres quoque cæli latet. Per volucres autem cæli, mundi sapientes, & summos Philosophos intelligit, qui non modò ea quæ in terra marique nascuntur, sed ea etiam quæ in cælo fiunt (hoc est, astrorum & signorum cursus, variasq. eorum conuersiones & affectiones) rimantur. Qui tamen omnes, vbi esset vera sapientia, quæ homines efficere beatos, assequi non potuerunt. Post hanc igitur tam longam inquisitionem, breui oratione sapientiæ locum in solo Deo esse docet; sic enim ait: Deus intelligit viam eius, & ipse nouit locum illius. Et dixit homini: Ecce timor Dñi, ipsa est sapiẽtia; & recedere à malo, intelligẽtia. Quibus verbis non modò sapiẽtiæ locum designauit, sed viam etiam, qua ad illam peruenitur, ostendit. Verè enim initium sapientiæ timor Dñi. Similique consilio cùm Salomon hominis felicitatem in Ecclesiaste variis rationibus indagasset, qua tandẽ in re ea sita esset, nouissimis his verbis cõcludit: Finem loquendi omnes pariter audiamus: Deũ time, & mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo. Quibus verbis totã hominis felicitatẽ in timore Dñi collocauit, vtpote qui nos in sapiẽtię possessione cõstituat.

Iob 28.

Prima igitur cura, fratres, ad parandam sapientiam, vitæ puritas & innocentia est, sine qua omnis diuinarum rerum commentatio insuauis est. Scitum est enim illud Augustini: Palato non sano pœna est panis, qui sano est suauis: & oculis ægris odiosa lux, quę puris est amabilis. Vnde idẽ Augustinus Deum appellat purgatę mentis sapientiam. Iis enim dulciter sapit, qui purgatum animæ palatum gestant. Quocirca sapientię studiosus vitæ puritatem præcipuè colere debet; quoniam (vt Sapiens ait) in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.

August.

Proposita verò iã vitę puritate (quæ totius iustitię & sapientiæ fundamentũ est) charitatis studio cũ primis vacare conuenit; quæ sicut cæterarum virtutum, ita etiam sapientiæ vita & forma est. Vnde duo illa, quæ sapientiæ nomen cõplectitur, Dei videlicet cognitionem atq. saporẽ, charitas subministrat. Quid enim charitate dulcius? quid suauius? eius quippe proprium est,

de dilecti præsentia mirificè gaudere. Illā præterea diuinæ bonitatis cognitionem, quæ experimēto magis quā humano studio discitur, inflāmata in Deū charitas potissimū tribuit. Vnde Apostolus ad Philip. Hoc, inquit, oro, vt charitas vestra magis ac magis abundet in omni sensu & in omni scientia, vt probetis potiora. Quibus verbis nō obscurè Apostolus designauit, spiritualium rerum sensum & cognitionem, quo potiora eligimus & probamus, à charitatis radice deriuari. Hinc D. August. Qui vult (inquit) cognoscere Deū, amet. Qua de causa adolescētulæ in lib. Cāt. qualis spōsi species & forma sit, ab amātissima spōsa quærunt; quod intelligerēt neminem apertiùs huius rei cognitionē traditurum, quàm eā quæ ardētissimo sponsi amore flagrabat. In superna itē illa hierarchia Seraphicis spiritibus, qui conditoris sui amore incēsi sunt, Cherubini, qui sapientiæ dono excellunt, sunt cōiunctissimi. Quo indicio intelligimus, duo hæc diuina munera, Dei videlicet cognitionē & amorē, maximè inter se cōiuncta esse. Vnde cū à beatissimo Patre Dominico, mirabiliter de diuinis rebus disserēte, quæsitum esset, vbi admirandā illā doctrinā didicisset; ille, In libello, inquit, charitatis. Charitas quippe excellentissima spiritualis doctrinæ magistra est. Hæc autē cognitio, quæ à charitate proficiscitur, adeò præstans est, vt omnē aliam Dei cognitionē charitate vacantē, nec cognitionis quidem nomine dignā esse Ioannes dicat; sic enim ait: Qui non diligit, nō nouit Deū. Quid enim in causa esse putatis, fratres, cur in fidei Symbolo Spiritum sāctum per Prophetas locutū fuisse profiteamur? Quamuis enim beatissimæ Trinitatis opera indiuisa sint, loqui tamen & docere magis Filio (qui Patris Verbum & Sapientia est) quàm Spiritui sancto cōuenire videbatur: cùm ad verbum loqui, ad sapientiam autem docere pertineat. Est ita planè. Hac tamē ratione Prophetarum eloquia Spiritui sancto tribuuntur; quoniam Spiritus sanctus amor est. Qui quidem amor ad res diuinas intelligēdas perspicacissimus, ad explicandas eloquentissimus est. Si enim D. Bernardus verè dicere potuit, animæ linguam esse deuotionem; cur non magis diuinus amor animæ lingua esse dicatur? Nec enim hic amor, quemadmodū impurus amor, cæcus est (qualē Ethnici Poëtæ amoris Deum oculis captū fingūt) sed oculatissimus est, quemadmodū Propheta dicit: Præceptū Dñi lucidū, illuminās oculos. Hæc igitur charitas, fratres, præcipua doni sapiētiæ causa existit; quoniā, vt paulo antè diximus, forma & vita eius est.

Proxima verò sapiētiæ causa est flagrātissimum eius desiderium. Flagrantissimū, inquā; quoniā ad hoc pigri & inertis hominis desideria nihil iuuant. De his namq. scriptum est: Vult, & non vult piger. Cur ita? Quoniam (vt alibi idē Salomon ait) deside-

Philip. 2.
August.
Cant. 5.
1. Ioan. 4.
Bernard.
Psal. 18.
Prou. 13.

desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quidquam manus eius operari. Ideò igitur nolle dicitur, quia operari renuit. Nequaquam igitur huiusmodi languida desideria, sed ardentia & operosa, ad sapientiam viam muniunt. Hinc Sapiens, Initium, inquit, sapientiæ, verissima est disciplinæ concupiscentia. Hac enim se hoc donum consecutū fuisse idem Sapiens in hodierna lectione ostēdit, cùm ait: *Optaui, & datus est mihi sensus: inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ.* Eademq. sapiētia, Trāsite, inquit, ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis, hoc est, à fructibus meis, adimplemini. Nō igitur diuina sapiētia opes suas inertibus, sed concupiscentibus, hoc est, ad illas vehemēter aspirantibus, pollicētur. Hinc Salomon de eadē sapiētia differēs, Si quæsieris, inquit, eam quasi pecuniā, & quasi thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorē Dñi, & scientiam Dei inuenies. Hoc autem desideriū, quod à Spiritu sancto proficiscitur, frustra esse nō potest. Nec enim sūma illa & immensa bonitas huiusmodi desideria in piorū mētibus accēdit, vt eos cruciet, sed vt ea impleat. Verissimè enim dictū est: Nō affliget Dñs fame animā iusti. Ex hac enim spirituali fame sancta desideria proficiscūtur, quæ velut amœnissimi flores sunt, qui sapientiæ fructū antecedere atq. promittere solent. Hæc autē desideria habere nemo poterit, nisi qui eiusdē sapientiæ primitias antè gustauerit; neq. eam quisquā ardenter quęret, nisi eandem priùs aliqua ratione inuenerit. Priùs igitur aliquo modo inuenire oportet, vt quæras; deinde quærere, vt pleniùs inuenias.

Ibid. 21. Sap. 6. Eccli. 24. Prou 2. Prou. 10.

Ex hoc autem desiderio cōtinuum orationis studiū nascitur. Cùm enim oratio ad omnia valeat, potissimū tamen ad diuina dona cōsequenda, quæ in summa Dei benignitate & gratia posita sunt, præcipueq. ad sapientiæ donum impetrādum maximè necessaria est. Hinc Sapiens initio sacræ huius lectionis vtrūq. simul coniungit, desiderium videlicet, & orationis studium, cùm ait: *Optaui, & datus est mihi sensus; inuocaui, & venit in me spiritus sapiētiæ.* Pios nāq. Dñs in oratione diu perseuerantes, miris consolationibus atq. deliciis oblectare, eorumq. viscerá atqua salutaris sapientiæ rigare atq. fecundare solet. Quod quidem illis prophetica voce pollicetur, cùm ait: Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ. Nec saporem modò, sed cognitionem etiam diuinarum rerum, quæ ad sapientiā requiritur, oratio præbet. Hinc Vates regius, Accedite, inquit, ad Deum, & illuminamini, & facies vestræ nō confundentur. Ad Deum verò accedimus, cùm illum attentiùs oramus; cùm oratio, mentis in Deum eleuatio esse dicatur. Moyses item, Omnes, inquit, sancti in manu Dei sunt, & qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.

* Isa. 56. Psal. 33. Deut 33

Cuius

Cuius rei locupletissimũ exẽplum vnus D. Thomas exhibet, qui insignem illam admirandamque sapientiam studio magis orationis, quàm humano ingenio atque labore se assecutum fuisse charissimo socio fratri Reginaldo secretò reuelauit: quod secretum, quàm diu in vita maneret, seruari voluit. Ideoq. in more semper habuit, vt quoties ei legendum, scribendum, vel disputandum esset, ad secretum orationis locum priùs confugeret, vt à Deo disceret quod homines doceret. Intelligebat enim (quod est à D. August. dictum) Melius interdum oratione solui dubia, quàm humana inquisitione. Qua ex re liquet, virũ sanctum non modò sapientiæ, sed etiam scientiæ donum (quod inter Spiritus sancti quoq. dona numeratur) orationis studio consecutum fuisse. Ex hoc enim dono admiranda illa doctrina tot voluminibus trad[illegible]a ortum habuit. Qua in re nunquam satis mirari possum, quónam modo vir sanctus inter tot scribendi, legendi, docendiq. officia, temporis spatium ad tam sublimem diuinarum rerum contemplationem, qualem antea descripsimus, habere potuerit. Hæc enim contemplatio totum hominis studium otiumque requirit. Quam rem Anachoritarum exemplo discimus, qui in solitudine degentes, dies noctesq. in sola diuinorum eloquiorum meditatione transigebant. Contrà verò scientiæ atq. doctrinæ studium plus etiã quàm totum hominem exigere videtur, præsertim ei qui cogitationes suas litteris mandare decreuit. Tam multa enim legenda, tractãda, ac disputanda ei sunt, vt vix longissima ætas huic rei sufficere videatur. Quæ si huic sanctissimo Patri (quemadmodum D. Hieronymo & Augustino) contigisset, non perinde hoc mirum esset. Illud tamen maximè mirabile est, quòd cùm quinquagesimo anno viuendi finem fecerit, tam multa scripserit, ad quæ legenda & intelligenda vix longa hominis ætas sufficiat. Verùm hanc tantam rem mirari desinet, quisquis aliud in eo longè mirabilius fuerit contemplatus. Quî enim fieri potuit, vt vir sanctus mentem suam adeò spinosis atque aridis Philosophorum disputationibus implicitam, tanta promptitudine ad diuinarũ rerum contemplationem eleuare potuerit, vt toties in oratione positus, mentis excessum pateretur? Minus enim hoc mirabile esset, si ætatem omnem in sola sacrarum litterarum explanatione insumpsisset: sed cùm tot, tamque variæ, & multiplices, subtilissimæque quæstiones disputandæ atque definiendæ essent; cùm vniuersam Aristotelis philosophiam obscurissimis quæstionibus & translationibus implicatam (hoc est, Dialecticam, Physicam, Metaphysicam, & Moralem philosophiã) explanandam, & minutissimis illis partitionibus illustrãdam suscepisset: quî fieri potuit, vt mens tantis difficultatibus disten-

ta, tam facilè viam ad altiſſimam illam contẽplationem inueniret? Nec enim valde ſanctos illos Anachoritas miramur, qui (vt Caſſianus memorat) manuariis operibus intẽti, liberam ab hac exercitatione mentem ad diuina attollebant. Non enim mens, ſed ſolæ manus caniſtra illa viminea, vel fiſcellas iunco texebant; at ſcribendi, diſputandi atque legendi ſtudium, non manuum miniſterio, ſed mentis vi & acumine tractandum eſt. Quo magis mirari debemus ſanctiſſimi Doctoris mentem, tot difficultatibus implicatam, tam facilè aſſurgere potuiſſe in Deum. Hæc igitur tanta res (vt verum fatear) me frequenter in ſtuporem admirationemque diuinæ virtutis abducit. Hæc autem omnia, fratres, eo conſilio tam multis à me dicta ſunt, non ſolùm vt eximiam ſancti Doctoris noſtri ſanctitatem atq. doctrinam miremini, ſed etiam vt animos veſtros ad amorem ſapiẽtiæ (in qua humanæ vitæ felicitas poſita eſt) inflammarem, viamque vobis oſtenderem, qua ad illam eſſet perueniendum. Via enim, puritas & innocentia vitæ; via, charitatis ſtudiũ; via quoque, ardens illud ſapientiæ deſiderium quod paulo antè deſcripſimus; via item, frequens atque deuota oratio, ab hoc deſiderio profecta, quæ hoc cæleſte donum continenter à Domino flagitet. Quod quidem donũ magis ardore voluntatis quàm intellectus acumine, magis dilectione quàm humano ſtudio, magis lacrymis quàm diſputationibus, magis denique orandi quàm legendi officio aſſequimur. Virtus quippe orationis non ad hoc ſolum, ſed ad omnia alia quæ impetrare à Deo cupimus, quàm latiſſimè patet. Quo nomine valde familiaris ea homini Chriſtiano non in hoc ſolùm, ſed in omni tempore atq. negotio eſſe debet. Quod in more fuiſſe priſcis illis naſcentis Eccleſiæ fidelibus Tertullianus declarat his verbis: Nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ cœna noſtra admittit. Non priùs diſcumbitur quàm oretur. Ita ſaturantur, vt meminerint per noctem Deum ſibi eſſe orandum. Ita fabulantur, vt qui ſciunt Deum cuncta audire præſentem. Oratio conuiuiũ dirimit. Poſt menſam, vt quiſq. poteſt, Deo canit. Denique non tam cœna cœnatur, quàm diſciplina. His igitur gradibus, fratres, ad clariſſimum ſapientiæ donum aſcenditur: in cuius exercitatione, inchoatam felicitatem, quæ in hac vita haberi poteſt, ſitam eſſe diximus. Faxit autem Chriſtus Dominus, vt vtraque nobis felicitas contingat; & inchoata hæc, quæ percipitur in via; & conſummata illa, quam fideles omnes ſperamus in patria.

Ioan. Caſſian.

Tertull.

IN FESTO ANNVNTIATIONIS DOMINICÆ, CONCIO PRIMA: IN QVA lectio Euangelica explanatur.

THEMA. *Quæ cùm audiſſet, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.* Lucæ 1.

QVAMVIS abſoluto ſex diebus creationis opere, requieuiſſe dicatur Dñs die ſeptimo ab omni opere quod patrauerat (cuius rei gratia Sabbathi religionem Iudæis indixit) nihilominus tamen vera eſt illa Saluatoris ſententia; Pater meus vſque modò operatur, & ego operor. Conſummata quippe paucis diebus mundi fabrica, hominum ſalutem indeſinenter operatur, nec ab hoc vnquam opere manum ſubtrahit: adeò maius hominis ſanctificatio, quàm totius mundi creatio eſt. Hãc autem Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſemper operantur, dum variis modis homines ad ſe trahere, & cæleſtibus donis ornare nunquã intermittunt. Qui tamen modi omnes ad duos potiſſimùm referuntur: aut enim beneficiis & muneribus ad ſe homines allicere; aut recuſantes terroribus ac minis à vitiis reuocare ſtudent. Quem quidem morem medici ſequi conſueuerũt, qui, quos blandis medicamentis ſanare non poſſunt, inciſuris frequenter & igne curant. Hunc autem poſteriorem modum à diuinæ bonitatis natura (quæ in iuuandis hominibus maximè cernitur) alienum eſſe, Iſaias apertè teſtatur, qui cùm vaſtationem decem tribuum, propter grauia ipſorum peccata, prænunciaſſet, tandem ſubiecit: Alienum opus eius ab eo, peregrinum opus eius ab eo. Verè enim ab infinita illa bonitate (quæ ſeſe atq. opes ſuas in omnia largè atq. munificè effundit) alienum & peregrinum eſt vaſtare ac delere, quos ideò condidit, vt ſeruaret, & bonis omnibus cumularet, niſi eorum impietas piis eius votis obſtaret. Hac autem ſeueritate vtitur, non modò vt ſontes puniat; ſed vt alios etiã iudicij ſui metu perterrefactos in officio contineat. Prior autem ille modus, quo beneficiis ad ſe homines allicere ſtudet, maximè illi proprius, maximeq. hominibus ſalutaris eſt. Hac enim ratione immenſam eius miſericordiam, bonitatem & paternam charitatem agnoſcẽtes, illum toto corde diligunt, ſeque totos illius ſeruituti & obſequio pleniſſimè tradunt. Magna enim beneficiorum vis eſt, quæ non generoſa ſolùm hominum corda, ſed immanes etiam feras ad benefactoris amorem & obſequium inducit.

Ioan. 9.

Iſaiæ 28.

Hac igitur de causa olim Dñs in lege plurima sacrificia & cæremonias hoc consilio constituit, vt beneficiorum suorũ memoriam (ne temporum iniuria intercideret) assiduè renouaret. Ad hoc enim primum Circũcisionis sacramentũ pertinebat, vt Abrahæ posteri pacti illius amantissimi recordarẽtur, quo illos Deus ex innumeris nationibus in peculiarem populum elegerat, seq. illis in Deum, hoc est, in patrem, tutorem, & protectorem obtulerat, terramq. peregrinationis eorum in hęreditatem illis assignauerat. Hoc autem apertè designauit, cùm dixit: Circuncidetur ex vobis omne masculinum, vt sit signum fœderis inter me & vos. Iam verò cùm primogenita omnia sibi offerri, & Paschalem agnum immolari iussit, quid aliud quàm beneficium liberationis ab Aegyptiaca seruitute iis legibus ad memoriam reuocabat? Sic enim ait: Et erit quasi signum in manu tua, & quasi appensum quid ob recordationẽ ante oculos tuos, vt lex Dñi sit semper in ore tuo. Hic enim præcipuus diuinorum beneficiorũ vsus est. Non enim ob id solũ data sunt, vt vel ab instãtibus periculis erueremur, vel opulentiores aut potẽtiores efficeremur, sed vt paternam Dei curam & prouidentiam agnoscentes, illum super omnia diligeremus, illiusq. præceptis & legibus obtẽperaremus. Sunt enim quidam adeò sui amantes, perceptorumq. beneficiorũ immemores, vt ita diuinis beneficiis atq. donis afficiantur, ita se totos fruendis illis addicant, vt hoc cupiditatis laqueo irretiti, benefactoris memoriã deponant, & inde obliuionis occasionem arripiant, vnde memores, grati, atq. officiosi esse debuerant. Quale, quæso, esset, si vir aliquis multis, maximisq. beneficiis à Rege auctus & locupletatus, (quo illi esset obstrictior, & ad eius obsequium paratior) ipse contrà fruendis his tantis opibus ita se totum dederet, vt regiæ seruitutis oblitus, vitam omnem in otio atq. desidia transigeret, nec præceptis Regiis obtemperaret? Hoc autem faciũt, qui diuitiis, honoribus & potentia à Deo donati, hisce rebus ita efferuntur, & quodammodo inebriantur, vt omnem benefactoris memoriã ab animo excutiant. Quo quid esse indignius potest? Quisquis autem ita se gerit, non modò diuinæ beneficentiæ & largitati aditum obstruit, sed ipsa etiam Dei dona, quæ saluti eius seruiebant (velut is qui in portu naufragium facit) in maioris damnationis suæ cumulum vertit.

Genes. 17

Exod 13.

Simile.

Simile.

Hac igitur de causa tot rationibus beneficiorum suorũ memoriã à nobis Dominus exigit, ne in tantũ hoc ingrati animi scelus incidamus, nève eius beneficiis & benignitati aditũ obstruamus. Est enim (vt D. Bernardus ait) ingratitudo ventus vrens, omnia exsiccans fluenta diuinæ gratiæ, ipsumque arefaciens fontem misericordiæ.

Bernard.

Quæ

Quæ cùm ita ſint, vtroq. nomine ſalutis noſtræ auctori obſtricti ſumus; & quòd nos tot beneficiis ornat, & quòd tanta ſeueritate hanc à nobis beneficiorum ſuorum memoriã, & grati animi officium requirit. Cùm enim verè amantis ſit, beneficiis ornare velle quos amat, ingratus autem animus benignitati huic aditum obſtruat; quo amore ac benefaciendi ſtudio teneri ſe oſtendit, qui tanta cura omnia benefaciendi impedimenta amouere ſtudet? Perinde enim ac bonis noſtris ipſe frueretur, & malis premeretur, ita viam beneficiis ſuis munire, & obſtantia quæque amouere curat, quibus ad bene merendum de nobis via intercludi poſſet. Hunc autem benignitatis affectum ſingulari quadam ratione erga verè pœnitentes Dñm geſtare D. Aug. teſtatur his verbis: Tardiùs ſanè videtur Deo peccatori veniam dare, quàm ipſi peccatori veniam accipere. Sic enim feſtinat abſoluere tormenta compaſſionis ſuæ, quaſi plus cruciet ipſum compaſſio miſeri, quàm ipſum miſerum compaſſio ſui. Hic ergo tantus diuinæ pietatis affectus in cauſa extitit, vt tot olim ſacris & ſolemnibus cæremoniis Dominus beneficiorum ſuorũ memoriã renouari, & quotannis inſtaurari voluerit. Vnde poſt huiuſmodi precepta addit: Cuſtodies huiuſmodi cultum ſtatuto tẽpore à diebus in dies. Quod quidem exemplum ſecuta Eccleſia, tã multa ſingulis annis ſacra feſta inſtituit, quæ nobis ante oculos clariſſima Dñi beneficia ſubijcerent. Cumq. inter ea, redemptionis & ſalutis noſtræ beneficium maximè excellat, eius præcipuè memoriam pluribus feſtis inſtaurat. Omnia enim Domini Saluatoris, atque adeò omnia ſacræ Virginis feſta, quid aliud quàm redemptionis noſtræ beneficiũ nobis ob oculos ponunt? Inter quæ tamen hodierna potiſſimùm ſolemnitas eminet, quæ exordium continet noſtræ ſalutis; cuius ſeriem ſanctus Lucas Euangeliſta his verbis exponit:

Auguſt.

Exod. 15.

I.

Miſſus eſt Gabriel Angelus à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, &c. Quærit hoc in loco D. Bern. quò Angelus ingreſſus ſit: Puto, inquit, in ſecretum pudici cubiculi, vbi illa fortaſſe clauſo ſupra ſe oſtio orabat Patrem in abſcondito. Solent Angeli aſtare orantibus, & delectari in his quos vident leuare puras manus in oratione; holocauſtum ſanctæ deuotionis gaudent ſe offerre Deo in odorem ſuauitatis. Hæc ille. Ingreſſus ergo Angelus ad Virginem his eam verbis ſalutauit: *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Iam primùm conſtat, nuſquam Angelos (qui tam ſedulò Patribus & Prophetis apparuere) quemquam ex ipſis hac tam magnifica ſalutatione honoraſſe; quæ tamen vni illi ſeruabatur, quæ hominũ & Angelorum Dominum erat paritura. Ideoque non modò inter

Bernard.

mulieres omnes singulari priuilegio insignitam prædicat, sed tanta etiam gratia plenam, quanta Dei matrem esse ornatam decebat. Mensuram enim gratiæ D. Thomas ex propinquitate ad fontem gratiæ sumendam esse ait. Quia verò Christus Dominus fons gratiæ, & Sol iustitiæ est (non enim ad mensuram dat Deus Spiritum Filio) nihil mirum, si beatissima Virgo plus hausit gratiæ; vtpote quæ cæteris omnibus huic fonti propinquior extitit. Quid enim propinquius filio quàm mater? aut in quem filius munera sua largiùs atque libentiùs quàm in matrem effunderet? Vt enim inter creaturas omnes nihil Dei Filius matre sua charius habuit (cùm gratia naturam nō destruat, sed perficiat) nullam sanè pluribus & maioribus donis illustrauit. Cùm enim diligere sit bene velle; bene autem velle Dei, sit etiam benefacere (subest enim illi, cùm voluerit, posse, & sermo eius potestate plenus est) quā maximè omniū dilexit, maximis muneribus exornauit. Inter beata illa supernorum Spirituū agmina illos esse D. Dionys. ait cæteris præstantiores, cælestibusq. donis pleniores, qui Deo propinquiores sunt. Cùm ergo nihil Dei Filio quàm eius mater sit propinquius, quo propinquitas maior, eo gratia eius vberior atq. copiosior extitit. Hac ergo mensura, plenitudo gratiæ, quæ Virgini ab Angelo tribuitur, metienda est. Quia verò gratia virtutum omniū radix est, charitas verò velut huius radicis trūcus, cęterę autē virtutes velut huius trunci rami sunt; ideò ex radicis magnitudine & arboris truncus, & cæteri variarum virtutū rami æstimādi sunt: inter quas tamen charitas maximè enituisse putanda est. Cùm enim ea virtutū omnium decor, & forma, & vita sit, sine qua cæteræ virtutes ad salutem minimè sufficiant; in ea potissimùm sacra Virgo excellere debuit. Itaq. quàm diu in hac vita fuit, tā perfectò sese in Deum amore conuertit, & in intimum animæ suæ templū se recepit, vt nec ipsam, nec vllam rem creatam, nisi in Deo, & propter Deum diligeret; nec vlla item cordi eius imago illapsa fuerit, quæ purissimæ eius erga Deū dilectioni impedimenti aliquid afferret. Integro enim & indissolubili Deum prosequebatur amore, & in Deo cætera omnia diligebat. Recipiebat igitur se cum vniuersis viribus suis in interiorē animæ fundū, in quo diuina latet imago, atq. ibi in tēplo animę suæ commorabatur, trahens, minansq. in illud ipsas vires suas omnes, & adorās illic vnicū Deum suū in spiritu & veritate. Itaq. memoria eius in simplicem lucem erecta, & in vnitate spiritus stabilita erat. Intellectus verò splēdidissima quadā claritate profūdebatur, qua cælestia atq. diuina mirabili ratione agnoscebat. Voluntas autē ipsius deuotissimo quieti amoris æstu flagrabat, per quē supra creata omnia rapiebatur. In hac autē mētis eleuatione,

D. Tho.

D. Dion.

ne,supra imagines rerum omnium posita, diuinum susurrum siue alloquium,diuinasq. inspirationes in silentio percipiebat. Quiescebat hîc supra omnia in Deo, & semetipsam per ineffabilis amoris complexū in vastissima diuinitatis solitudine atque caligine amittebat,Deoq.arctissimè copulabatur,vnus spiritus cum illo effecta:quæ quidem coniunctio omnia alia creata dona,charismata,atque lumina superabat.Sed quoniam de Virginis charitate mentionem fecimus, de profundissima eius humilitate (quæ charitatis custos & comes indiuiduus est) ex hac eadem lectione pauca proferamus.Sequitur enim:

Quæ cùm audisset, turbata est in sermone eius. Solent (ait Bern.) virgines,quæ verè virgines sunt, ad omnem viri pauere aspectum, semper pauidę,& nunquam esse securæ,& vt caueant timenda, etiam tuta pertimescere; sciente se in vasis fictilibus thesaurum portare pretiosum, & nimis arduum esse Angelicè inter homines viuere, & in terris more cælestium conuersari. Ac proinde quidquid nouum subitò fuerit ortum, suspectas habent insidias,totum contra se existimant machinatum.Hactenus ille. Verùm nos paulo fusiùs huius timoris causam excutiamus. Vbi sanctus Euãgelista dixit, *Turbata est in sermone eius*; subdit protinus: *Et cogitabat qualis esset ista salutatio.* Pastores, viso Angelo Dominicæ natiuitatis nuncio, timuisse perhibentur timore magno.Zacharias item,Ioannis Baptistę pater,Angelo ei à dextris altaris incensi apparente, vehementer turbatus est, & timor irruit super eum. Daniel verò fulgentis Angeli visione non modò turbatus, sed penè exanimatus est. At sanctissima Virgo,quamuis coruscantis Angeli speciem vidisset, & nihilominus ad eius aspectū expauisset;sic tamen honorifica illa Angeli salutatione, laudibusque suis turbata fuit, vt illius trepidationis causa sileatur, huius verò sola exprimatur. Cæterùm vt timoris huius causam exponamus, sciendum est, beatissimam Virginem,vt cęteris virtutibus,ita humilitatis gratia à Deo pręcipuè decoratam & insignitam fuisse.Sicut enim qui excelsam turrim erigere parant,altissima eius fundamenta iaciūt,ne magnitudine superstructæ molis ædificium corruat:ita cùm Dominus hanc sanctissimā Virginem omnium gratiarum muneribus supra creaturas omnes ornare decreuisset, altissima in ea humilitatis fundamenta iecit,ne tantarum virtutum atq.donorum cælestium occasione, vlla ei elationis vel exigua labes obreperet.Quia enim hac virtute clarissimus ille Angelus destitutus fuit, è summo dignitatis culmine in imū barathrū corruit: quoniā (vt est apud Ezechielē) eleuauit cor suū in decore suo. Paulo verò stimulus carnis datꝰ est,ne reuelationū magnitudine extolleretur.Itaq.humilitas eius hoc carnis stimulo quodāmodò

Bernard.

Luc. 1.

Luc. 1.

Dan. 10.

Simile.

Ezech 28

1. Cor. 12

modò

modò iuuanda fuit,qui infirmitatẽ illi suam, & vitiatæ naturæ morbũ quotidie ante oculos poneret. At purissimæ huius Virginis humilitas his stimulis non indigebat,quæ propter singularem maternæ dignitatis honorem omni impuritatis stimulo carere debebat:sed ea tamen humilitate fulcienda erat,quæ altissimam omnium virtutum & gratiarum fabricam firmissimè sustinere posset. Cùm ergo hac tãta humilitate donata esset, vt ipsa sibi infimum inter omnes creaturas locum delegisset; an non turbari atque trepidare debuit, quæ se supra omnes feminas benedictam Angelica voce appellari audiuit,cùm ipsa se in infimo cunctarũ feminarũ ordine per humilitatis spiritum collocasset? Verè enim humili, ac de se humiliter ac demissè sentienti,nihil magis aut nouũ aut incredibile est, quàm suas laudes audire;aliudq. de se pronunciari,quàm quod ipse de se singulis penè horis ac momentis statuit. Nec solùm hoc tanquam inopinatum & nouum, sed etiam tanquam valde periculosum exhorret. Sic enim qui diues auri & argenti est, vehementer timet,cùm circa thesaurorum suorum apothecas fures circumcursare videt;ita verè humilis non minùs trepidat, cùm laudes suas audit,quas humilitatis (hoc est, maximi & incomparabilis thesauri) fures esse cognoscit. Vbi aliquando B. Bernardum (cùm adolescens adhuc in sæculo degeret) dormientem impudica femina esset adorsa, vt illi violandæ castitatis occasionem præberet;pudicus adolescens voce magna clamasse dicitur, Latrones,latrones. Cumq.ad hanc vocem excitati famuli,lustrata domo, quæsitos latrones minimè reperissent, illumq. frustra clamasse contenderent;ille contrà: Verè,inquit,latro affuit,qui irreparabilem castitatis thesaurum furari voluit. Vt ergo impudica femina castitatis, ita humanæ laudes veræ humilitatis insidiosi atq. blandi fures sunt. Quid enim blandius,quid suauius,quàm suas quemq laudes audire? Si enim cùm laudes eorũ audimus, quos charos habemus,nõ veras modò, sed interdũ etiam falsas,voluptatem capimus;quomodo quisq.laudes suas molestè ferat,cùm se supra alios charissimũ habeat? Quod cùm facit,& se ipsum decipit,& humilitati aduersatur; cùm iam non in Deo(cuius bona omnia sunt)sed in seipso glorietur. Aduersus autẽ hoc furtũ Propheta clamat: Popule meus, qui te beatum dicunt,ipsi te seducunt,& semitas gressuum tuorum dissipant O quàm delicata est,fratres,virtus humilitatis, quæ sæpe leuissima vanitatis aura, vel aliunde spirata,vel à nobis exorta, extingui solet! Quid enim aliud Pharisæus ille in Euangelio fecit,quàm quòd gratias Deo egit,quòd his flagitiis careret, à quibus longissimè aberat, & solida virtutum suarum officia recenseret? & in ipsa tamen gratiarum actione locũ inuenire superbia

Bernard.

Isaiæ 3.

Lucæ 18

perbia

perbia potuit. Est enim subtilissimus superbiæ flatus: cui quamuis diligẽter aditus omnes obstruas, si vel vna ei rimula pateat, illa intrat, illa penetrat, & incomparabili humilitatis thesauro hominem spoliat. Quocirca hostis hic adeò perniciosus centenis est oculis obseruandus, & omnis cogitatio, quæ laudis, vel virtutis, vel existimationis aliquid nobis tribuat, tanquam dira pestis, & quædam gehennæ scintilla, sine vlla mora est à nobis excutienda.

Quæ cùm ita sint, non mirum, si humillima Virgo audiendis laudibus suis turbatur ac timet, quas humilitatis (hoc est, inæstimabilis thesauri) fures esse sciebat. Vtinam Reges omnes & Principes viri, qui tot adulantiũ greges post se trahunt, vel hoc vnum ab hac sanctissima Virgine discerent, vt ad laudes suas, vel Angelico etiam ore prolatas, trepidi semper, pauidique subsisterent. Hoc certè cõstat, humanas laudes instar vini meri esse, quod Principum mentes inebriat, eosq́ sibi ipsis eripit, & à verissima sui cognitione abducit. Denique grauissimus Stoicorum Philosophorũ Seneca, cùm omnia in opulentorũ atq. felicium domibus esse fateatur, veritatem tamen, pulcherrimum Dei munus, ab eorum auribus quàm lõgissimè abesse testatur. Eius hæc verba ad Liberalem amicum sunt: Mõstrabo tibi cuius rei inopia laborant magna fastidia, & quid omnia possidentibus desit. Ille, scilicet, qui verum dicat, & hominem inter mẽtientes stupentẽ, ipsaq. consuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductum, vindicet à contemptu falsorum. Non vides quemadmodum illos in præceps agat extincta libertas, & fides in obsequium seruile submissa? dum nemo ex animi sui sententia suadet dissuadetque, sed adulandi certamen est, & vnum amicorum omnium officium, vna contentio, quibus blandissimè fallant.

Seneca in Epist.

Sed vt eò, vnde digressa est, oratio redeat; cùm Angelus trepidationem Virginis intellexisset, metum illi omnem his verbis adimit: *Ne timeas Maria; inuenisti enim gratiam apud Deum.* Rectè ait, Inuenisti. Ea enim inuenire dicimur, quæ aliud agẽtes, non tam quæsita quàm oblata deprehendimus: quomodo Euangelicus ille fossor thesaurum in agro, quem non quærebat, inuenit. Quod ideò dicimus, quia maternæ dignitatis gratia à sacra Virgine (vt ita dicam) inuenta est, non quęsita. Ea enim dignitatis huius magnitudo est, vt potuerit quidem inueniri, non tamẽ vllis meritis ex æquo dari. Nulla quippe sanctitas adeò eximia, nulla merita, quamlibet maxima, esse potuerunt, quibus hanc tantam gloriam vlla creatura ex condigno (vt loquuntur) mereri potuisset. Quod autem merita superat, diuina gratia largitur; quæ plura donare potest, quàm iustitia nostra promereri,

Mat. 13.

Simile. mereri. Sicut enim infinitis partibus misericordia Dei peccata omnia superat: ita eius liberalitas merita omnia longissimo interuallo vincit: hoc est, sicut infinitis partibus plus est quod Deus ignoscere, quàm quod fragilis homo peccare potest; ita longè plus est quod Dei gratia donare, quàm quod iusti hominis labor & industria mereri potest. Nec enim ea meritis hominum (quæ exigua sunt) alligata semper est, sed ab ineffabili Dei bonitate pendet, quæ immensa est. Rectè ergo Angelus, *Inuenisti*, ait, *gratiam apud Deum*: quia ad eam dignitatis magnitudinem euecta es, quæ merita omnia (vt paulo antè exposuimus) superat, quamque sola diuinæ bonitatis largitas donare potuit. Quid verò hęc tanta gratia contineat, exponit protinus cùm ait:

Ecce concipies in vtero, & paries filiū, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedē Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternū. Hic locus exigit, vt cuiusmodi hoc Christi regnum sit, exponamus. Constat igitur domum Iacob & Israëlis, Ecclesiam Christi esse) ex veris Israëlitis, (hoc est, ex iis qui Israëlis fidem sectantur, conflatam. Si enim Israëlita est, qui genus, hoc est, carnem & sanguinem ducit ab Israële; quomodo Israëlita non erit, qui spiritum & mentem habet Israëlis? Illum autem Apostolus designauit, cùm ait; Videte Israël secundùm carnem; hunc autem Saluator ostendit, cùm viso Nathanaële dixit: Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est. Ille enim carnem & sanguinem, hic fidem & spiritum ab Israële sortitur. Quare sicut magis beati Dominici vel Francisci filij dicendi sunt, qui eorum spiritum hauserunt, & mores imitantur, (cuiuscunque status aut ordinis existant) quàm qui in eorum solūmodo instituta iurarunt, illorumque habitu vestiūtur: ita magis Israëlis aut Abrahæ filij censendi sunt, qui eorum fidem & pietatem referunt, quàm qui ab eis originem ducunt. Constat item, regnum Christi, de quo Angelus hoc loco mentionem facit, spirituale & æternum esse. Huius autem regni proprium est, spiritualibus atq. diuinis opibus homines locupletare, eosque à veris malis eripere, sanctissimisque legibus ad optatum sempiternæ felicitatis finem dirigere. Quæ omnia nobis Christus Dominus cumulatissimè præstitit. Ipse enim nos à veris malis, hoc est, à peccato, gehenna, & inimicitia Dei liberauit; & ita liberauit, vt omnia diuini furoris tela in nos intenta, in se vnus exciperet. Eius enim est illa vox: Omnes gurgites tui & fluctus tui super me transierunt. Ipse etiam iustissimis legibus vitam nostram regit ac moderatur; quodque maius est, non scriptis legibus modo (littera enim occidit, spiritus autē viuificat) sed Spiritu suo nos in cælū dirigit,

Margin notes: 1. Cor. 10. — Ioan. 1. — Simile. — Ionæ 2. — 2. Cor. 3.

git, & vitæ cæleſtis monſtrat iter, non ſolùm erudiens mentem ad ſalutem, ſed etiam voluntatē, ad id quod ſalutare eſt, ſtimulans & excitans: vtrumq. enim Spiritus Chriſti officium & munus eſt. Qui enim ouiculam docet inter varias herbas ſalutares eligere, noxias reſpuere; & lupum quidem hoſtem, canem verò lupo ſimilem, amare: idem ſingulari prouidentia pios omnes internō quodam afflatu, vitiorum odium, & virtutum amorem illorum mentibus ingenerat: idemq. ipſos, dæmonem horrere, Deum diligere, terrena deſpicere, & ad cæleſtia ſemper adſpirare docet. Quî enim fit, vt vir pius mille mortes priùs ſubire, quàm mortiferum crimen committere paratus ſit, niſi quòd hic Spiritus cæleſtis tantam illi peccati deformitatem oſtendit, tantumque aduerſus illud inſpirat odium, vt ſi hinc gehennæ ignem, inde lethale peccatum ante oculos ponas, in ignem magis irruere, quàm in huiuſmodi peccatum incidere malit. His ergo rationibus Chriſtus Dominus in cælo reſidens, Eccleſiam ſuam ductu atq. imperio ſempiterno regit & moderatur. Quos enim ſemel viſibili corporis præſentia reliquit, Spiritus ſui ductu nunquam deſerit: hoc enim nobis ſolatium, è mundo abiēs, reliquit, cùm dixit; Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi. Et alio in loco: Non vos, inquit, relinquam orphanos; vado & venio ad vos. hoc eſt, Nunquam vos deſeram, ſed ſemper inuiſam, ſemper tuebor, ſemper quæ veſtra ſunt curabo. Ita fit, vt quiſque noſtrûm cum Propheta dicere poſſit: Ego quidem mendicus ſum & pauper, Dominus ſolicitus eſt mei. Quid ergo mihi tali prouidentia tecto vel obeſſe poterit vel deeſſe, niſi ipſe mihi deſim? Hoc eſt autem regnum illud quod quotidie in oratione Dominica ad nos venire precamur: hoc enim à Deo petimus, vt non iam caro & ſanguis, non cupiditatis tyrannis, non terreni affectus, non propria voluntas, non denique mundus ipſe, (hoc eſt, mundi leges atque iudicia) ſed Dei Spiritus in nobis regnum obtineat, & clauum vitæ moderetur, vt ab his impuris atque ſæuiſſimis dominis manumiſſi, eius ſolùm legibus & Spiritu dirigamur: Venit enim (ait Bernard.) auaritia, & vindicat in me ſibi ſedem; iactantia cupit dominari; ſuperbia vult mihi principari; luxuria dicit, Ego regnabo; ambitio, detractio, inuidia & iracundia certant in me ipſo de meipſo, cuius ego potiſſimùm eſſe debeam. Veni ergo, Domine Ieſu, & diſperde hoſtes meos in virtute tua; quia tu es Rex meus, & Deus meus. Hoc eſt ergo regnum Chriſti, quod perpetuò manſurum, & Angelus hoc in loco Virgini, & ſanctus Daniel, ceteriq; Prophetæ multis in locis cecinerunt: quia nunquam in Eccleſia piæ mentes deerunt, quæ, rebus omnibus ſeculi contemptis, ſe totas

Simile. Mat. 28. Ioan. 14. Pſal. 39. Mat. 6. Bernard. Dan. 7.

totas diuinis legibus, diuinoque Spiritui regendas tradant.

His igitur tam magnis mirandisque promissis auditis, sacra Virgo in id præcipuè oculos coniecit, quod prima fronte, quam Deo sacrauerat, pudicitiam lædere videbatur; ideoque ait: *Quomodo fiet istud? quoniam virũ non cognosco.* Quæcunq. alia virgo hoc cælesti oraculo, cælestiq. nuncio audito, nihil quęreret, nihil hæsitaret, nec de iactura pudoris, Deo imperante, solicita esset; sed magis de hac singulari felicitate iucunditatem, quàm de iactura virginitatis dolorem caperet: nostra tamen Virgo, vt prudentissima, ita puritatis amãtissima, non tam de felicitate sua læta, quàm de iactura pudoris anxia, prudentissimè quærit; *Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco.* Quibus verbis nequaquã se diuinæ voluntatis imperio subtrahit, sed tamen propositi sui firmitatem declarat, vt ne hac tã magnifica promissione commota (si id quidem illi per Deum liceret) ab eo retrocedere vellet. Quæ quidem tam admiranda Virginis stabilitas atq. constantia nostram facilè arguit leuitatem & inconstantiam; qui stipula leuiores, quouis flatu huc & illud agitamur: nec in iis, quæ quotidie coram Deo proponimus, firmitatem vllam retinemus, sed leuissimis de causis ab intentionis nostræ proposito deducimur. Quo fit, vt quotidie incipientes atq. dicentes, nunquam ad scientiam veritatis perueniamus. Sola enim perseuerantia indefessumque proficiendi studium, hominem ad perfectionis culmen perducit, solaque coronatur.

Bernard. super Missus est.

D. autẽ Bernard. hoc Virginis respõsum sic explanat, vt illam dicat non de facto dubitasse, sed modum & ordinem requisisse. Nec enim quærit, an fiat istud, sed quo modo fiet: eius hæc verba sunt: Cùm sciat Dominus meus votum esse ancillæ suæ, non agnoscere virum; quo ordine, qua lege placebit ei, vt fiat istud? Si oportuerit me frangere votum, vt pariam talẽ filium; & gaudeo de filio, & doleo de proposito. Hactenus ille. Fateor hoc in loco, fratres, sępe me hanc D. Bernard. explanationem in magnam admirationem adduxisse, & inæstimabilem Virginis huius puritatem ante oculos posuisse. Quid enim immensa Dei opulentia in hoc genere maius habuit quod huic Virgini conferret? Hac enim maternitatis dignitate, nulla dignior in femina aut esse, aut animo fingi potest. Audit ergo tenera puella, humili fabro desponsata, se in Dei omnipotentis matrẽ, in hominum Angelorumque Reginam, in mundi & cælorum Dominam eligi: atq. (vt vno verbo finiam) in hac tanta cælestium atque terrestrium rerum vniuersitate proximũ sibi locum post vnicum Dei Filium assignari. An non ergo æquum esse videbatur, vt hęc tanta dignitas amittẽdi pudoris (si is fortè amittendus esset) memoriam omnem ex eius animo deleret, quæ tam singu-

ſingulari dignitatis honore penſabatur; præſertim cùm ad hoc ipſum diuinæ voluntatis cõſenſus & imperium accederet? Hæc planè noſtra ſententia, hoc iudicium foret: alius tamẽ animus, alia mens, aliud conſilium immaculatę Virginis extitit. Tantus enim medullis eius virginitatis amor inſederat; tantumque in hac virtute pulchritudinis & dignitatis eſſe iudicabat, tamque ardenti eius dilectione rapiebatur, vt ne hac tanta dignitate (qua nulla poſt ſacram Chriſti humanitatem maior excogitari poteſt) oblata, mœrorem omnem amiſſi pudoris, ſi is forſitan (vt dixi) amittendus eſſet, ab eius animo excutere potuiſſet. Quam quidem puritatem atq. animi firmitatem adeò diuinæ maieſtatis oculis gratam fuiſſe credo, vt, ſi matris Dei dignitas virtutum meritis obtineri potuiſſet, huius certè operis merito obtinenda fuiſſet. Quo in loco meritò aduerſus impudicos omnes indignari & exclamare poſſemus, qui inæſtimabilem caſtitatis theſaurum viliſſimis pecudum voluptatibus cõmutare non verentur: O ſtulti mercatores! ô deteſtandũ cõmercium! ô cæci & amentes homines! Certè ſi non humano ſenſu, ſed pondere ſanctuarij (hoc eſt, diuino iudicio) caſtitatis dignitatem appenderetis, tanti eam faceretis, quanti hæc prudentiſſima Virgo fecit; quæ cæleſti lumine illuſtrata, virtutis huius dignitatem, candorem, pulchritudinem, ſuauiſſimum odorem, & Angelicam puritatem ita agnouit, vt nullis, nec terrenis, nec cæleſtibus eam opibus vellet commutare. Tu verò miſer & amens, viliſſimo illam pretio venalem habes; imò & teipſum atque animam tuam vendis, & miſeræ ſeruituti & captiuitati, nunquam fortaſſe diſſoluendæ, addicis. Sic enim legimus: Pretium ſcorti vix eſt vnius panis; mulier autem viri pretioſam animam rapit. Rurſumque, Inueni, ait idem Salomon, amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum eſt, & ſagena cor eius, vincula ſunt manus illius. Hinc etiam colligere licet, quantum pia mens diſtat ab ea quæ Dei Spiritu deſtituta eſt. Olim quidem Iephthe Ducis filia, quòd intacta & innupta eſſet moritura, duorum mẽſium inducias à patre popoſcit, vt virginitatem ſuam in montibus cum ſodalibus ſuis fleret. Itaque ſe miſeram lamentabatur, non quòd virginitatem amiſiſſet, ſed quòd amittendi cauſam non haberet. De corruptione igitur, quam in futuris nuptiis ſperabat, gauiſura eſſet, quæ tunc virginitatem deflebat. Atque hic quidem eſt animus, hic affectus eorum qui humano ſpiritu & ſenſu ducuntur: verùm qui Dei Spiritu aguntur, aut Virginis exemplo incorruptam virginitatem perpetuò ſeruant, aut malè amiſſam perpetua lamentatione deplorant.

Prou. 6.

Eccle. 7.

Iudic. 10.

Quid ergo ad hãc Virginis interrogationem Angelus? *Spiritus,*

tus,ait, *ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideoq; quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Cumque exemplo ſterilis Elizabeth huius admirandæ veritatis fidem feciſſet, beatiſsima Virgo nihil morata, cæleſti legationi conſenſum ſumma cum humilitate præbuit. *Ecce*, inquit, *ancilla Domini: fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Quo vno verbo, ſalutis & redemptionis humanæ opus, cunctis retrò ſeculis deſideratum, hodierna die feliciter cœptum eſt.

Quid ergo nunc ſupereſt, fratres, niſi vt finem principio iungentes, cùm à diuinorum beneficiorum cõmemoratione cœperimus, in eam tandem redeamus. Immortales ergo pro hoc tanto beneficio; non ſolùm Virgini, ſed multo magis Saluatori noſtro gratias agamus, & cũ Zacharia ſuauiſsimũ illud canticũ concinamus: Benedictus Dominus Deus Iſraël: quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ. Quod ſi hanc tantam animi gratitudinem ſanctus hic ſacerdos pro hoc communi beneficio oſtendit; quid beatiſſimam Virginem hodie feciſſe credendum eſt, quæ tanto maiori communis ſalutis deſiderio flagrabat; quæq. cùm maxima ſua gloria totius generis humani ſalutem coniunctam eſſe videbat? Quas illa hodie laudes Deo cecinit? quas pro hoc tam ineffabili myſterio gratias egit? quo deuotionis & charitatis affectu in Deum exarſit? quo ſtupore in admirationem tantæ bonitatis ſuſpẽſa fuit? Quis autem verbis conſequi, vel cogitatione complecti poſsit, quo affectu, quo iubilo cordis, quo ardore charitatis, Canticum illud paulo pòſt cecinit; *Magnificat anima mea Dominũ, Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*? Quantum, quæſo, beata Virgo, Dominum magnificabas, qui tã magna in te fuerat operatus! quãtum exultabas in Deo, quæ non vt Deum modò, ſed vt filium, ſupra omnes filios dilectum, incredibili amore diligebas! Nec enim dignitatis tuæ ignara eras; vtpote quæ ab Angelo edocta fueras; quam etiam mundo nõ ignotam fore vaticinata es, cùm te à cunctis generationibus beatam eſſe prædicãdam veriſsimè prædixiſti. Quis autem huius vaticinij veritatem non miretur, cùm ſponſa humilis fabri in angulo Iudææ poſita, id ſibi tribuendum dicat, quod nullis in orbe Regibus aut Reginis, imò nulli creaturæ hactenus tributum eſt? Beatam enim hanc Virginem vſq. hodie prædicant & fideles, & hæretici; & Mahometani item atque immaniſsimi etiam Turcæ Mariam prædicant, Mariæ laudes reſonant, Mariæ dignitatem & ſanctitatem in cælum tollunt. Generationes igitur omnes linguis, moribus, legibus, religione, fide, & capitali odio inter ſe diſsidentes, in hoc vnum tamen pari mente conſpirant: tanto Chriſtus matrem ſuam honore celebrari voluit. Agamus ergo Redemptori gratias: primùm, quod

Lucæ 1.

Luc. 2.

quòd vitam nobis initio conditionis nostræ donauit; deinde, quòd eandem per peccatum amissam restituit; ac postremò quòd vitam suam impendit, quo nostram nobis redderet. Datus ergo mihi & redditus (vt D. Bernard. ait) me ipsum totũ debeo, & bis debeo. Quid verò pro nobilissima illa Dñi mei vita (qua in vitã redditus sum) exoluã! Quid enim sum ego ad Dominum meũ? Quantum ergo nefas est, vitã, quam illi tot nominibus debeo, mundi & carnis, hoc est, turpissimorum dominorũ seruituti addicere, & à diuino imperio subtrahere! Quod autem furtum execrabilius, quàm id velle Deo eripere, quod tot ei nominibus debitum est? In hoc enim (vt Apostolus ait) Christus mortuus est, vt viuorum ac mortuorum dominetur; vt, qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est. Cuius autem periculi sit, hoc officium, tot nominibus debitum, præstare nolle, idem Apostolus declarat his verbis! Irritam quis faciens legem Moysi, absque vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur. Quanto ergo deteriora mereri putatis supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamẽti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Huius ergo tanti mali vitandi gratia, fratres, diuina nobis quotidie beneficia ob oculos ponuntur, vt amore tanti Redemptoris incensi, illum ante oculos semper habeamus, illum imis præcordiis infigamus, illum dies noctesque cogitemus, illius præceptis pareamus, illum denique tanquam verum salutis nostræ auctorem, & certissimum vitæ ducem, sequamur, vt illius vestigiis insistentes, cum eo in cælesti gloria perpetuò regnare mereamur.

Bernard.

Rom. 14.

Hebr. 10.

IN EODEM ANNVNTIATIONIS DOMINICÆ FESTO, CONCIO SECVNDA: in qua lectio Euangelica explanatur.

THEMA. *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum.* Lucæ 1.

SI QVIS verè lætus & faustus dies mundo hactenus illuxit, hic certè vnus est, in quo mala generis humani finẽ, & bona omnia felicissimũ sumpsere principiũ. Hodie rẽ adeò mirabilẽ & nouã mundus audiuit, vt eã nulla nec hominũ nec Angelorũ cogitatio (nisi Deo reuelãte) aut sperare, aut credere potuisset; nempe summũ illũ hominũ & Angelorũ Dominum (ad cuius

nutum

nutum columnæ cæli contremiſcunt, quem laudāt aſtra matutina, cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur) mortalē hominem, ſimilemq. nobis paſſibilem effectum eſſe. Quid igitur hoc miraculo maius? quid hoc myſterio ſublimius? quid hoc beneficio mirabilius? Sicut enim inter infauſtos huius mundi dies (qui multi quidem olim fuerunt, & multi adhuc futuri exſpectātur) nullus funeſtior illo fuit, in quo callidus ſerpens primam feminā decepit, eiq. poculum mortis propinauit: ita inter fauſtos ſeculi dies vix vllus eo felicior extitit, in quo Angelus ſacram Virginem Dei iuſſu conueniens, & illi & nobis omnibus vitæ fructum obtulit. Meritò ergo dies hic feliciſſimus nobis & celeberrimus eſſe debet. Cæterùm ea in re mirè quidē diuinæ ſapientiæ conſilium elucet, quòd hac potiſſimùm ratione ſaluti noſtræ conſuluit, vt quemadmodum femina ruinæ noſtræ cauſa exſtitit, ita femina ſalutis noſtræ miniſtra eſſet: vt, ſicut illa mortis venenum toti mundo porrexit, dum viro obtulit, in quo vniuerſum genus hominū erat; ita femina eſſet, quæ toti mundo vitam largiretur, dum Chriſtum peperit, qui vitæ noſtræ auctor & inſtaurator eſt. Itaq. maledictio quæ in mundum inuecta fuit per Euam, hodie ſublata eſt per Mariam. Iam ergo (vt D. Bern. ait) non habes, homo, cur de Deo queri poſſis, cur ve dicas: Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Hæc enim fuerunt verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis, quæ iram magis quàm miſericordiam prouocarēt. Sed ne hoc ipſum iactare poſſis, datur tibi hodie femina pro femina, humilis pro ſuperba, quæ pro ligno mortis, guſtum porrigat vitæ. Muta ergo iniquæ excuſationis verbum in vocem gratiarum actionis, & dic: Mulier, quam dediſti mihi, gratia plenam, dedit mihi de ligno vitæ fructum benedictum, & comedi, & dulce factum eſt ſuper mel ori meo, quia in ipſo viuificaſti me. De hoc igitur ſalutis noſtræ beneficio hodie dicturi, cæleſtem opem, eiuſdem beatiſſimæ Virginis interuentu, ſuppliciter imploremus.

Geneſ. 3 · *Bernard* · *Gen. 3.* · *Pſal. 140.*

AVE MARIA.

Quoniam exordiū redemptionis noſtræ hodierna die celebramus; libet, fratres, Euangelicam lectionem, quæ huius myſterij narrationem continet, Domino aſpirante, explanare.

Miſſus eſt Gabriel Angelus à Deo in ciuitatem Galilææ. Hūc Angelum nō ex infimis, ſed ſummis illis ordinibus extitiſſe, non ſolùm D. Bernardus, ſed multi etiā ſanctorū Patrum arbitrantur: quod & ipſius quoque nominis interpretatio (interpretatur enim fortitudo Dei) & legationis dignitas facilè declarat. Nec enim hoc tantum munus, quo ſalus & inſtauratio mundi continebatur, niſi ſummo alicui nuncio committi debuit; præſertim

fertim cùm iuxta Patrum traditionẽ, inferiorũ Angelorum sit, minora; Archangelorum autem, maiora nũciare. Nullũ autem nuncium hoc neq. maius, aut mirabilius, aut mundo salutarius hactenus annunciatũ fuerat. Vnde colligere possumus, & Angelos, & sanctos item homines, quò Deo propiores sunt, eò magis quæ nostra sunt, curare, magisq. nobis omni ratione cõsulere. Quo enim Deo sunt coniunctiores, eo magis immensam illius charitatem, benignitatem, & misericordiã referũt. Qua ex re facilè mihi persuadeo, sanctissimã Virginem, quæ charitatis virtute sanctos omnes superauit, in hoc diuinæ incarnationis mysterio, non tam de sua dignitate, quàm de nostra salute exultasse; nec tam pro beneficio sibi collato, quàm pro mundi redemptione communi Domino gratias egisse. Vnde colligere licet, fratres, eos quos proximorum mala non tangunt, qui alienis miseriis non cõmouentur, qui illis, pro facultatibus quisque suis, subuenire negligunt, qui saluis rebus suis, si omnia funditus corruant, nihil ad se pertinere putant, lõgissimè à Christiana charitate, imò à Deo ipso distare, quando & Angeli, & Sancti omnes, quo Deo viciniores, hoc communis salutis & publicæ vtilitatis sunt auidiores, cùm diuinitatis natura, bonitas, benignitas, & misericordia sit. Sed ad historiam redeamus.

Hic ergo insignis Angelus à Deo mittitur *in ciuitatẽ Galilææ, ad virginẽ desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph.* Quæ fuit necessitas, vt quæ illibata virgo futura erat (qualem esse Dei matrem decebat) viro despõsata esset? Multæ sunt causæ, sed illa tamen præcipua, quã D. Ambrosius affert: quòd hac ratione Dominus genitricis suæ honori & famæ consultũ esse voluit, ne videlicet sacer ille partus dedecoris & infamiæ notam aliquam virgini, quamuis falsam, inureret. Ita factum est, vt Virginis filius sicut matris integritatem nascendo nõ minuit, sic nec eius gloriam aliqua dedecoris labe asperserit: nec enim in hoc venerat, vt quę nostra essent minueret, sed vt ea nouis accessionibus aucta cumularet. Hac etiã ratione parùm prouidis & incautis virginibus excusatio omnis adempta est, ne hoc leuitatis & licẽtiæ suæ solatium habere possent, quòd ipsa quoq. mater Domini infamata fuisset. Vera enim virginitas non minori penè cura famã pudoris, quàm pudorem ipsum seruare studet: hoc, ne puritatis amatori displiceat; illud, ne hominum oculos offendat, & aliis exemplo suo, vel obscœni rumoris, vel impudici operis occasionem præbeat. Habet enim illud Apostoli semper ante oculos, Prouidentes bona, nõ solùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Quod præceptũ cùm ad omnes omnibus in rebus pertineat, tũ ad feminas & virgines magnopere spectat. Pudica enim femina vt corporis castitatẽ, ita nominis integri-

Ambros.

Rom. 12

tatem summa cura tueri debet. Hinc Philosophus quidam rogatus, quæ esset pudica femina; sapientissimè respondens, Illa, inquit, de qua mentiri fama veretur.

Vbi verò cælestis nuncius ad Virginem venit, eamq. vt futuram Dñi sui matrem, honorificentissimis verbis salutasset, gratia plenam, & super omnes mulieres benedictam appellans: sacra Virgo his nouis titulis & laudibus adeò delectata non fuit, vt etiam turbaretur ac trepidaret, & intra se tacita cogitaret, quid noui isti tituli & laudes sibi vellet: quas illa, vt verè humilis, in se non agnoscebat. Maria namq. non minùs humilitate quàm virginitate, cæterisq. virtutibus, eminebat. Imò verò quo magis cæterarum virtutum amore flagrabat, eo magis humilitatem colebat, quæ & ipsius virginitatis & cæterarum virtutum custos existit. Hinc sancti Patres asserere nō dubitant, Mariam virginitate quidem concepisse, humilitate autem placuisse; eiusque humilitatem scalam fuisse (vt D. Augustinus ait) qua Deus ad homines descenderit. Hac autem virtute diuinus Spiritus mentem eius potissimùm exornauit: quia cùm Virgo virginum, hoc est, virginitatis exemplar, in Ecclesia constituenda esset, decuit planè illam virtutē in ea maximè elucere, quæ virginitatis comes indiuidua esse debet; sine qua virginitas adeò non placet, vt etiam magnarum ruinarum occasio sit. Minus enim periculi est in humili culpa, quàm in virginitate superba. Superbia enim effecit, vt quinque illæ fatuæ virgines ab ipsis cæli foribus repulsæ fuerint; quia (vt D. Chrysost. ait) magnum virginitatis consilium seruantes, paruū humilitatis mandatum seruare neglexerūt. Superbia quippe virginitati insidiatur, quæ & alios contemnere, & sibi nimium tribuere suadet. Quocircà virgines illud Apostoli consiliū ante oculos semper habere debent: Qui nō manducat, manducantē nō spernat: hoc est, Qui in vna aliqua virtute præcellit, nō protinus eos despiciat, qui ea destituti sunt. Fieri enim potest (& id quidem non raró) vt qui in vna aliqua virtute alios vincit, in multis ab aliis superetur. Quamobrem virginitas, tanquā vallo quodam, humilitate sepiēda est, ne per superbiam ruat. Alia enim vitia virtutibus extinguuntur, sola autē superbia & inanis gloria est, quæ, nisi diligenter prospicias, virtutum aliarum accessione pinguescat, & quodammodo vires colligat. Eo ipso enim homines supra alios efferuntur, quòd multis eos virtutibus antecellant. Quia ergo virginitas humilitatis præsidio sepiēda est, Spiritus ille cælestis, certissimus virtutum magister, quam virginitatis exemplar in Ecclesia statuebat, perfectissimæ humilitatis exēplum esse voluit. Ideoq. non mirum si ea laudes angelico etiam ore prolatas audiens, turbetur ac timeat; quia verè humili nihil magis aut nouum,

August.

Mat. 25.

Chrysost.

Rom. 14.

nouum, aut timendum eſt, quàm ſuas laudes audire.

I.

Sed quæret fortaſſe aliquis, quonā modo humilis corde ſanctiſſima Virgo eſſe potuit, quæ peccati omnis expers erat? Cùm enim in hoc ſita eſſe humilitas videatur, vt ſe homo viliſſimum peccatorē credat, qui, inſtar illius Euāngelici publicani, ne oculos quidē ad cælū leuare audeat: quomodo ſacra Virgo peccatricem ſe crederet, quæ nullius ſibi peccati cōſcia erat? Vera enim & ſolida virtus non deceptione & mendacio (quod fragile fundamentum eſt) ſed veritate niti debet. Ad hoc igitur ſciendum eſt, non ſolùm admiſſi ſceleris conſcientiam, ſed multo magis paupertatis ſuæ certiſſimam cognitionem virtutis huius ſolidum fundamentum eſſe: hoc eſt, vt homo inopiam & nuditatem ſuam, imò & nihilum ſuum apertiſſimè cognoſcat, videatque, ſe quidem ex ſe nihil eſſe, nihil Deo dignū ſapere, nec aliquid boni ex ſe, tanquam ex ſe, cogitare poſſe; ac denique nihil ſibi vel in bonis naturæ vel gratiæ arrogare, ſed omnia Deo, bonorum omnium fonti, demiſſo corde tribuere, nec aliquid, niſi nihilum ipſum, ſuum eſſe ducere; quidquid verò ſupra nihilum eſt, alienum eſſe, hoc eſt, gratuitum Dei donum eſſe. Hac cordis humilitate ipſæ quoque Angelicæ mentes (quæ ab omni peccato immunes ſemper fuerunt) & Sancti omnes, qui in cælo ſempiterna felicitate fruuntur, præditi ſunt: quia quicquid habent, quidquid ſunt, clariſſimo intuitu Dei eſſe cognoſcunt, & illi tribuunt, illi acceptū ferunt, illi continēter pro eo gratias agūt, illi ſe totos profunda humilitate, & æterna ſeruitute ſubmittunt; atque ita demum in ſe humiles, erga Deum verò grati atq. deuoti perſiſtunt. Quod quidē Ioannes in Apoc. appoſitiſſima imagine repræſentat, qui illos quatuor & viginti ſeniores Deo aſſidentes, ait ante eius thronū procidiſſe, & coronas aureas, quibus eorum capita redimita erant, ante pedes eius proieciſſe; hoc ipſo opere profitentes, ſe & coronas aureas, & regiam dignitatem & gloriā ab eo percepiſſe, ideoq. totos ſeſe illi ſubmittere, & pro hoc tanto munere gratias agere: quæ omnia veræ humilitatis officia ſunt. Hanc ipſam cordis humilitatē ſupra cunctos etiā Angelos retinuit ille qui ait: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Non ſolùm enim humili corporis obſequio, ſed interna quoq. animi ſubmiſſione humilis erat; & ita humilis, vt quo propior ſempiterno Dei Patris Verbo ſecundùm humanitatē erat, clariuſq. immenſum illud lumē videbat; eo etiā clariùs vniuerſam illam cæleſtiū donorū atq. gratiarum opulentiam, quā perceperat, gratis ſe à Deo Patre recepiſſe intelligeret; & ab eo ſe ita pendere videret, vt ipſum quidem eſſe, quo ſacra illa humanitas ſubſiſtebat, non à ſe, ſed à Verbo, cui

Apoc. 4.

Mat. 12.

vnita erat,mutuatũ cognosceret;ita,vt si ab illo dimitteretur,in nihilũ protinus recideret. Quo clariùs autẽ anima illa sanctissima hæc omnia cognoscebat,eo & humilior erat,seq́.submissiùs ante illius tremendæ maiestatis conspectũ demittebat. Hoc est enim quod Vates sanctus significare voluit,cùm dixit: Replebit eum Spiritus timoris Domini. Hãc igitur cognitionem secundo loco beatissima Virgo post filium habuit, ideoq́. supra creaturas omnes humilitatis virtute excelluit, quamuis peccati omnis expers fuerit. Satis enim ad hanc virtutem retinendam erat clarissima illa cognitio,quæ, quicquid erat,Dei donũ esse apertissimè nouerat. Quam quidem cognitionem profunda quædam submissio,mentis deuotio, ardentissimus amor, & gratiarum actio cõsequebatur. Hoc autẽ cùm ex aliis scripturæ locis, tum præcipuè ex visitatione Elizabeth D. Bernardus colligit his verbis: Ventum est ad Elizabeth, & cõtinuò Virginis gloria singularis eidẽ per Spiritũ reuelatur. Deniq. & mirabatur personam venientis,dicens: Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Commendabat & vocẽ salutantis, adiiciens; Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo: & beatificabat fidẽ credentis; Beata,inquiens,quæ credidisti, quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Dño. Magna quidem prǫconia,sed & deuota humilitas,nihil sibi passa retinere,in eum magis vniuersa refudit, cuius in se beneficia laudabantur. Tu,inquit, magnificas matrẽ Domini,sed magnificat anima mea Dominum. In voce tua filium tuũ perhibes exultasse,sed exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Beatam esse dicis quæ credidit; sed credulitas, & beatitudinis causa,respectus est supernæ pietatis; vt ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes, quia ancillam humilem & exiguam respexit Deus. Hactenus Bernardus.

Isai. 11.

Bernard.

Lucæ 1.

Verùm his iactis fundamẽtis; quinam surculi ex hac humilitatis radice nascãtur,paucis aperiamus, quo ad virtutis huius amorẽ accẽdamur. Primũ igitur ex hac clarissima paruitatis suę ac diuinæ gratiæ cognitione oritur contemptus atq. despicientia sui; in qua (vt D. Thom. ait) humilitas ipsa consistit, quæ in voluntate,tanquam in subiecto,sedẽ habet: ideoq́. humilitatem D. Bernardus sui ipsius despicientiam esse ait; quæ ex verissima sui cognitione proficiscitur. Secundus verò surculus est, diffidentia sui, ex hac ipsa cognitione procedẽs. Qui enim nihil se esse verè cognoscit,quid habet,cur sibi vni citra Dei opẽ fidere debeat? Tertius,qui hũc sequitur,est,cùm sibi ipsi homo fidere nõ audeat,quærat deinde,cui tutò fidere possit; cui præstò fides adest,fiduciã illi subministrans,quæ diuina misericordia, eiusq́. pietate nititur. Solius enim Dei est propria virtute niti, solusq́.

S.Thom.

Bernard.

cui tutò homines fidere possint: cætera quippe humana præsidia, vt instabilia, ita sunt incerta, infida, fragilia, & spes nostras sæpe fallentia. Quartus est, humilis & fidelis erga Deum conuersio, & oratio: qua, qui nihil sibi tribuit, nihilq. se per se posse cognoscit, suppliciter & fidenter opē eius implorat, in quo vno fiduciam suā, certamq. salutis spem repositam habet. Quintus est, gratiarum actio, & vox laudis. Cùm enim pius homo vel è malis emersit, vel egregium aliquid molitus est, non habet cur hoc sibi sumat, qui se nihil esse cognoscit, sed totum hoc vni illi tribuit, à quo est omne datū optimū, & omne donū perfectum; (Iacob. 1.) ideoq. deuotissimo affectu se totū in laudes eius effundit, cuius beneficio salutem se retinuisse cognoscit. Sextus est, non in se, non in creaturis, sed in vno Deo gloriari atque lætari, & cum Propheta dicere: Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo (Abac. 3.) in Deo Iesu meo. Et illud itē: Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutē. (Psal. 117.) Ad hoc autem verum & solidum gaudium pios omnes idem Propheta inuitat, cùm ait: Lętamini in Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. (Psal. 31.) Quod perinde est, ac si diceret; Iactent alij opes suas, nobilitatem, potētiam, clientelas, corporis vires, ingenij lumen, cæteraq. vel naturæ, vel fortunæ ornamenta; vos verò, qui diuinis beneficiis affecti & cumulati estis, fragilia hęc & inania esse reputantes, opes vestras non in vllis hominum præsidiis, sed in illius benignitate & gratia collocate, in eo solo gloriemini, felicesq. vos esse putate, quòd talem parentem ac Dominum nacti sitis. Et quoniam omnia illi debetis, vos quoq. totos vicissim illius obsequio tradite, quando ipse quoq. totus vester est. Videtis ergo, fratres, quàm salutares & frugiferos surculos radix germinet humilitatis? Quam non solùm his tantis vtilitatibus inducti, sed etiā quòd ea in beatissima Virgine mirabiliter eluxerit, sectari debetis, quicunq. eam vitæ magistram, & apud filium aduocatam sortiti estis. Hanc porrò humilitatem non obscurè ipsa declarauit, cùm turbata est, & timuit, vbi se ab Angelo adeò magnificis titulis ornari vidit.

II.

Cùm ergo Angelus trepidam Virginem aspexisset: *Ne timeas*, inquit, *Maria; inuenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum*: quod quidē Saluatorem sonat. Quid autem tam optabile miseris, tam necessarium perditis, tā vtile desperatis, quàm hoc dulcissimum Iesu, hoc est Saluatoris nomen? Huius autem nominis suauitatem Sponsa in Canticis degustauerat, cùm ait: Oleū effusum nomē tuū. Gustauerat itē D. Bern. qui huius olei suauitatē explicans, (Bernard. Cant. 2.) inquit: Aridus est omnis cibus, si nō oleo isto, nomine scilicet

Iesu, infundatur, insipidus est, nisi isto sale condiatur. Si scribas, non mihi sapit, nisi legero ibi Iesum: si disputes aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Iesus. Iesus mel in ore, melos in aure, iubilus in corde.

Postquam ergo cælestis nuncius legationis suæ causam diligẽter exposuit, sacra Virgo respõdet: *Quomodo fiet istud? quoniam virũ non cognosco.* Bis iam Angelus perorauerat, nec adhuc Virgo silentium soluerat, sed tacita, secum oracula diuina cogitabat. Ecce alius virginitatis & pudoris comes, silẽtium: quod quidem D. Ambros. virginibus studiosè commendat his verbis: Custodi virgo vias tuas, vt non delinquas in lingua tua: etenim bona loqui plerumque crimen est virgini. A quo crimine tãtum abfuit, beatissima Virgo, vt inter pręcipuas huius laudes silentium maximè D. Bern. efferat his verbis: In omni textu quatuor Euangeliorum, si bene meminimus, non nisi quater Maria loquens auditur. Primò quidẽ ad Angelum, sed cùm is iam semel atque iterum allocutus eam fuisset. Secundò ad Elisabeth, quãdo vox salutationis eius Ioannem salutare fecit in vtero; & ea magnificante Mariam, ipsa magis Dñm magnificare curauit. Tertiò ad filium, cùm iam esset annorum duodecim, quòd ipsa & pater eius dolentes quęsissent eum. Quartò in nuptiis ad eundem filium, & ministros. Et is quidem sermo certissimus index ingenitæ mansuetudinis, & virginalis verecundiæ fuit. Aliorum quippe verecundiam, suam reputans, non potuit vini dissimulare defectum: vbi sanè increpata à filio, tanquam mitis & humilis corde nec illi respondit, nec tamen desperauit, ministros admonẽs facere quod eis diceret. Væ nobis, qui spiritum habemus in naribus, qui totum proferimus spiritum, qui, iuxta illud Comici, pleni rimarũ effluimus vndique. Toties denique Maria filium audiuit, non modò turbis loquentem in parabolis, sed & discipulis seorsum regni Dei mysteria reuelantem, vidit miracula facientem, vidit deinde in cruce pendentem, vidit expirantem, vidit resurgentem, vidit & ascendentem; sed in his omnibus quoties verecũdissimæ Virginis, quoties pudicissimæ turturis vox memoratur audita? Hactenus Bern. Et quidẽ exemplum hoc satis esse debebat, vt hanc silentij virtutem (quæ non solũ castitatis, sed & innocẽtiæ custos est) studiosissimè coleremus. Sed quo virtutis huius amor vestris cordibus altiùs infigatur, silentio matris, filij quoque silentium adiungamus. Inter cætera enim virtutum insignia, quæ in hoc venerando incarnationis Dominicæ mysterio elucent, silentium Christi præcipuè miratur Guerricus Abbas, de quo sic in sacra huius diei solemnitate ait: Omnium tamẽ humanarum infirmitatum vel iniuriarum, quas pro nobis pertulit diuina dignatio, sicut tempore primam,

Ambros. Bernard. Luc. 1. Luc. 1. Luc. 2. Ioan. 2. Guerric.

primam, ſic etiam humilitate ferè maximam exiſtimo, quòd in vtero cōcipi, in vtero nouem menſium tempore maieſtas illa incircumſcripta paſſa eſt contineri. Vbi enim ſic ſe exinanuit? aut quando ita penitus à ſemetipſo defeciſſe viſus eſt? Tanto tempore nihil illa virtus manifeſtum operatur? nullo ſigno viſibili maieſtas, quæ clauſa latet, proditur? Non ſic in cruce viſus eſt infirmus, vbi, quod infirmū ipſius fuit, ſtatim apparuit fortius omnibus hominibus; quādo & moriēs glorificat latronem, & exſpirās inſpirat Centurionem; quādo horarius dolor paſſionis eius nō ſolùm compati facit elemēta creaturarū, ſed etiam contrarias fortitudines ſubegit æternorū paſſioni dolorum. In vtero autem ſic eſt, quaſi non ſit; ſic omnipotens virtus vacat, quaſi nihil poſſit, & Verbum æternū ſub ſilentio ſe premit. Vobis tamē, fratres, illud ſilentium Verbi loquitur, vobis clamat, vobis vtiq. diſciplinā ſilentij cōmendat. In ſilentio enim & ſpe erit fortitudo veſtra, ſicut Iſaias promittit; qui cultum iuſtitiæ ſilentium eſſe definiuit. Sic namq. puer ille conceptus in vtero ad maturitatem partus ſub alto & diuturno profecit ſilentio, ſic ſpiritum hominis diſciplina ſilentij nutrit, format, & roborat; & quanto occultius, tanto tutius & ſalubrius incrementum præſtat. Noſtis, fratres, quomodo quietus & modeſtus ſpiritus ſub ſilentio roboretur, pingueſcat, & floreat; quomodo è contrario per verba velut quadam paralyſi diſſoluatur & defluat; quomodo marceſcat, & aridus decidat. Deniq. ſi in ſilētio fortitudo nō eſſet, Salomon nequaquam dixiſſet: Sicut vrbs patens & abſque murorū ambitu, ita vir qui nō poteſt in loquēdo cohibere ſpiritum ſuū. Hactenus Guerricus. Sicut igitur (ne ab hoc exemplo recedam⁹) ciuitas feris & muris deſtituta, omnibus iniuriis hoſtiū expoſita eſt: ita mens, quæ ori ſuo cuſtodiam non adhibet, multis variorum criminum iniuriis lęditur & ſauciatur. Quàm multa enim loquētes paſſim peccamus, dum vel aliis adulamur, vel mentimur, vel conuiciamur, vel alienæ famæ aut honori detrahimus, vel ſcurrilia, aut turpia, aut inania verba iactamus! quibus vitiis & vitam noſtram maculamus, & pretioſum temporis theſaurum amittimus, &, ſi quid intra pectus noſtrum deuotionis aut feruoris latet, loquentes exhaurimus. Rectè enim D. Bern. aptiſſimū inſtrumētum ad euacuandum cor, linguā eſſe ait. Quare ſicut vaſorū ora, quibus odoriferæ aquæ cōtinentur, diligenter obſtruere ſolemus, ne ſuauis ille vapor foras effluat: ita vir pius os ſuum diligēter obſtruere debet, ne charitatis & deuotionis feruor nimia loquacitate euaneſcat. Sed iam ad ſacram Virginem redeamus, quæ his verbis Angelo reſpondit:

Quomodo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco. In ea lege poſita Virgo ſanctiſſima, quæ virginitatē non agnoſcebat, & ſterilita-

Eſaiæ 32.

Prou. 25.

Simile.

Bernard.
Simile.

tem damnabat, supra legem, imò supra naturam assurgẽs, Deo auctore votum virginitatis emiserat. Virginitatis quippe virtus supra humanæ naturæ conditionem posita est, quæ, natura ipsa quodāmodo reclamāte, Angelorũ puritatẽ in terris meditatur. Hinc D. Amb. Supergreditur, inquit, virginitas conditionẽ humanæ naturæ, per quã homines Angelis assimilãtur. Maior tamẽ est victoria virginũ quàm Angelorũ. Angeli enim sine carne viuũt: virgines verò in carne triũphant. Sic etiã D. Hieron. Quid, inquit, castitate pulchrius, quæ mundũ de immũdo conceptũ semine, de hoste domesticũ, Angelũ deniq. de homine facit? Quæ quãuis sterilitati cõiuncta sit, felix tamẽ esse prędicatur sterilis, & incoinquinata, quæ nesciuit thorũ in delicto; habebit quippe fructũ in respectione animarũ sanctarũ: tũc enim vberrimi fructus eius agnoscẽtur. Quoniã (vt D. Amb. ait) nuptiæ quidẽ terrã, sed virginitas implet paradisum. Nemo tamen huius virtutis prędicatione ita afficiatur, vt protinus virginitatis votũ sine maturo cõsilio emittere audeat. Multa enim (vt idem Ambros. docet) diligenter expẽdenda sunt, priùs quàm se homo huic sempiternæ puritati deuoueat. Perpetua enim corporis & animæ puritas, Dei donũ & quidẽ maximũ donũ est. Sic enim Saluator ait: Non omnes capiunt verbũ hoc, sed quibus datum est: qui potest capere, capiat. Ideoq. virginitas hominibus non præcipitur, sed cõsulitur. Vnde idem Ambr. Integritas corporis expetẽda à nobis est, quam ego pro cõsilio suadeo, non pro imperio pręcipio. Sola est enim virginitas, quæ suaderi potest, imperari non potest. Non ideò tamen quicunq. matrimonio alligati sunt, animũ abijciant, nec se prorsus à virginitatis gloria omnino alienos putent. Castæ enim & sobriæ nuptiæ Abrahæ, Dauidis, cæterorumq. Patrum, virginitatis gloriã æmulantur. Nec minus difficile D. Augus. esse credit, sobriè semper, & modestè cõiugio vti, quàm omni semel cõiugio renunciasse. Hinc in Vitis Patrum legimus, sanctum Macharium, (qui inter eius ætatis monachos celeberrimus habebatur) è cælo semel vocem audiuisse, quæ illi significaret, nõdum se ad duarum mulierum perfectionem, quæ in proxima ciuitate morabãtur, peruenisse. Cumq. protinus eò vir sanctus perrexisset, earumque domum Deo reuelante cognouisset, duas inuenit mulieres, quæ duobus fratribus nuptæ erant; à quibus cùm diu multumq. rogasset, vt vitæ suæ rationem sibi exponerent; illæ tandẽ multa vi precum inductæ, dixerũt, se quidem vndecim annis in eadem domo degentes, in summa semper pace vixisse, & à viris suis frequenter postulasse, vt in castitate viuerent. Quod cùm impetrare non potuissent, cordis tamen sui puritatem, quam solam poterant, Domino obtulisse, summaque semper cura & studio cauisse, ne

Ambros. | Hieron. | Sapien. 3. | Ambros. | Idem lib. de virgin. | Mat. 19. | Ambros. | August. | In Vitis Patrum.

illum vllo aut verbo aut opere offenderent. Quod cùm sanctus vir audiuisset, exclamauit, In quocunq. statu cordis puritatem ita Deo gratam esse, vt interdum etiam monachorum & virginum sanctitatem superaret. Date ergo operã, fratres, vt harum feminarum puritatem & pacis atque innocentiæ studium sectemini; hac enim ratione monachorum & virginum puritatem si non æquare, certè æmulari poteritis.

III.

Sed vt ad Virginem redeamus: *Quomodo*, inquit, *fiet istud? quoniam virũ nõ cognosco. Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obũbrabit tibi.* hoc est, Non humano more, sed cælesti virtute sacer hic fetus in lucem edendus est. Ea est enim eius dignitas & maiestas, vt duplici miraculo, & de Spiritu sancto concipi, & ex Virgine debeat nasci. Quòd si huius tantæ rei modũ & rationem, ô homo, inquiras, D. August. tibi respõdet his verbis: Si cogitamus Virginem, quę sine cõcupiscentia carnis cõcepit carnẽ, & sine viro peperit virum; si volumus facti huius quęrere rationem, in ipsa inquisitione succumbimus, cùm scriptum sit: Generationem eius quis enarrabit? Si enim ratio quæritur, non erit mirabile; si exemplũ exigitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse: in talibus enim tota ratio est potẽtia facientis. Hactenus Augustinus: qui deinde mysticæ illius virgæ miraculum huic simile esse docet his verbis: Dicat mihi incredulus Iudæus, quemadmodum arida virga fronduit & floruit, & nuces protulit: & ego dicã illi, quomodo Virgo concepit, & peperit. Sed profectò nec Iudæus virgæ poterit explicare conceptũ, nec ego Virginis. Aliud verò non dissimile exemplũ D. Maximus in sermone proponit his verbis: An non putas eum nouum puerum in aluo Virginis potuisse formare, qui cùm primum conderet hominem, nec semen patris, nec viscera materna quæsiuit? Dic igitur quicunq. es supernæ dispensationis arbiter & discussor, quæ tibi videtur virtus eminentior, partum dedisse Virgini, aut perfectum hominẽ creasse de terra? Primus enim homo (vt ait Apostolus) de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis. Si contra naturam esse contendis, quòd in mysterio redemptionis nostræ sine viro puella asseritur cõcepisse; cuius, quæso, naturæ est, quòd in parente generis nostri caro sine carne formata est? Quæ ista est ratio, imò quàm cæca contentio, vt non credatur Deus hominem facere posse de femina, quem credimus fecisse de puluere? Et si solicitus perscruteris, præter hunc legitimum humanæ conceptionis vsum, tres valdè mirabiles nascendi species operatam reperies Trinitatem. Et prima est quidẽ; quòd Adam figuratus ex limo

August.

Isaiæ 53.

D. Max.

1. Cor. 15.

est: secunda, quòd mulier formata est de masculo: tertia, quæ & cælestis est, quòd Christus ex Virgine. Quid horũ non nouum? quid horũ non mirabile? quid horum, nisi fidem sequamur, inquisitio poterit humana cõplecti? Quòd autẽ mystico hoc conceptu visitare mundum suum Dei dignatus est Filius, nostræ hoc salutis necessitas flagitabat; nimirum vt cælestis tãdem generatio repararet, quod natiuitas terrena perdiderat. Hactenus Maximus. Quid igitur reliquum est, nisi vt sacrum hoc venerandumq. mysterium humiliter magis adorantes, quàm curiosè perscrutantes, cum D. August. dicamus: Considero conceptum tuum, beata virgo, & expauesco: intueor partum tuum, & contremisco: adoro filium tuum, & reuiuisco.

August.

Exposita ergo ratione mysterij, nihil morata sacra Virgo, summa animi submissione respondit: *Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundùm verbũ tuũ.* Hæc autem respõsio summæ humilitatis, perfectissimæ obedientiæ, & fidei admirãdæ extitit. Longè minus erat quod Zachariæ, quod Ezechiæ, quod Gedeoni pręnunciatum est; qui tamẽ omnes, ad infirmæ fidei suæ solatiũ, signa à Domino petierunt. Cæterùm Abraham Patriarcha Deo, illi in ætate iam affecta filium promittenti, fideliter credidit, nec ab eo signum petiuit: quod planè illi iustitiæ in laudẽ imputatum est: cuius fidem Paulus in Epistola ad Rom. mirè attollit his verbis; Et non est infirmatus fide, nec considerauit corpus suum emortuum, cùm ferè centum esset annorum; nec emortuam vuluam Saræ. In repromissione etiam Dei non hęsitauit diffidentia, sed confortatus est fide dans gloriam Deo: plenissimè sciens, quia quęcunq. promisit Deus, potens est & præstare. Quòd si has tantas laudes fides Abrahæ meretur, quibus, quæso, laudibus sacræ Virginis fides prædicanda est; quæ tanto plura & maiora, atq. omnem vim naturæ superantia, credidit? Ille enim sterilitatem nouo partu fecundandam Deo promittente credidit, hæc autem & Virginis partum, & Spiritus sancti conceptum, & Dei atq. hominis ineffabile sacramentum, Angelo referẽte, sine vlla hęsitatione credens, *Ecce*, inquit, *ancilla Domini: fiat mihi secundùm verbum tuum.* Ideoq. vbi primùm hoc fidei verbum protulit, ibi statim fide concepit, & ineffabile Dei Verbum è sinu Patris in viscera sua traxit; ibiq. protinus ima summis, & humana diuinis sociata sunt. Ibi enim (vt Damascenus ait) Deus & homo perfectus, sub exigua tamen carnis materia, quod humilitatis summæ fuit, inuentus est. Simul enim caro, simul Verbi Dei caro, simul animata caro rationali anima fuit: atque ita tandem illud effectum est, quod tanto antè Hieremias pronunciauerat: Nouum fecit Dominus super terram: femina circundabit virum. Perfectus enim vir Christus Dominus

Lucæ 1.
4. Reg. 20
Iudic. 6.
Genes. 17
Rom. 4.
Damasc.
Hier. 31.

nus in illo temporis puncto fuit, qui virgineis visceribus, sine vllo viri consortio, latebat inclusus.

Hæc autem omnia, charissimi, propter nos. Sed quē potissimùm fructū ex hac tanta molitione, tantoq. opere captare Dominus voluit? Nempe vt quemadmodum ipse humanitatis nostræ particeps effectus est, ita nos diuinitatis suæ participes efficeret. Hoc ergo cōsilio Deus homo factus est, vt homines deos faceret factus homo. Ideò hominis naturam sibi inseparabili vnionis sacramēto copulauit, vt inseparabili amoris vinculo homo Deo copularetur. Ideò Verbū caro factū est, vt carnalis homo Deo vnitus, vnus cum eo spiritus fieret. Ideo ad terrena nostra descēdit, vt nos à terrenis cupiditatibus adductos, ad cælestia trāsferret. Hoc autē fieri posse, incarnationis suæ argumēto apertissimè declarauit. Si enim Deus humanitati copulatus, verus homo factus est; quid mirum si Deo coniunctus homo in Deum quodāmodo transformetur? Longè enim maius est, humanitatis participatione Deum hominē fieri per naturā, quàm diuinitatis participatione hominē Deum fieri per gratiā. Non ergo desperare iam homo potest quod minus est, cùm factum videat quod multo maius atq. mirabilius est. Illa igitur ineffabili Verbi Dei vnione, spiritualē hanc vnionem Saluator noster efficere intendebat, quo diuina humanis vno charitatis vinculo colligaret. Quemadmodū enim cùm duo finitima regna capitali odio diffident, coniugio aliquo regiarū vtrimq. personarum celebrato, reconciliari solent, corporeaq. nuptiarū vnio, animorum inter se diffidentium efficit vnionem: ita cùm iam olim ab origine mundi cælestia & terrestria regna mutuis inter se odiis diffiderent, sacramento nuptiarum Agni in antiquam gratiam reuocata sunt. Diuinitas namq. è cælo, & humanitas assumpta de terra, cū indissolubili vinculo fœderātur, terrena cælestibus, & humana diuinis copularūt. Si igitur, ô homo, Deū antea iratū & seuerum diligere nolebas, quomodo nunc naturæ tuæ cōsortem & tuorum propter te laborum & ærumnarum participē nō diligēs? Si te ab illo furor & seueritas abigebat, quæ tot immissis plagis declarabatur; quomodo nunc tanta charitas & bonitas, hoc ineffabili amoris opere declarata, non ad illum reuocabit? non ad mutuum amorem alliciet & incitabit?

Ioan. 1.
1. Cor. 6.
Simile.

Hæc igitur amoris vnio, illius ineffabilis amoris fructus (vt antè diximus) & finis extitit. Quòd si nec hac tantæ charitatis exhibitione cōmotus es; si nondum tantæ salutis auctori, charitatis nexu colligatus es, si nōdum ex carnali spiritualis (hoc est, iustitiæ cultor) effectus es; si te adhuc terrena bona captiuum & vinctū tenēt; cogita tibi necdū Saluatorem aduenisse, necdum (quod ad te attinet) carnē assumpsisse, necdū tibi hunc iustitiæ Solem

Solem illuxisse, necdũ ad te lætũ Euangelij nunciũ peruenisse. Ideoq. adhuc te in tenebris & cæca nocte esse reputa, adhuc in exilio & dira captiuitate sub diaboli potestate degere, adhuc vinculis peccati detineri, adhuc sub ira & inimicitia Dei manere, ac deniq. bonorũ omniũ, quę Christus attulit in mundũ, extorrẽ, & malorũ omniũ quæ ex peccato oborta sunt (quàm diu ita perseueras) participẽ esse. Qua cõditione quid esse miserius, quid indignius, quid lamẽtabilius potest? Quòd si hanc tãtam calamitatẽ modò nõ sentis, senties planè, quãdo, qui modò clementissimus ad te Redemptor venit, seuerissimus cõtra te in fine mundi iudex venturus est, cùm te ab agnorum suorũ grege separatum, hœdis adiunget, in ignẽ æternũ exturbandũ. Tunc enim senties, quid sit anathema esse à Christo, qui modò, cùm hoc ipsum sis, nihil sentis. Quare, quæso vos, fratres, vt hac tanta inuitantis Domini lenitate commoti, his tantis beneficiis affecti, his tantæ charitatis argumentis prouocati, si amare pigebat, redamare non pigeat; vt hoc illi amoris nodo copulati, eius tandem felicitatis & gloriæ consortes effici mereamini.

Mat. 25.

IN EODEM FESTO ANNVNTIATIONIS DOMINICÆ, CONCIO TERTIA: IN qua, post explanationem lectionis Euangelicæ, de eximia Christi Domini in genus hominum charitate, & causis eius, latè differitur.

THEMA. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altißimi obumbrabit tibi.* Lucæ 1.

VBI Moyses Israëliticum populum in partem promissæ terræ intulisset, seque iam morti proximum intellexisset, luculentissimum ad vniuersum cœtum filiorum Israël sermonem habuit, in quo de perceptis à Domino beneficiis, deque ipsorum aduersus Deum ingratitudine & inobedientia mirabiliter disseruit. Itaque inter alia sic ait: Vos vidistis vniuersa quæ fecit Dominus coram vobis in terra Aegypti, & signa illa portentaque ingentia, & non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ possent audire vsque in præsentem diem. Hanc autem cæcitatem aureus ille vitulus declarat, quem post admiranda illa signa terra marique patrata, populus fabricauit, cui & beneficium liberationis ab Aegyptiaca seruitute

Deut. 29.

acce-

acceptum retulit, dicens: Hi sunt dij tui Israël, qui te duxerunt de terra Aegypti. Nemo nostrûm est, fratres, qui hanc tantam illius populi cæcitatem, & ingrati animi scelus non miretur. Quid si nos quoq. in eodem crimine, aut etiam grauiori sumus, cuius illos accusamus? Quanto enim maius est, omnipotentem & immortalem Deum, mortalem naturam assumere, & verum hominem fieri, quàm maria diuidere, manna de cælo pluere, & aquam è silice demittere. Hoc cùm quotidie audiamus, quotidie in ore versemus; nemo tamẽ hoc tam ingẽs miraculũ, hanc tãtã diuinę bonitatis dignationẽ pro dignitate miratur. Theodoretus in historia religiosa cuiusdam viri sanctissimi (qui in terra degẽs, cogitatione & amore totus erat in cælo) vitam describens, de ipso ait, quòd mentem haberet alatam, qua videlicet terram deserens, pernicissimo volatu cælestia penetrabat. Si quis igitur, fratres, hanc mẽtem haberet, qua in cælum cõscendens, supernam illam maiestatẽ, supra omnes Angelorum choros, supra Cherubin & Seraphin sedentẽ, & omnia supera atq. infera sempiterno imperio moderantem, mentis oculis vsurparet, indeq. se ad abiectissimum stabulum, & vilissimum præsepe deiiciens, altissimam hanc naturam, humana carne vestitam, & infantilibus iniuriis expositã, contẽplaretur; nónne hanc adeò mirabilem dissimilium naturarũ coniunctionẽ, tãtamq. diuinæ bonitatis dignationẽ attonitus obstupesceret? Aristoteles enim in 12. primæ Philosophiæ libro, de prima rerum omnium causa differens, Primùm quidem, ait, illam esse actũ purũ: quo nomine tantam illi dignitatẽ, sapientiam, potentiam, & bonitatem, & omnes denique perfectiones tribuit; vt nulla ei accessio fieri possit, quòd omnia hæc in eo summa sint, neq. vllũ incrementũ pati possint. Addit pręterea, ipsam esse vitã, & vitã agere felicissimã; cuius felicitatẽ in immensæ pulchritudinis & opulentiæ suæ contẽplatione positã esse testatur. Eam verò esse eius celsitudinem & puritatem cõfitetur, vt nihil aliud nisi se ipsam cogitet, neq. quidquam aliud eius intellectui, nisi sui ipsius, suæq. essentiæ cõtemplationem adæquatum esse, quod videlicet eius intellectus vilesceret, si se ad hæc inferiora cogitanda demitteret. Si igitur insignis hic Philosophus, qui adeò sublimia de diuinæ naturæ dignitate & puritate sentiebat, altissimã hanc naturã, femineis visceribus inclusam, & humana carne vestitã, in vili præsepio iacentẽ, & reliquorum infantiũ more vagientem, vidisset, & firma fide huic veritati credidisset; quid, quæso, faceret, quid diceret, qua admiratione & stupore perculsus fuisset? Hoc vtcunq. fortasse intelligi potest, verbis tamẽ explicari non potest. Nos igitur, fratres, grauiùs quã Iudæi accusandi sumus, qui, hoc tãto beneficio in oculis & aspectu proposito, nihil prorsus

Exod. 32.

Theod.

Arist. 12. Metaph.

ſus cõmouemur, nec amore in tantæ ſalutis auctorẽ exardeſcimus. Quocirca orandus aſſiduè nobis idem Dñs eſt, vt, qui ineffabili benignitate ſua hoc tantũ in nos beneficiũ contulit, eadẽ nobis ſenſum & affectum, eius magnitudini reſpondentem, largiri dignetur, vt iã cum Apoſtolo dicere poſſimus; Nos autẽ non ſpiritũ huius mũdi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis. Cùm autem omnia nobis ab eo donata ſint; hoc tamen beneficium aliorũ omnium initium & fundamentum eſt. Tantum autem noſtra refert, eius dignitatem & amplitudinem agnoſcere, vt, quod Iudæis Dñs in Euangelio dixit, nobis quoq. dictũ putare debeamus: Amen dico vobis, non me videbitis ampliùs, donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini. Quis autẽ hoc dignè, vt par eſt, dicit? Nimitũ qui cæleſti lumine illuſtratus, ſummi huius beneficij amplitudinem agnoſcit, & in eo immenſas diuinæ bonitatis, charitatis, & miſericordiæ opes cõtemplatur. Qua contemplatione permotus, omnes animi ſui fibras in tanti beneficij largitorem laxans, ex toto corde ait: Benedictus qui venit in nomine Domini. Vt igitur nos grati animi officio tantum hoc diuinæ miſericordiæ opus recolamus, cæleſtem opem, ſacratiſſimæ Virginis interuentu, ſuppliciter imploremus.

1.Cor.2.

Mat. 25.

AVE MARIA.

Quia Dominicæ incarnationis beneficiũ hodie celebramus, quo ordine ſacramentũ hoc intemeratæ Virgini fuerit annunciatũ, breui oratione exponam, vt mihi liceat verba in themate propoſita (quæ huius myſterij rationẽ & originem continent) paulo fuſiùs explicare. *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatẽ Galilææ, &c.* Hunc Angelũ ex ſuperioribus ordinibus eſſe, ſancti Patres aſſerunt. Neq. enim tanti huius ſacramẽti legatio inferioris ordinis Angelis cõmittenda erat; præſertim cùm ad Virginẽ, futurã Dei matrem, & Angelorum reginam, mitteretur. Conſtat autẽ duos eſſe præcipuos Angelorum ordines; alterum eorum qui ad nos mittuntur, quibuſq. ſalutis noſtræ miniſterium cõmittitur: alterũ verò, eundemq. ſublimiorẽ, eorum qui Deo aſſiſtere dicuntur. Vtrumq. enim ordinem, miniſtrantium videlicet atq. aſſiſtentium, Daniel Propheta ſe in ſpiritu vidiſſe teſtatur. Quamuis autẽ raro ſuperioris ordinis Angeli ad nos mittãtur, omnes tamẽ mitti teſtatur Paulus, qui omnes adminiſtratorios ſpiritus eſſe ait, qui in miniſterium mittuntur propter eos qui hæreditatẽ capiunt ſalutis. Qua autẽ omnes alacritate & promptitudine Principis ſui mandata exequantur, myſtica illa Iſaiæ viſio docet, in qua is vidit Dominum ſedentẽ ſuper ſoliũ excelſum & eleuatũ, cui aſſiſtebant duo Seraphici ſpiritus, ſenas alas habentes; quarũ duabus faciẽ Domini, duabus

Dan.7.

Hebr.1.

Iſaiæ 6.

verò pedes eius tegebāt, duabus autē volabāt: & clamabāt alter ad alterū; Sāctus, sanctus, sanctus Dñs Deus sabaoth. Per faciē autē & pedes Dñi, vtramq. Dñi Saluatoris naturā, diuinā scilicet & humanā, intelligimus. Vtriusq. autē naturæ, quāuis longè dispar dignitas sit, ea tamē sublimitas est, vt ne ipsi quidem seraphici spiritus eā plenè cognoscere valeāt. Hoc est enim quod facies & pedes Domini velati significant. Duarum verò alarū motus obedientiæ promptitudinem & alacritatem designat, qua mentes illæ beatissimæ Domini sui iussa persequuntur.

Ex his ergo superioribus Angelis Gabrielem Dñs misit ad Virginem: qui, priusquā legationis suæ rationē exponeret, honorificentissima hac oratione eā salutauit: *Aue gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.* Qua oratione humillima Virgo turbata est, quòd se his adeò magnificis titulis indignā iudicaret. Cogitabat ergo intra se, trepida simul & tacita, qualis esset ista salutatio, nec tamē vllū verbū Angelo salutāti respōdit. Quo in loco Virginis silentium sancti Patres commendare solēt. Est enim silētij virtus virginibus familiaris, & iis etiā qui perpetuò cū Deo versantur: diuinis enim colloquiis assueti, humana colloquia dedignātur, nisi cū vel charitas eos ad hoc, vel necessitas vrget. Qui enim cum Deo commercium habēt, assidueq. cū eo versātur, eo molestiùs cū hominibus loquūtur, quo dulciùs cū Deo cōuersantur. Quid enim sibi vult quod Moyses impeditioris linguæ se factū esse ait, ex quo cū Deo sermonem habere cœpit? Certè quòd mutos & elingues eos Dominus efficere soleat, cum quibus versari, & quib⁹ ad aures interni hominis loqui incipit. Tales enim initio fieri necesse est, quo virtus eorū coalescat, & firmas in charitate radices iaciat, ne nimia loquacitate, tota velut in fumū euanescat. Ad hoc enim illos Zachariæ patris silētium inducit, qui mut⁹ effectus est, vt Ioannē, id est, gratiam, generaret: vt intelligamus, diuturno silētio Dei gratiā in hominibus adolescere & conseruari. Sanctus ille Abbas Pambus, inter veteres Anachoritas celebris, adeò virtutis huius studiosus fuit, vt, cū Theophilus Episcopus eū inuisisset, vt aliquod spiritualis vitæ documentū ab eo audiret, vir sanctus cōsuetum silentiū seruās, nihil ei dixit: & monachis eum incusantibus, quòd nullum ædificationis verbū Episcopo dixisset, qui huius rei gratia ad illū venisset, respōdit; Si meo silētio illū nō ædifico, non video quomodo verbis ædificare possim. Hunc eundē ferunt, cùm morti proximus esset, dixisse, se lætū è vita exire, quòd nullum ei verbū vnquā exciderit, cuius ipsum per id temporis grauiter pœniteret. O verè felix & beatus, quisquis eo tempore hoc de se ipso testimonium ferre posset! Quantum autē hic vir beatus illo tempore lætabatur; tātum nobis miseris id tempo-

Exod. 4.

Luc. 1.

Pambus Abbas.

Idem Abbas.

teporis lugendum est, qui fortasse nulla frequentiùs in re, quàm in lingua, delinquimus. Cætera enim ferè peccata plus negotij habēt, neq. ita ad manum sunt; quod in furto, homicidio, sacrilegio, adulterio, cæterisq. similibus videre licet; at linguæ lapsus in promptu est, nec tantum negotij exigit, cùm præsertim lingua adeò versatilis & lubrica sit. Atque vtinam quàm facilis est linguæ lapsus, tam leue esset quod infligit vulnus. Sed non ita est, cùm Ecclesiasticus dicat; Flagelli plaga liuorem facit, plaga autem linguæ cōminuet ossa. Et, Multi ceciderunt in ore gladij, sed non sic qui interierunt per linguā suam. Quàm latè verò huius peccati virus pateat, Esaias Propheta in ea visione, cuius paulo antè meminimus, declarauit, qui vbi Seraphicos illos Spiritus Domini laudes prædicantes audiuit, ipse quoq. laudandi Domini desiderio incensus, vehementer angebatur, quòd ad diuinas laudes celebrandas mutus & elinguis fuisset. Væ, inquit, mihi, quia tacui; hoc est, à tuis, Domine, laudibus prædicandis cessaui. Sed cur, ô Vates sancte, cessasti? Ad hoc idem respondet: Quoniam, inquit, vir pollutus labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito. Itaq. ex omnibus peccatis, quæ vel ipse in vita admiserat, vel populus ipse cū quo habitabat, nullius omnino nisi huius tantùm meminit; vt intelligamus, peccatum hoc quo est cæteris facilius, eò latiùs inter homines dominari. Quo diligentiùs nobis cauendum est, fratres, ne pestis hæc, quæ totum penè mundum occupauit, nos quoque inficiat.

Eccli. 28

Ibidem.

Isaiæ 6.

Sed ad Angelum redeuntes, cùm is Virginem turbatam atque trepidantem animaduerteret, metum illi adimit his verbis: *Ne timeas, Maria; inuenisti enim gratiā apud Deū: Ecce cōcipies in vtero, & paries filiū.* Hic sacra Virgo silentiū quod diu tenuerat, soluit, vbi cōcipiendi, & pariendi mentionē fieri audiuit; quòd ea res castissimo eius pudori aduersari prima fronte videbatur. Ideoq. interrogat; *Quomodo fiet istud? quoniā virū non cognosco.* Cui cùm Angelus conceptionis huius auctorē Spiritum sanctū esse dixisset, & rationem modumque huius mysterij declarasset; illa protinus sine vlla cūctatione respōdit: *Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundùm verbū tuum.* Obseruate, quæso, fratres, hoc in loco fidem, magnanimitatem, prudētiam, & obedientiā Virginis. Nihil discutit, nihil rogat, nihil inquirit, cùm tā multa hoc in loco humana prudētia requirere potuisset. An non in prōptu erat, vt ad Angelum diceret: Tu mihi conceptū & partū Spiritus sancti virtute denūcias: quid ergo sponsus, cuius fidei cōmissa sum, dicet, quid faciet, cū me grauidā viderit? Sic enim Samuel iussus à Dno Dauidē vngere in Regē, mortis metū illi obiecit, dicens: Audiet hoc Saul, & interficiet me. Cùm verò Ananias à Dno mitte-

1. Reg. 16

mitteretur, vt baptismi gratiã Paulo impẽderet; ille cõtrà, Domine, inquit, audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Ierusalem. Similem ergo mortis metum & infamiam obtẽdere hoc in loco beatissima Virgo potuisset. Itaq. duo quæ summa inter homines bona putantur, vita scilicet & fama, in discrimen vocari videbantur. Quem quidem metum non inanem fuisse, res ipsa postmodum declarauit, quando Ioseph Virginem deserere parabat, nisi prohibitus ab Angelo fuisset. Cùm hæc igitur omnia prudentissima Virgo præuidisset, nihil tamẽ hæsitauit, nihil amplius quæsiuit, sed totã se eius prouidentiæ commisit, cuius illi voluntas nunciabatur. Et quidem antea oblata Dei genitricis summa dignitate, cùm arbitrari potuisset, hoc sine pudoris iniuria fieri non posse, & substitit, & quæsiuit, *Quomodo fiet istud? &c.* Vbi verò intellexit, hoc illæso pudore suo peragendũ esse (quãuis & vita eius, & fama, prima fronte periclitari viderẽtur) nihil moratur, nihil amplius requirit: quoniam de pudoris sui integritate secura, nec de vita, nec de fama solicita erat, quam diuinæ prouidentiæ commiserat. Itaque cælesti nuncio respondet: *Ecce, ancilla Domini: fiat mihi secundùm verbum tuum.* Hactenus de Euangelica lectione: nunc thematis sententiam paulo diligentiùs excutiamus.

Actor. 7.

Matth. 1.

TRACTATIO THEMATIS. I.

Spiritus sanctus superueniet in te, &c. Priusquam verba hæc explanare incipiã, fratres; quid mihi propositum sit, & quæ ad vos vtilitas ex huius argumenti tractatione peruẽtura sit, paucis indicabo, quo vos attentiores explanationi meæ reddã. Iam primùm ex Apostolo constat, diuinæ legis summam maximo illo dilectionis mandato cõtineri. Cùm autem multa sint quæ nos ad hanc dilectionem in Deum excitare valeant; vix quidquam hoc magis, quàm perspecta eius erga nos charitas, efficit. Plurimum quidem ad hoc innumera eius beneficia valent, quibus is carbones ignis congessit super caput nostrum; plus tamen eius in nos dilectio vrget, quæ beneficiis prior, & beneficiorum omnium causa est. Ideo enim beneficia in aliquẽ conferimus, quia eum diligimus. Quo fit, vt amor donorum omnium primum idemq. maximũ esse dicatur. Adde etiam, quòd is, qui alicui benefacit, res suas illi donat: qui autem ex animo diligit, nõ modò sua, sed seipsum illi tradit. Quod cùm ita sit; efficitur planè, vt nihil nos magis ad charitatem in Deum, quàm animaduersa eius in nos eximia charitas, excitare valeat; de qua me hodie dicere, verba in Themate proposita compellunt. Quod quidẽ argumenti genus gratissimũ vobis fore confido. Quod enim maius homini bonum, quàm à Deo diligi, contingere potest? Ex hoc enim veluti fonte, cætera eius dona (vt modò diximus) in

Rom. 13.

nos dimanant. Nam & ad vitam æternam prædeſtinari, & iuſtificari, & ſanctificari, ac poſtremò æterna felicitate beari, ab hoc amore proficiſcuntur.

Huius igitur argumenti occaſione quærendum eſt, cur incarnationis Dominicæ ſacramentũ Spiritui ſancto potiſſimùm in his quæ propoſuimus verbis tribuatur, & id etiam quotidie in fidei Symbolo confiteamur. Conſtat enim, beatiſſimæ Trinitatis opera eſſe indiuiſa (omnia quippe in ea ſunt vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio) vnde cõſequens eſt, totius beatiſſimæ Trinitatis, Patris ſcilicet, Filij, ac Spiritus ſancti, hoc opus extitiſſe. Cùm hoc igitur ita ſit, cur opus hoc Spiritui ſancto ſigillatim tribuitur? Huic igitur quæſtioni vno conſenſu ſancti Patres reſpõdent, huius attributionis cauſam eſſe, quòd Spiritui ſancto inter diuinas perſonas bonitas & charitas tribuatur Patri enim, qui eſt diuinitatis principiũ, tribuimus potentiam; Filio verò, qui Patris verbum & conceptus eſt, ſapientiam; Spiritui verò ſancto bonitatem & amorẽ, quandoquidem ipſe eſſentialiter Patris & Filij amor eſt. Quia verò Dominicæ incarnationis opus ab immenſa Dei bonitate & charitate proceſſit (neq. enim aut in Deo vtilitas vlla, aut neceſſitas, neq. in homine vlla ſanctitas & iuſtitia interceſſit, quæ Deum ad tantũ hoc opus cogeret) ideò Spiritui ſancto potiſſimùm hoc opus attributum eſt, vt intelligeremus, Filij Dei incarnationem, non iuſtitiæ noſtræ, ſed immenſæ illius bonitatis & charitatis opus fuiſſe. Vt enim D. Auguſt. ait; Non illũ de cælo ad terras merita noſtra, ſed peccata traxerunt. Hinc Apoſtolus, Commendat, inquit, charitatem ſuam Deus in nobis; quoniã cùm adhuc peccatores eſſemus, ſecũdùm tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt, nec tamen minor Patris & Filij, quàm Spiritus ſancti, erga genus hominum charitas extitit. De Patre quippe Filius ait: Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret. Et Apoſtolus, Proprio, inquit, Filio ſuo non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illũ. De ſe autem idem Filius ait: Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Idemque primus ille homo myſticè deſignauit, cùm ad mulierem dixit: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Propter hãc relinquet homo patrem & matrem, &c. Quo in loco quæri poteſt, cur hæc verba viro magis quàm mulieri tribuantur, cùm ad eam pertinere potiùs viderẽtur? quæ (vt animal eſt tenerum, molle, & infirmum, multiſq. miſeriis obnoxium, à quibus ſe ipſa ſine viri præſidio explicare vix poteſt) dicere meritò potuiſſet: Propter hũc relinquet mulier patrẽ & matrem, & adhærebit viro ſuo. Hoc certè ratione myſterij ita factum eſſe conſtat. Hæc enim verba Apoſtolus Chriſto Domino tribuit, quibus & ſuam erga ſponſam Eccle-

Rom. 5.
Ioan. 3.
Rom. 8.
Ioan. 15.
Geneſ. 2.

Ecclesiam,& Ecclesiæ erga illũ charitatem declarat. Quia verò multo magis Christus Ecclesiã, quàm Ecclesia Christũ diligit; quemadmodum multo magis parentes diligunt filios, quàm ab ipsis diligantur; ideo nihil mirum, si hæc verba, quæ huius charitatis imaginẽ exprimunt, viro magis quàm mulieri tribuãtur.

Quando his igitur testimoniis de Patris & Filij charitate erga homines constat, causam eius modò inquirere debemus: quandoquidem humana mens, nisi causis rerum cognitis, non quiescit. Quæri ergo potest, cur prudentissimus ille amator, sapientissimusque rerum æstimator tantopere hominem diligat, cùm hic hoc tãto amore indignus esse videatur (presertim cùm prudentis amatoris sit, & res, & personas pro dignitate, non supra aut infra earum dignitatem amare) cur prudentissimus ille amator & sapientissimus rerum æstimator tãtopere hominem diligat, qui hoc tãto amore indignissimus esse videtur? Hoc est enim quod S. Iob miratur, cùm ait: Quid est homo, quia magnificas eũ; aut quid apponis erga eum cor tuũ? Itemq. regius Propheta: Domine quid est homo, quia innotuisti ei, aut filius hominis, qui reputas eũ? Homo vanitati similis factus est, &c. Alibi verò non modò vanitati hominẽ similem facit, sed vniuersam vanitatem illum esse ait. Nec hoc cõtentus, alio in loco ipsa vanitate vaniorẽ illum esse testatur. Pro eo enim quod nos legimus; Veruntamen vani filij hominum, mẽdaces filij hominum in stateris: alij verterunt; Certè vani filij hominis, mendaces filij viri, in stateras si ascẽdant, ipsi pariter leuiores sunt vanitate. Est autem elegantissima hyperbole, quæ exaggerat stultitiam & leuitatem mortalium. Perinde enim est ac si dicat: Si ponas in altera libræ lãce inanitatem, in altera verò vniuersum genus humanum, profectò inanitas ipsa præponderabit. Cùm igitur tanta sit hominum vanitas, cur prudentissimus ille amator rem adeò amore indignam tantopere dilexit, vt pro illa & humana carne vestiri, & in crucem agi sustinuerit?

Iob 7.

Psal. 143

Psal. 38.

Psal. 61.

Vt huic igitur quæstioni respondeamus, de Christi Domini erga Patrem suum dilectione, & causis eius, hoc est, summis in ipsum beneficiis collatis, dicendum priùs est. Nunc igitur, fratres, adeste animis, vt omnium operum, & gratiarũ, atq. mirabilium quæ vnquam à Deo facta sunt, quæque in posterum fiẽt, maximum audiatis. Principiò igitur constat, vbi sanctissima Virgo Angelicæ lectioni consensum præbuit, atq. extrema illa verba protulit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum;* hæc omnia quę nũc audietis, in felicissimo eius vtero, celebrata fuisse. Primùm quidẽ in eo momento corpus Christi, omnibus mẽbris atq. organis distinctum, Spiritus sancti virtute formatũ est. Deinde, eodem momento sanctissima eius anima creata

 & cor-

& corpori vnita fuit. Quod enim in cæteris infantibus, qui communi lege concipiuntur, quadragesimo ab eorum conceptione die fit, hic eodem momento factum est: atque ita Christus Dominus, verus & perfectus homo ibidem extitit. Nunc quid sacræ huius humanitati donatum fuerit audite.

Primùm enim ea vnigenito Filio Dei in eadem persona sic vnita fuit, vt in vtraque natura, vna tantùm persona, vnumque esse, nempe diuinum, cõsisteret. Quemadmodum enim anima suum esse corpori communicat; sic Verbum Dei suum ipsius esse ita sacræ humanitati communicauit, vt ea nõ per proprium esse, sed per diuinum sibi præstitum subsisteret. Quia verò in vtraque natura idem esse diuinum erat; cõsequens fuit, vt, quæ Dei erant propria, humanæ naturæ; & quæ erant humanæ naturæ, Deo adscriberentur. Hæc autem à Theologis gratia vnionis appellatur: qua nihil maius, ne per diuinam quidem potentiam, concedi potest. Nulla enim maior dignitas, quàm diuini esse communio. Post hoc autem summum donũ, sequitur aliud maximè mirabile, videlicet, quòd eadem Christi anima aperta facie diuinam essentiam viderit, sicq. in ipsa superiori portione beata extiterit, & ita beata, vt (quod ad essentialẽ beatitudinis gloriam attinet) quam modò habet beatitudinem in cælo, eandem habuerit in Virginis vtero. Post infinitam autem illam vnionis gratiam, ea etiã, quæ hominem Deo gratum facit, (ex qua virtutes omnes, omniaq. Spiritus sancti dona oriũtur) tãta plenitudine ei donata fuit, vt nulla maior de lege, ne per diuinam quidem potentiã, dari cuiquam possit. In eius quippe anima, tanquam in propria sede, Spiritus sanctus cum omniũ donorũ suorũ plenitudine requieuit. Qua de re sic Esaias: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascẽdet: & requiescet super eum Spiritus Dñi, &c. Christum Dominum, & virgam, & florẽ appellat. Virgam propter immensam eius fortitudinẽ, & regiam potestatem; Florem autem, propter incomparabilem eius speciem & pulchritudinem, suauissimumq. virtutum omnium odorem. Qua de causa ipse se in Canticis hoc nomine appellauit, cùm dixit: Ego flos campi, & lilium cõuallium. In hoc ergo amœnissimo flore Spiritus sanctus placidissimè quieuit, quia nihil ibi, quod sibi aduersaretur, inuenit. Hæc porrò gratia tanta fuit, vt non sibi tantùm, sed omnibus etiam Adæ posteris sufficeret ad salutem, si eius beneficio vti vellent. Quæ à Theologis gratia Capitis appellatur, & infinita esse dicitur: quia si infiniti essẽt homines (quod humanæ naturæ non repugnat) iis omnibus abũdè sufficeret. Hinc Ioannes Baptista, De plenitudine, inquit, eius nos omnes accepimus. Quo nomine Christus Dñs Sol iustitiæ appellatur: quia vt Sol splendore

[Margin: Esaię 11. — Cant. 2. — Ioan. 1. — Malac. 4.]

suo

suo vniuersum mundum illuminat; ita is iustitiam & gratiā in iustos omnes meritis & virtute sua effundit. Cùm enim hanc gratiam percepit, nequaquam sibi vni reseruauit, sed omnibus eam in commune proposuit. Illi enim multo magis quàm beato Iob illa eius verba cōueniunt; Si comedi buccellā meam solus, & alienus non comedit ex ea. Itaque Sancti omnes, qui ab exordio nascentis mundi ad finem vsque erunt, ab hoc iustitiæ Sole sanctitatē & gratiam perceperūt. Hoc enim primæ mulieris fabrica (quæ ex viri costa formata est) designat. Quid enim in causa fuit, quòd humani generis cōditor, qui primum hominem ex limo terræ plasmauit, noluerit ex eadē materia, sed ex costa viri, feminam procreare? Quis verò hoc mysterio vacare credat? Quid autem commodius hoc symbolo significari nobis potuit, quàm Ecclesiæ sponsæ Christi virtus & fortitudo: quæ non aliunde quàm à Christo Domino (cuius primus ille homo figuram gerebat) in eam deriuata est. Quid tunc præterea? Post hanc admirandam diuinarum gratiarum opulentiā sequuntur aliæ gratię, quæ gratis datæ nuncupantur; qualis est gratia sanitatum, miraculorum, linguarū, scientiarū, & prophetię donum, cæterę q. similes: quæ omnes plenissima atq. largissima manu in sanctissimam illam animam effusæ sunt. His namque gemmis atq. pretiosissimis margaritis ornari decebat sacram illam humanitatem, quam Dei Filius ad diuinitatis suæ consortium assumpserat. Vbi enim diuina bonitas hanc sibi sponsam copulare decreuit, talem vtiq. formare debuit, quę nullum dedecus diuinæ personæ inureret, quòd talē sibi naturam tam arcto vinculo copulasset. Qua de causa quidquid erat in thesauris diuinis reconditum, sine vlla mensura huic animæ sanctissimæ eodem temporis momento concessum fuit. Quin & illud etiam his omnibus adiiciendum est, quòd vbi primùm hanc animam sanctissimam Deus creauit, & his tantis muneribus adornauit, sibiq. in vnitate personæ coniunxit, omnibus beatissimis spiritibus præcepit, vt ante illam procumbētes, tanquam legitimam Domini sui sponsam adorarent. Hoc enim Apostolus testatur cùm ait: Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit; Et adorent eum omnes Angeli Dei.

Iob 31. Genes. 2. Hebr. 1.

Audistis, fratres, admiranda dona quæ sacræ illi humanitati hodierna die in felicissimo Virginis vtero collata sunt. Nunc illud expendite, quòd hæc omnia ex sola immēsa Dei liberalitate & gratia, ante omne meritum, eodem temporis momento donata sunt. Simul enim perfectè formata caro, simul anima creata, simul Verbo Dei vnita, simul omnibus donis & gratiis, quas audistis, ante omne meritum dotata, illustrata, atq. ornata fuit. Qua de causa D. Aug. significantissimo nomine Christum Domi-

August.

Simile. Dominum diuinæ gratiæ exemplar appellat. Vt enim ludimagistri, qui scribendi artē profitētur, quanta possunt dexteritate elegantissimos characteres effingunt, eosq. populo spectandos proponunt, vt artis suæ peritiam ostentent: ita omnipotens illa bonitas absolutissimū liberalitatis & gratiæ, atque magnificentiæ suæ exemplar in Christi humanitate constituit, in quā hæc tanta gratiarum omnium opulentia, ex sola sua largitate, ante omne meritum effusa est; vt hoc argumento & homines & Angeli immensam communis Domini magnificentiam agnoscerent, illumq. propter hanc tantam liberalitatis gloriam laudarent, & sibi ipsis gratularentur, quòd Dominum tam immensa benignitate præditum colerent, à quo magnificentissima laborum suorum præmia expectarent.

II.

Verùm dicet aliquis: Quorsum hęc tam longa narratio, cùm tu de Christi erga genus hominum charitatę te dicturum professus sis? Nō sum, fratres, propositi mei immemor: hoc ipsum enim hactenus egi, vt iam videbitis. Quæro enim à vobis, cùm hęc sanctissima Christi anima, vbi primùm condita est, vidisset se ante omne meritū Verbo Dei vnitam, & ad diuinæ existentiæ communionem eleuatam, & his tantis omnium diuinarum gratiarū opibus locupletatam, & ab omnibus Angelicis spiritibus adoratam; quo, quęso, amoris igne, quo dilectionis incendio, quo mentis ardore tantæ felicitatis & gloriæ auctorem diligeret? Est ne quisquam vel hominū, vel Angelorū, qui hoc aut verbis exprimere, aut cogitatione comprehendere possit? Verè Ephes. 3. enim ab Apostolo dictū est, Charitatem Christi omnem scientiam, hoc est, omnem etiam Angelorum cognitionē superemineri. Vbi autem tanta vis charitatis extitit, quantum ex ea charitate desiderium manauit, parendi, obsequendi, & quauis in re gratificandi illi, qui se ad tantæ celsitudinis gloriam euexerit! Hoc etiam omnem dicendi atq. etiam cogitandi vim longè superat. His aliud nunc adijciamus. Vbi anima illa beatissima Patris æterni voluntatē (ipso tradēte) cognouisset, & ab eo in mandatis accepisset, vt perditū mundum instauraret, vt humanum genus à diaboli potestate eriperet, & pro cōmuni humanæ naturæ debito satisfaceret, ac postremò vt tāta charitate homines (quorū illum caput, pastorem, ac Regem constituebat) diligeret, vt pro illis capi, vinciri, colaphis & alapis cędi, flagris verberari, & in crucem agi sustineret; qua, quæso, is animi promptitudine, qua alacritate hoc Patris mandatū amplexus est, qua dilectione homines prosecutus, quos ei Pater æternus quā commendatissimos & charissimos esse voluit? Itaque simili ratione se mihi cælestis Pater cum Christo, atque Christus ipse cū Petro

tro

tro Apostolo gessisse videtur. Vbi enim ter ab eo quęsisset, Petre amas me? subiũxit, Pasce oues meas. hoc est, Si me, ô Petre, toto corde diligis, si mei amore flagras, mihique obsequi ardenter expetis, nulla magis in re gratificari mihi poteris, quàm si vigilantissima cura & studio pascas oues meas. Ad hunc ergo modum cùm cælestis Pater ardentissimam Christi charitatẽ, summumq. sibi obsequendi desiderium vidisset, qua in re hoc præstare posset, illi declarauit: nempe, vt salutis humanæ procurationem susciperet, & pastoralem ouiũ suarum curam gereret; & ita illas diligeret, vt pro illis mori non dubitaret. Vbi igitur amantissimus Filius hanc amantissimi Patris voluntatem intellexit; quo, quæso, amoris, quo charitatis ardore homines prosecutus fuerit, quæ mens, quis intellectus, quis Angelus pro dignitate cõcipere valeat? Cùm ingentes ferrei globi, sulphureo puluere acti, in materiam duram & impenetrabilem iaciũtur; quo maiori impetu feruntur, hoc violentiùs in contrariam partem reflectuntur. Ad hunc ergo modum vbi flagrantissima Christi charitas, quæ in Patrem rectà ferebatur, ad nos redire iussa est; quo maiori impetu rapiebatur in Patrem, hoc maiori vi atq. ardore ad diligendos homines reflexa est. Hoc autem ardore incensus, exultauit vt gigas ad currẽdam viam, hoc est ad omnes mortalitatis nostræ labores, quos illi cælestis Pater iniunxerat, alacriter perferendos. Quam Christi charitatẽ Apostolus cõsiderãs, se ab ea vim pati pronunciabat, dicens: Charitas Christi vrget nos, hoc est, vim quodammodo cordibus nostris infert, vt illum ad mortem vsq diligamus, à quo tãtopere dilecti fuimus. Ex hoc autem dilectionis igne, ardentissima illa eius verba prodierunt: Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor vsque dum perficiatur! Tanto enim ardore fundendi sanguinis sui, quo erat aspergendus, tenebatur, vt rei tantopere concupitæ dilatio, instar supplicij cuiusdam illi esset.

Ioan. 21.

Simile.

Psal. 18.

2. Cor. 5.

Lucæ 12.

Ex his ergo quæ hactenus diximus, fratres, intelligere poterimus, vnde tãta illa erga homines Christi charitas manarit. Nec enim ea ex hominũ dignitate, sed ex immensa Christi Domini in Patrẽ charitate nata est, sicut ipse apertè in Euangelio testatur, cũ instãte sacratissimæ passionis tempore dixit: Venit princeps mũdi huius, & in me non habet quidquã: sed vt cognoscat mũdus, quia diligo Patrem; & sicut mandatũ dedit mihi Pater, sic facio. hoc est, Venit diabolus, qui huius mundi princeps esse dicitur, vt mihi satellitum suorum operâ vitam eripiat, quam iure eripere non poterat, cùm in me nihil suum agnoscat. Cur igitur morior? Quia diligo Patrem, & quia mandatũ hoc accepi à Patre meo. Ex perfectissima igitur obedientia, & ardentissima in Patrẽ charitate, Dei Filius homines dilexit; & ita dilexit, vt

Ioan. 13.

tanta alacritate ac deuotione pro eorum salute se omnibus passionis suæ ludibriis atq. tormentis obiecerit, quantam nulla vis dicendi explicare, nulla creata mens concipere pro dignitate queat. Hoc est enim quod Apostolus insinuauit, cùm dixit: Qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta. Vis enim gaudij, quod ex hac tanta charitate & obedientia oriebatur, effecit, vt omnes corporis & animæ suæ cruciatus libentissimè exciperet.

Hebr. 12.

Sed quãdo iam charitatis erga nos Christi originẽ vidimus, paternæ quoq. charitatis rationem breuiter expendamus. Sicut Christi erga nos dilectio ex dilectione in Patrem; ita cõtrà Patris erga nos dilectio ex immensa in Filium charitate nascitur. Astrologorum sentẽtia est, ex vario siderum inter sese positu & aspectu, varios in huius inferioris mundi corporibus effectus oriri. Sic igitur, dũ se Pater & Filius mutuò respiciunt, flagrantissimus hic in homines amor excitatur. Filius quippe ex Patris imperio nos diligit, & causam nostram apud illum agit: Pater verò cælestis Filium videns pro nobis in cruce patientẽ, & causam nostram apud ipsum agentem, seq. ipsum pro salute nostra immolantem, nos in gratiam & amicitiam recipit, sceleribusq. nostris propitiatur. Hic est enim mysticus ille arcus in nubibus cæli positus, quem cælestis Pater intuens, placatur, seq. à seueritate ad misericordiam flectit. Videtis ergo ex hoc mutuo Patris & Filij aspectu, & eorundem in nos amorem, & omnes diuinæ gratiæ opes, & magnificentissima dona proficisci?

Simile.

Genes. 2.

Sed ne quis, dum has diuinæ erga nos dilectionis causas assignamus, circulari argumẽtatione niti calumnietur; sciat is primum huius tantæ dilectionis, tantiq. beneficij vim ad immensam diuinæ bonitatis & charitatis opulẽtiam esse reuocandam. Ex hac enim summum illud maximumq. diuinorum donorum manauit, quo Deus Pater ita dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, Quo vno tam magnifico dono, cætera deinde omnia (vt Apostolus ait) nobis simul cũ illo donauit. Is igitur tantam illam in Christo charitatem incendit, is nos talem Sacerdotem, Regem, Aduocatum, Mediatorẽ, Redemptorẽ, & Propitiatorem habere voluit, per quem nobis propitius fieret, omnesque in nos gratiæ & misericordiæ suæ opes effunderet. Cęterùm si huius diuini cõsilij causam quæras, ea nimirum est, quòd summus ille rerum omnium Dominus omnia opera sua misericordiâ simul & iustitiâ (vt ita dixerim) cõdire & illustrare solet. Quam rem in hoc clarissimo humanæ redẽptionis opere præcipuè captauit; in quo summa eius misericordia cum summa iustitia coniuncta cernitur. Summa eius misericordia fuit, quòd nobis vnigenitum Filium suum dedit; summa verò iustitia,

Rom 8.

iustitia, quòd nos propter infinita Filij merita placidis oculis intuetur,& maximis beneficiis afficit.

III.

Superest aliud in hoc incarnationis Dominicæ sacramento non negligenter cōsiderandum. In eo namq. diuinæ sapientiæ consiliū mirabiliter elucet. Cùm enim Christianæ philosophiæ summam Apostolus in charitate sitam esse docuerit, illud priùs salutis nostræ auctor curare debuit, vt algentia hominū pectora hoc cælesti igne inflammaret. Quid autē nos ad hunc amorem vehementiùs incēdere poterat, quàm hoc ipsum Dominicę incarnationis opus, quod totum (vt iam ostendimus) ex immenso diuinæ bonitatis amore profectum est; quo humanis diuina copulata sunt; quo altissimus ille cælitum Imperator humana carne vestiri, nobisq. per omnia, absque peccato, similis fieri dignatus est: vt quos tam dissimilis & dispar naturarum conditio disiungebat, earundem communio copularet. Excitat ergo primùm nos ad redamandum tantus hic amor ostensus, tam aperta diuinæ bonitatis in hoc ipso opere declaratio, tantum nobis beneficium impensum, ac postremò (quod caput est) tanta inter Deum & hominem coniunctio & similitudo.

Quantam porro similitudo hæc atq. coniunctio ad amorem cōciliandum vim habeat, proposito aptissimo (vt mihi quidem videtur) exemplo vobis explicare tentabo. Refert Plutarchus, Alexandrum illum Magnum, vbi victo Dario, amplissimo Persarū regno potitus esset, vt subactos bello Persas sibi Macedonibusque suis conciliaret (quo paribus animis ac studiis in fide victoris permanerent) centum virgines ex Persis elegisse, easq. sub vno aureo tētorio centum Macedonibus in matrimonium collocasse; vt hac sanguinis communione, & communi filiorum procreatione omnes in vnum quodammodo populū sub vnius Regis imperio coalescerent, & conspirarent. Nec his contentus (quo maior intercederet inter Principem & populos sibi subditos similitudo) idem Persarum cultu inspecto, miscellaneum quoddam gestamen ex Persico Macedonicoq. habitu instituit: hac videlicet ratione honore vesti habito, eorū quos armis obtinuerat animos sibi cōcilians, quo magis in fide permanerent, & Macedones sibi imperantes non vt hostes odio, sed vt conciues amore prosequerentur. Belluas captantes homines ceruorum sibi tergora obuoluunt; plumatisque tuniculis amiciuntur qui ad aucupia exeunt: at magnus ille Rex, gētes indomitas ferarum in modū mansuefaciens, vernaculis eas vestibus, assuetisq. viuendi institutis demulsit, placidioresque reddidit. Hæc omnia ex Plutarcho: qui hoc exēplo grauiter aduersus Xerxē, eorundē Persarū Regem, cōmouetur; quòd is, animaduertens

Plutarch. de Alex.

Europam & Asiam interiecto Hellespontico mari diuisas, decreuisset multis in vnum ratibus lignisque coniunctis pontem extruere, qui vtramq, hanc mundi partem coniungeret. Quantò verò prudētiùs Alexander, qui nationes inter se diffidentes, non ratibus & lignis, sed amore legitimo, castisque coniugiis, & liberorū procreatione copulauit! Hoc igitur exemplo, fratres, (vt antè diximus) diuinæ sapientiæ consilium intelligere licebit: quæ dum humanam naturam sibi desponsauit, nos omnes in illa sibi copulauit, & sempiterno amoris vinculo deuinxit. Quo etiam opere communem sibi & nobis mortalitatis vestem aptauit: vt si iam altissimum Deum, tanquam à natura nostra alienum amare pigebat, modò iam similem nobis factum, & humanitatis nostræ habitu vestitum, amare non pigeat; & sic amare, vt quemadmodum is amore nostri deuinctus, non sanguini, non vitæ, non vlli rei pepercit, vt salutem nostram constitueret; ita nos sic huic tantæ dilectioni vicem reddere curemus, vt cum Apostolo, non tribulatio, nō angustia, non fames, non nuditas, non periculum, non gladius, non denique res vlla vel tam acerba, vel tam grata & pretiosa sit, quæ nos ab eius dilectione valeat separare; à qua tunc separamur, cùm in aliquod lethale peccatum incidimus: quod à nobis idem Dominus clementer auertere dignetur, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Rom. 8.

IN FESTO APOSTOLORVM PHILIPPI ET IACOBI, CONCIO PRIMA: in qua prior pars Euāgelicæ lectionis explanatur.

THEMA. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt: si quo minus, dixissem vobis: quia vado parare vobis locum.* Ioan. 14.

HODIERNA sancti Euangelij lectio dilectissimi, pars quædam est consolatorij sermonis, quem Dominus pridie eius diei quàm pateretur, ad discipulos habuit; in quo illos de dilectissimi Magistri abscessu mœrentes multis rationibus consolatur, & spiritualis doctrinæ præceptis ad futura certamina, quæ illos manebant, munit & armat; quorū nonnulla in sacra huius diei lectione continentur: quam vt salubriter & religiosè explanare possimus, cælestem opem, sacratissimæ Virginis intercessione, suppliciter imploremus.

AVE

AVE MARIA.

Sunt inter Christianas virtutes nonnullæ adeò præstantes, vt nō solùm per se ipsæ vtiles & salutares sint, sed alias etiam virtutes ad actiones, & officia sua vehementer acuant. Inter quas tres illæ virtutes, quæ à Theologis Theologicæ, hoc est, diuinæ appellātur, nempe fides, spes, & charitas, principem locū tenēt. Has autem virtutes cum primis sectari debet, quisquis ad omnium aliarū virtutum laudem ad dignitatem aspirat. Sed, prætermissa nūc spe & charitate, insignem fidei dignitatem & vtilitatem inspiciamus. Constat enim, fidem virtutum omniū radicem & fundamentum esse. Sine fide quippe impossibile est placere Deo. Si autem radicis nomen verè in fidem cadit, cōsequens est, vt quemadmodum arbores quæ altiùs in terra radices iaciunt, sublimiùs sese attollunt, & vberiores fructus proferunt: ita planè viua fides, quo firmiùs in mente nostra fundata & radicata fuerit, hoc maiores iustitiæ atq. virtutum omnium prouentus fundet. Quamuis autem fides clarissimum Dei donum sit, & ab eo in fideliū mētes deriuetur, nihilominus tamē multis ac miris argumentis & testimoniis illustratur; maioraq. recipit incremēta, per quæ iustus homo ex fide in fidem (vt Apostoli verbis vtar) quotidie proficit. Cùm enim vtrumq. lumen, naturæ scilicet & gratiæ, ab eodem auctore proficiscatur; adeò alterum alteri minimè aduersatur, vt etiam alterum altero cumuletur. Vt ergo corpora nostra non solùm hausto cibo & potu interiùs calefiūt, sed exteriùs etiam applicitis vestibus calorem concipiūnt: ita fides non solùm interno diuini Spiritus lumine, sed externo etiam, hoc est, miraculorum & diuinorum operum testimonio, eodē Spiritu cooperante, roboratur & confirmatur. Quo fit, vt quamuis ea quæ fides prædicat, supra omnē rationis humanæ facultatem posita sint, nos tamen nō temerè, sed maximis rationibus & argumentis inducti, cū magna ratione credamus. Cùm sint autē innumera testimonia & argumenta quibus fidei veritas cōprobatur, vnū dūtaxat ex tā multis, quod ex hodierna sancti Euāgelij lectione colligitur, in mediū afferam.

Hebr. 11. — Simile. — Rom. 1. — Simile.

Ad hoc igitur sciendum est, ea quæ in sacra huius diei lectione cōtinentur, Dominum ea ipsa nocte qua erat in manus impiorum tradendus (vt paulo antè diximus) inter discipulos perorasse. Non ignorabat autem is, quæ hostium suorū illo die cōsilia essent, quæ insidiæ, qui armorum apparatus, quæ supplicia contra ipsum pararētur. Nam & Iudæ proditionē prænūciauit, & illū accelerare ea, quæ tūc moliebatur, admonuit, & trinā Petri negationē ante galli cantum, & discipulorū fugam, & scādalum quod ea nocte passuri essent, & imminēs sibi mortis supplicium eo ipso die apertissimè prædixit, quod sæpe etiā aliàs ante passio-

passionem denunciarat. Si ergo Dñs is fuisset quem Iudæi prædicabant, quem & malefactorem, & gentis illius subuersorē, & blasphemum esse clamabant (vtpote qui, cùm homo esset, diuinitatis sibi gloriam intoleranda superbia arrogaret) si, inquam, talis fuisset; quid, quæso, facturus erat eo die quo se atrocissimis hostibus tradendū, & immanissimo crucis supplicio afficiēdum sciebat? Quid, inquam, tū esset facturus, nisi quod malefici homines solēt, cùm ad necis supplicium à Præfectis vrbium quæruntur? Fuga enim celerrima sibi cōsulunt, omnes latebras exquirunt, omnes vrbis angulos lustrant, si quem fortè aptum ad latendum inueniant. Sunt qui se vel in cisternis, vel in tumulis inter mortuorum cadauera condunt: sunt qui se præcipites vel ex tectis, vel fenestris exturbāt, si alia via sibi ad fugā aditus non pateat: sunt etiam qui ad Indos vsque, hoc est, ad extremos mūdi fines, vxore liberisq. charissimis relictis, fugiant, si alia ratione mortis periculum vitare nequeant: denique nullum non mouent lapidē, nulla siue corporis, siue rerum suarum incommoda recusant, tantisper dum vitam incolumem seruent. Iam verò qua trepidatione & consternatione exagitātur, qua celeritate huc & illuc consilij inopes discurrunt, vt aliquam salutis & vitæ conseruandæ rationem inueniāt! Hæc igitur malefici homines. Sed quid ego maleficos dici, cùm etiā sanctissimi quiq. viri, quo tempore vel ab infidelibus, vel ab hæreticis ad necem quærerentur, desertas & inuias solitudines peterent, vt à morte etiam gloriosa eriperentur? Sic enim S. Blasius ad Argeum mōtem aufugit, qui tamen ab Agricolai Præsidis militibus, in eo monte venantibus, deprehensus est. Quid verò magnus ille Athanasius? quas non mundi oras peragrauit, vt Arrianorum gladios effugeret? Qui etiam (quod incredibile dictu est) sex annos continuos in sicca cisterna sine Solis aspectu latuit.

Nunc in Dominum Saluatorem oculos coniiciamus: ea ipsa nocte, qua sciebat se ad mortis supplicium quærendū, cū discipulis cœnauit, & Pascha cum illis religiosissimè celebrauit, pretiosissimi corporis & sanguinis sui Sacramētum instituit; quodque omnem superat admirationem, vt humilitatis virtutē exemplo suo commendatissimam redderet, discipulorum pedes lauit: quodque non minùs mirabile est, longissimum ad eos sermonem habuit, quo illos & ad mutuam dilectionem, & laborum patientiam, & omnia virtutum officia instruxit, & multis maximisq. rationibus eos de abscessu suo mœrentes atque trepidantes cōsolatus est. Nec hoc cōtentus, in eo sermone pro illis orationem ad Patrem fudit; vt eius patrocinio adiuti, quod ipse verbis docuerat, illi moribus & vita præstarēt. Qui ergo sic se hoc tēpore gerebat, qui hac tāta pace & tranquillitate animi

hęc pietatis officia exercebat, quo die hostes eius hastas poliebãt, gladios acuebãt, faces accẽdebant, & exercitũ ad se capiendum comparabant; quonam modo is esse poterat, quem Iudæi maleficum, subuersorem, & blasphemũ esse clamabant? Si enim is esset, haud dubium quin illo tempore ea faceret quæ ij solẽt, quibus præsens mortis periculum imminet. Quis igitur adeò pertinax & amens erit, qui hac ratione dignitatem & innocentiam Domini, & hostium suorum cæcitatẽ non agnoscat? Quis huic tam firmo fidei nostræ argumento refragari queat? Nec dissimile huius veritatis & innocentiæ argumentum est, summum illud eiusdem Domini, inter tot accusantium calumnias atq. mendacia, silentium. Quis enim reus, cùm de capitis periculo agitur, & à falsis testibus ante iudicẽ accusatur, silentium seruat? quis nõ clamoribus omnia complet? quis non iuramentis iterum atque iterum repetitis innocentiam suam tuetur? quis denique non cælum terramque hoc tempore pertimescet? quis non Dei atq. hominum fidem aduersus tantum nefas implorat? Si hoc ipsum nocentes quoque faciunt, quid innocentes facturos putamus? At Dominus tantum inter tot falsa crimina silentium tenuit, vt Præses ipse vehemẽter admiratus, ad illum dixerit: Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatẽ habeo dimittere te? Quis igitur vel hoc vno indicio & fidei nostræ veritatem, & Christi Domini dignitatem non agnoscat? Sunt quidem grauissima & innumera penè argumenta, quibus Catholicæ fidei veritas comprobatur, è quibus tamen hoc vnum in medium afferre volui, quod ex hodierna sancti Euangelij lectione desumitur; vt vel hac vna ratione radix fidei mentibus nostris altiùs impressa, vberiores virtutum atque iustitiæ fructus germinet. Sed iam ad Euangelicam lectionem propiùs accedamus.

Ioan. 19.

I.

Ait ergo Dominus discipulis: *Non turbetur cor vestrũ*. Triplici de causa discipulorum animi turbati erant. Primùm, quòd dilectissimũ magistrum, cuius gratia omnia reliquerant, à se discedere intelligebant; vt non possent filij sponsi, ablato sponso non lugere. Deinde, quòd audierant vnum ex ipsis in tantum nefas prolapsurum, vt Magistrum hostibus proderet. Quamuis enim huius tam tetri facinoris sibi cõscij non essent, suæ tamen infirmitatis memores, pro se quisq. tantum illud nefas formidabat. Itaque (vt Matthæus Euangelista refert) cõtristati valde, cœperũt singuli dicere: Nunquid ego sum, Domine? Postremò illos etiam grauiter angebat, quòd audierant, Petrum, qui velut columna erat inter eos, ter Dominum esse negaturũ, ipsosque ea nocte graue scandalum passuros. Hanc igitur discipulorum

Mat. 26.

trepida-

trepidationem Dominus adimere intendit, cùm ait: *Non turbetur cor vestrum.* Quo in loco diligenter obseruandū esse ait Rupertus abbas, quòd non dixerit, Ne turbemini: quandoquidem paulo antè dixerat, ipsos ea nocte scandalum passuros, ipsumq. Dominum relicturos. Ergo quod ait, *Non turbetur cor vestrum;* idem est ac si dixisset, Non deficiat fides vestra. Quoniam, inquit, Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum; & tanta trituræ vis erit, vt dispergamini omnes, & me solum relinquatis: hoc vnum ergo restat persuadere; vt corporaliter dispersi, saltem corde imperturbato permaneatis mecum in tentationibus meis. Hoc enim est quod ego rogaui pro te Petre, vt, dum voce negas, saltem in corde fides tua non deficiat; & de hoc ipso quod offendis in verbo, aliquando conuersus, confirmes fratres tuos. Itaque non turbetur cor vestrum, sed credentes in Deum, credite & in me; neque tentationum mearum euentu turbati, errasse vos arbitremini in eo quòd hactenus credidistis in me. Credite, inquam, in me. Et si nunc ingruentis asperitas hiemis extrinsecus virentia confessionis vestræ folia deterit ac dispergit, viuat saltem intrinsecus radix bonæ arboris, vt postquam hæc hiems transierit, postquam hic imber abierit & recesserit, de radice credulitatis, quæ viget in corde ad iustitiam, reflorescat oris confessio ad salutem. Hactenus Rupertus.

Rupert⁹.

Sed expendamus, quæ Dominus salutis præsidia discipulis proponat, vt illis metū adimat. Certè talia, vt illis muniti, etiam si cælum cōcideret, & terra incendio deflagraret, nihil esset cur trepidare atque turbari deberent. *Creditis,* inquit, *in Deum, & in me credite.* hoc est, Sicut fidem atque spem vestram in vno Deo repositam habetis, ita in me etiam reponite, mihi fidite, me tutorem, defensorem, ac patronum, & salutis vindicem agnoscite: nihil enim minus in me diuinitatis ac potestatis, quàm in Patre est. Cùm autem tot meæ erga vos dilectionis argumēta habeatis; quæ tanta calamitas esse potest, quæ vos, me protegente, de gradu virtutis & constantiæ depellere queat? An non in Esaia legistis; Iuxtà est qui iustificat me; quis contradicet mihi? stemus simul. Quis est aduersarius meus? accedat ad me. Ecce Dñs Deus auxiliator meus, quis est qui condemnet me? Huius ergo Domini patrocinio muniti, nihil est cur vel cūctorum hominum, vel inferorum etiam vim & potentiā timeatis. Hæc est autem vel maxima piorum hominū in calamitate felicitas, quòd in rerum omnium Domini tutela securi latent. Qua de causa ipsos Propheta ad lætitiam adhortatur, cùm ait, Lætamini in Dño, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. Meritò non in se, aut humanis præsidiis, sed in Deo lætari monet; quòd videlicet Deum habeant tutorem, protectorem, auctorem

Esai. 50.

Psal. 31.

ctorem felicitatis, vindicem libertatis, atque postremò fidissimum parentem,qui non minorem illorum, quàm parentes filiorum,curam & prouidentiam gerat.Hoc igitur primum Dominus discipulis præsidium atque solatium proponit.

Sequitur aliud:*In domo patris mei mãsiones multæ sunt: si quo minus*;hoc est alioqui,vel si secùs esset, *dixissem vobis: quia vado parare vobis locum.* Hac oratione Dominus profectionem suam ad eorum salutem pertinere ait,quòd ad parãdum eis locum proficisceretur: quocirca non modò illis minimè trepidandũ, sed summopere etiam lætandum esse. Sed paulò diligentiùs hæc Domini verba excutiamus, quibus de cælestis gloriæ præmio disserit. Præmium autem,quod essentiale vocant,in aperta immensæ illius pulchritudinis contemplatione & dilectione consistit. Hac enim in re nõ solùm hominũ, sed angelorum etiam felicitas posita est. Quamuis enim(vt D.Thom.ait)naturæ cõditione longè inferiores sint homines Angelis, in beatitudinis tamen dignitate pares sunt. Nec enim aliud est quod homines, quàm quod Angelos beatos efficit. Imò si beatitudinis obiectum spectare velis,non est aliud quod Deum & quod hominem beatum facit. Neque enim alia Dei beatitudo est,quàm se videre,& se ipso frui;eademq. hominis,suo tamen gradu, beatitudo est. Hoc est enim illud Domini sui gaudium,in quod fidelis seruus intrare præcipitur. Summus siquidem ille bonorum omnium largitor non aliam sibi, aliam fidelibus seruis beatitudinem proposuit;sed quod sibi diuinitatis iure conuenit, in illos per adoptionis gratiam contulit. In illius ergo amplexu & contemplatione felices erimus, in illo summo gaudio explebimur,in illo volubilis & inquieta desideriorum nostrorum rota conquiescet: quia nihil vltrà habebit quod desiderare possit, cùm in illo summo & infinito bono, bonorum omnium summam deprehendat. Hoc enim bono Propheta se beandum profitebatur,cũ diceret: Satiabor cùm apparuerit gloria tua: siue, vt alius vertit, Satietas lætitiarum est cum vultu tuo. Hic est autem denarius ille diurnus, qui Dominicæ vineæ operariis in Euangelio promissus est. Denarius autem complexu suo omnem continet numerum; vt hac ratione intelligamus, bonorum omnium summam in hoc sempiternæ felicitatis præmio contineri.

D.Tho.

Psal.18.

Mat. 20.

Hoc cùm ita sit,cur Saluator ait,*In domo Patris mei mansiones multæ sunt*;hoc est, multiplices felicitatis & gloriæ gradus; cùm tamen vnum sit beatitudinis obiectum,vnusque operariis omnibus denarius(vt modò diximus) fuerit promissus? Huic quæstioni D.Thomas respondet, cælestem illam beatitudinem & vnam & multiplicem,diuersis quidem rationibus,esse.

D.Tho.

Primùm

Primùm quidem vna est omnibus qui eundem Dominum retecta facie contemplantur. Omnes enim cælestem illum Regem in decore suo vident; quamuis solus ipse immensam pulchritudinis suæ magnitudinem cõprehendat. Omnibus deinde eâdem æternitatis mensurâ hæc ipsa gloria distribuitur. Sciunt enim se in Dei gratia & amicitia ita esse confirmatos, vt nulla vnquam temporis diuturnitate ab illa casuri sint. Postremò ita inter sese mutua charitate deuincti sunt, vt propria singulorum gaudia omnibus cõmunia sint. Si enim materna charitas facit, vt dignitas de gloria quæ filio obtigit, nõ minus ipsam, quàm filium attingat; quid flagrantissima illa bonorũ charitas faciet, quæ multis partibus omnem naturæ dilectionem superat? Quo fit, vt, cùm infinitus propè sit numerus beatorum, infinita prope sint gaudia singulorum. Quos autem ad virtutem aculeos hæc tanta spes, tantaque felicitas nobis addere deberet, quibus hæc tanta gloria proposita est! His ergo rationibus felicitas illa vna eademque esse dicitur: nihilominus tamen (vt hoc in loco Saluator ait) multiplex, maximeq. varia est; quia nõ omnes eadem mensura diuinæ pulchritudinis speciem contemplantur, nec illa eadem pari mensura fruũtur. Cùm enim in diuinæ pulchritudinis contemplatione atq. fruitione sanctarum animarum felicitas posita sit; quicumque cordis puritatem in hac vita maximè coluerunt, seq. ipsos à terrenarum rerum contagione & amore puros integrosque seruarunt, hi planè longè clariùs diuinam illam speciem contemplabuntur. Vnde Saluator, Beati, inquit, mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Quicunque etiam flagrantiori charitate Deum in hac vita dilexerunt, feruentioresque & alacriores in eius obsequio fuerunt, hi planè maiori voluptate atq. gaudio afficientur, cùm illũ ipsum aperta facie videant, quem adhuc velatum tantopere in hac vita dilexerunt. Ex his autem illud efficitur, vt quemadmodum ex eodem fõte alius maiorem, alius minorem aquæ mensuram pro vasis magnitudine, refert; ita beatæ illæ mentes, pro meritorum dignitate, & maiorem vel minorẽ felicitatis gloriam ex inexhausto illo immensæ pulchritudinis fonte haurient. Hoc est ergo quod cælestis Magister insinuauit, cùm in domo Patris sui mansiones multas esse dixit: quia videlicet diuersa sunt merita viuẽtium, diuersa dona gratiarum, quæ vobis & illis distributa vel distribuenda sunt. Itaque sicut alia claritas Solis, alia Lunæ, atque alia stellarum; stella quoque differt à stella in claritate: sic & ipsæ mansiones multæ sunt, & in gloria differunt; veruntamen omnes in firmamento immortalitatis & incorruptionis stabilitæ sunt.

Matth. 5.

Simile.

1. Cor. 15

Cæterùm ne discipuli hanc tãtam gloriam quàm diutissimo temporis

temporis spatio differendam putarent, adiunxit protinus, se eò proficisci, vt eas illis mãsiones pararet. *Et si abiero*, inquit, *& praeparauero vobis locũ, iterùm veniã, & accipiam vos ad me ipsum, vt, vbi ego sum, & vos sitis.* vt videlicet, vbi fuerit corpus, ibi congregentur & aquilæ; vbi caput, ibi membra; vbi magister, ibi discipuli; vbi deniq. sponsus, ibi etiam filij sponsi. Quod autem dicit; *Iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum*: hoc in fine vitæ Apostolorum, atq. adeò piorũ hominum accipiendũ est, quo tempore illos Dominus ad felicitatis suæ consortiũ rapiet. Nec in morte tantùm, sed ante mortem etiam spiritualiter eos inuisere solet. Hoc enim Sponsa in Cant. insinuat, cùm ait: Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat. Hic autem hortus, Ecclesia est: areola verò aromatum, piorum hominum cœtus, qui variarum virtutum fragrãtia, Christi bonus odor sunt. Harum autẽ virtutum suauitate cælestis Sponsus mirificè pascitur & oblectatur. Præcipuè verò lilia colligere dicitur, quæ candore suo & pudicitiæ & virginitatis puritatem designant; vt hac ratione eximiam illam dilectionem agnoscamus, qua summus ille puritatis fons erga huiusmodi animas afficitur. Cant. 6

II.

Verùm hoc in loco non negligenda quęstio obijcitur, quæ in reliqua concionis parte tractãda est. Quid enim sibi vult, quòd Saluator ait, se in hoc proficisci, vt locum discipulis inter cælestes illas mansiones pararet? Hæ namque mansiones ab æterno iam diuinæ prædestinationis decreto electis omnibus paratæ sunt; & quam quisque felicitatis mensuram sit percepturus, iam olim à Deo constitutum est. Est ita, fateor: sed qui in his mansionibus collocandi sunt, non sunt adhuc parati. Has namque mansiones nõ impuris hominibus, sed iustis, sed Dei amicis atq. adeò filiis charissimis (qui adoptionis iure in paterni patrimonij possessione collocandi sunt) Pater æternus destinauit. At omnes posteri Adæ, impuri, & in peccato cõcepti sumus, sicut Esaias ait: Et facti sumus immundi omnes nos, & omnes iustitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ: omnes item inimici Dei, omnes naturâ nascimur filij iræ, omnes ferè multis criminibus alligati, & sempiternæ mortis rei effecti sumus. Quocirca necesse est, impedimenta hæc, quæ hominibus cælestis regni aditũ intercludũt, amouere, vt digni efficiãtur qui in illas mansiones admittendi sint. Hoc est igitur, quod nunc se Dominus facturum pollicetur, cùm se ad parandum nobis locũ proficisci ait: perinde enim est ac si diceret; Ad crucẽ modò atque passionem propter vestram salutem constituendam pergo, per quam commune generis humani debitum sanguinis mei oblatione Esaię 64. Ephes. 1.

dissoluam, per quam peccata mundi expiabo, per quã vos Patri meo reconciliabo, & ex iræ filiis, Dei amicos & filios, atq. cælestis patrimonij hæredes efficiam; & per quam deniq. gratiam & Spiritum sanctum vobis impetrabo, qui intra vos manẽs diuinę puritatis & sanctitatis participes efficiat, & sic tandem ad illas mansiones, quæ iam olim paratæ sunt, vos præparet, & illis dignos reddat. Hac ergo ratione vado parare vobis locum. Qua ex re, charitatis erga nos Christi magnitudinẽ agnoscere licet, qui tanto suo incommodo nos ad illas mãsiones parauit. Morte quippe sua nobis immortalitatem contulit, doloribus suis sempiternæ felicitatis gaudium nobis promeruit; ignominioso crucis supplicio immortalem nobis gloriam comparauit, & omnia in corpore suo diuinæ iustitiæ tela excipiens, nos cum Patre, à quo diffidebamus, in gratiã restituit; ac postremò pretioso sanguinis sui cruore peccatorum nostrorum chirographum, quod erat nobis contrarium, deleuit: atque ita demum impedimenta omnia, quæ nobis aditum in æternas illas mãsiones intercludebant, mortis suæ sacrificio sustulit. Hoc est autẽ summũ illud beneficium quod Ioannes in Apocal. de Domino Saluatore loquens, suauissimis his verbis exposuit: Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Quamuis autẽ hoc summum diuinæ pietatis beneficium latissimè ad omnes pateat, vnusquisque tamẽ fidelium singulariter sibi impensum existimare debet. Vt enim Solis lumen, quod omnia illuminat, non minùs vnicuiq. lucet, quàm si eum solum illuminaret; ita Dominicæ passionis sacrificium, quod pro omnibus oblatum est, non minùs vnicuique prodest, quàm si pro eo solùm oblatum esset. Hoc enim animo Apostolus huius beneficij gratiam sibi applicabat, cùm de Domino Saluatore diceret; Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me: hoc est, tanta me charitate dilexit, vt, cùm ego morti adiudicatus essem, ipse se mediũ obiecerit, & mortem, quam peccata mea merebantur, ipse, qui nihil morte dignum admiserat, pertulerit. Quî ergo fieri potest, vt non illum redamem, qui tanto me amore dilexit?

Apoc. 1. *Simile.* *Galat. 2.*

Vt ergo quisq. nostrũ, fratres, Pauli exemplo hoc grati animi obsequium Redemptori exhibeat, oculos in sublime tollat, & pendentis in cruce Domini imaginẽ pio cordis affectu contemplans, sic cum illo agat: Quis te, quęso, Domine, ferreis clauis in hoc ligno confixit? quæ noxa tua, quod scelus tuum, quæ flagitia, quæ rapinę tuę fuerũt, propter quas inter maleficos homines appẽdereris, & quasi sceleratus pœnas dares? Tu fõs puritatis, tu agnus ille innocentissimus, in quo nulla erat macula, qui iniquitatem non fecisti, neq. dolus inuentus est in ore tuo. Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisq. in viam suam declinauit,

Esaiæ 53.

clinauit. Nemo nostrûm dicere potest: Mundum est cor meũ, purus sum à peccato. Tu solus sine peccato, tu solus sanctus, innocẽs, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus. Huic interrogationi respondere Dominus poterit: Non mea iniquitas, sed tua, me huic patibulo affixit; superbia tua me sic humiliauit, auaritia tua sic spoliauit; lasciuia tua in tot me dolores coniecit; & inobedientia tua manus meas & pedes clauis in ligno confixit. Vidi enim homines ob primi parentis inobedientiam à paradiso expulsos, eosdemq́. ob priuata cuiusque scelera ad sempiternam mortem damnatos. Vidi nullum esse inter eos virum à peccati & mortis debito liberum, qui secundùm diuinæ iustitiæ leges pro omnibus satisfacere posset. Solus autẽ ego hoc poteram, quia solus inter mortuos à peccati debito liber eram. Cùm ergo animaduerterẽ miseros homines diuinæ iustitiæ decreto ad sempiternã mortẽ damnatos; vsque adeò miserandam eorum vicem dolui, vt salutis ipsorum gratia me in hoc tantum dolorum & cruciatuum pelagus spõte coniecerim, vt, quæ nõ rapui, exsoluerem. Hęc & multa alia in cruce positus respõdere Dominus posset. Quæ cùm diceret; an non mentes nostras hac tanta amoris significatione liquefaceret? Si enim bonitatis, & charitatis, & beneficiorum magnitudo ferrea etiam corda ad amorem excitant: quæ maior diuinæ bonitatis declaratio, quę ardẽtior charitatis exhibitio, quod maius diuinę misericordiæ beneficium, quàm quod in Christi morte & passione cõspicitur? Cũ bello ciuili (vt Seneca refert) nobilis quidam vir ad necem quæreretur, fidissimus quidam eius famulus, qui eximio domini sui amore flagrabat, vestes eius induit, & annulos digitis aptauit, seq́. intrepidũ pro domino morti obtulit. Quid hic, quæso, dominus famuli morte seruatus, tantoque deuinctus beneficio facere deberęt? quo affectu tantum illud fidei & dilectionis opus recoleret? qua beneuolentia demortui liberos, si qui fortè superessent, prosequeretur? Si igitur hunc erga seruum dominus animum gereret, quem summis beneficiis in sui amorem pellexerat; quid nos facere, quid sentire, quo affectu atq. ardore liquefieri par est, cùm maiestatis Dominum pro seruandis nobis ad mortem se obtulisse videamus? Ille enim seruus, hic rerum omniũ Dominus; ille beneficiis astrictus, hic non modò nullis nostris meritis obligatus, sed multis etiam iniuriis affectus; ille temporariam vitam breui temporis spatio definitam morte sua domino contulit, hic sempiternam nobis vitam dedit, & à sempiterna morte liberauit. Quæ ergo beneficij ad beneficium comparatio? Vt enim alia prætercam, tantum hoc beneficium beneficio præstat, quantum diuinæ maiestatis dignitas seruili conditione præstantior est. Si ergo

Seneca.

beneficium illud flagrantiſſimam ſeruati Domini charitatem, & ſempiternam memoriam merebatur; quid, quæſo, fratres, à nobis hoc ſalutis noſtræ beneficium ſuo ſibi iure vindicat, quod infinitis partibus præcellit? Qua ergo charitate tantã Dei noſtri charitatẽ proſequi, qua dilectione tantas diuinæ bonitatis opes diligere, quas gratias pro tam ineffabili diuinæ clemẽtiæ beneficio agere, quibus laudibus hoc tantum miſericordię opus prædicare, qua deuotione clementiſsimi huius Seruatoris obſequio & ſeruituti nos addici par eſt? Quid enim illi non debeamus, qui vitam illam, quæ rerum omnium conditarum dignitatem infinitis partibus vincit, in vitæ noſtræ remedium contulit? Quòd ſi me totum, vitamq. meam illi tradidero, quid ſum ego ad Dominum meum? O quantus ſe nobis hîc lugendi campus aperiebat, ſi illos in iudicium vocaremus, qui nulla huius tanti beneficij memoria tanguntur! qui tantum abeſt, vt vllam tanto amatori amoris vicem rependant, vt etiam continuis ſceleribus eius maieſtatem violent, & (quod in ipſis eſt) totum Dominicæ redemptionis ſacramentum euertant, cùm ſe illo indignos ſceleribus ſuis faciunt.

Sed fortaſſe aliquis dicat; Fateor me multũ Redemptori debere, qui tantam in me ſalutem contulit; ſed propter ſuſceptam pro me mortẽ & cruciatum quid illi debeo, qui cùm Deus eſſet, ab omni doloris ſenſu immunis erat? Vt enim in Abrahæ ſacrificio aries iugulatus eſt, Iſaac autem mortis periculum euaſit; ita in Chriſti ſacrificio ſacra illa humanitas paſſa fuit, diuinitatis autem maieſtas illęſa permanſit. Eſt ita planè. Sed quãtum, quæſo, vnigenito Dei Filio debes, qui dilectiſſimã illam humanitatem, quam ſibi indiſſolubili vinculo deſponſauerat, cuique eſſe ſuum contulerat, pro cõſeruanda vita tua ad mortis ſupplicium obtulit? Hoc autẽ quale ſit, propoſitis exemplis declarabo. Huius enim dilectionis magnitudinem ex ea dilectione, qua anima noſtra corporis ſui vitam diligit, conijcere poteritis: quæ nimirum tanta eſt, vt dæmon apud Iob, rebus omnibus, liberiſque ſancti viri amiſſis, dixerit: Pellem pro pelle, & cuncta quæ homo habet, dabit pro anima ſua, hoc eſt, pro vita ſua. Cuius quidem dilectionis cauſa eſt quia (vt modò diximus) anima ſuum ipſius eſſe atque vitam corpori tribuit. Neque enim corpus à ſe, ſed ab anima vitam habet: ideò ſublata anima, corpus in cadauer, atque adeò in ſterquilinium tranſit. Inde fit, vt anima, quæ ſuum ipſius eſſe corpori tribuit, illud vehementer diligat. Hoc autem exemplo, quo amore Dei Filius ſacram illam humanitatem diligat, perſpicere licet: is namque ſuum ipſius eſſe, hoc eſt, diuinum eſſe humanitati inexplicabili rationi tribuit, quamuis nullo modo eius forma ſit. Hanc ego adeò

Simile.
Gen. 22.
Iob 2.

dilectam sponsam salutis humanæ gratia in dolorum atq; tormentorum omnium torrentem cõiecisse, quãtæ, quæso, dignationis, quantæ pietatis & misericordiæ fuit! Adijciam alterum huius rei exemplum, quo res fiat dilucidior. Ferunt maleficum quendam hominem nullis tormentorum generibus ad commissi criminis confessionem adigi potuisse. Iudex autem prudentissimus, excogitato nouo cõsilio, paruulum eius filium ante patris conspectum atrociter verberari iussit. Quo cruciatu ita patris viscera laniata sunt, vt admissum scelus aperta voce confiteretur. Quo indicio colligimus, quãtum nos eorum, quos charissimos habemus, cruciatus torqueat; quandoquidem apud hunc hominẽ plus dilecti corporis dolor, quàm proprij cruciatus, valuit. Quod ideò dixi, vt hac ratione intelligatis, fratres, quantum salutis nostræ auctori debeamus, qui dilectissimam & purissimam illam humanitatẽ immanissimis hostibus cruciandam, illudendam, conspuendam, verberandam, crucifigendam, & mille modis excarnificandam incredibili pietate & misericordia tradidit, etiam si altissimam illam diuinitatis substantiam nullus dolor attigerit.

Simile.

Quid est autem quod hoc summum redemptionis nostræ beneficium à nobis præcipuè exigit? Certè vt huic tantæ erga nos diuinæ charitati vicem rependamus, & charitatem alterna charitate compensemus: neq. enim alia re pleniùs amor, quàm amore, compensatur. Si ergo Dominus maiori dilectione animarum nostrarum salutem, quàm corporis sui vitam prosecutus est; efficitur planè, vt nos illum supra vitam nostram, supraque omnia quæ in vita charissima sunt, diligere debeamus, eaq. omnia priùs, quàm eius gratiam & amicitiam, interire patiamur. Hac enim ratione nos illum supra omnia diligere comprobabimus. Deinde illud etiam à nobis exigitur, vt, quando ille propter peccatum è cordibus nostris eliminandum dirissima supplicia subire non recusauit, nos quoque nulla neque incommoda, neque supplicia recusemus, ne id admittamus, quod is tam immani odio execratus est. Postremò, quoniam vera dilectio in laboribus ob dilecti gratiam perferendis maximè comprobatur (hac enim ratione suam erga nos dilectionem Saluator præcipuè declarauit) nostra quoque erga illum charitas nullo modo conquiescat, donec variorum laborum & calamitatum inseparabili patientia comprobetur. Hæc igitur tanta diuinæ erga nos charitatis dignatio effecit, vt sancti viri multo magis cruciatus & mortem propter Christi gloriã, quàm alij diuturnam vitam desiderarint. Sic enim beatus Pater Dominicus flagrantissimo ardore non solùm mortem, sed omnium etiam membrorum dilacerationem propter Christi gloriam sitiebat;

sic sanctus Laurentius craticulas & ignes, tanquam suauissimas epulas, exoptabat. Sciebant enim hanc solam esse dignã mortis Christi compensationem, cùm sanguis sanguine pensaretur. Quid verò Apostolos memorem, qui ibant gaudentes à conspectu concilij, quòd digni habiti essent pro nomine Iesu contumeliam pati? Qua de causa Dominus, qui eorum desiderium, & martyrij gloriã probè norat, noluit eos neq. hac tãta gloria, neque desideratissima martyrij corona fraudare. Omnes enim Apostoli, vno Ioãne excepto, qui ex feruentis olei dolio incolumis euasit, scalam sibi in cælum per varias cruces & mortes erexerunt. Hac autẽ regia & Apostolica via Philippus & Iacobus hodie cęlestem aulam, martyrij sanguine laureati, gratulãtibus cælestis curiæ ciuibus, simul ingressi sunt. Quorum breuiter & sanctissimæ vitæ cursum, & mortis exitum attingam. Philippus igitur, in partitione prouinciarum, Scythiam sortitus est, in qua cùm annos ferè viginti Christianæ religionis institutis animos populi imbuisset, innumerabilemq. multitudinem à falso cultu ad verũ traduxisset, à nonnullis, qui à religione nostra abhorrebant, comprehẽsus est primùm; deinde ad statuam Martis ductus, vt ei diuinum honorem & cultum tribueret. Eò vt vẽtum est, draco inusitatæ magnitudinis ex basi statuæ erupisse dicitur, Pontificisq. filium, qui ignem ad sacrificium ministrabat, duosque Tribunos, qui prouinciæ præerant, quorum satellites Philippum comprehensum habebant, certo quodam impetu vulnerasse, multosque flatu oris in grauem morbum præcipitasse. Philippus autem, qui omnia lamentationum, gemituum, morborumque plena cerneret, omnibus tum exposuit, si consilium ipsius sequi vellent, fore vt nõ solùm ij, qui draconis flatu in morbum incidissent, cõualescerent; verùm etiam ij qui iam extincti essent, ab inferis excitarentur. Quin etiã se Dei sui nomine draconem, qui eis tam pestifer esset, fugaturũ promisit. Omnes eum tum orare, vt cõsilium daret, quo quàm primùm vterentur, enixè cœperũt. Ille Martis statuam deijciendam esse dixit, & in eius loco Iesu Christi crucem figendam, quam ipsi venerarẽtur & colerẽt. Cumq. ægri sibi vires deesse clamarent, & ostenderẽt lacrymis, se, si possent, quàm primùm deiecturos statuã, Philippus draconi Christi nomine, vt eò abiret, vbi nocere nemini posset, imperauit: atque ita eius iussu inde abiit. Tum autem & Pontificis filium, & duos Tribunos, quos paulo antè dixi, ab inferis excitauit, & omnes, qui flatu draconis in morbum inciderãt, curauit. Quo factum est, vt omnes, qui antea Philippo infesti erant, pœniteret scelerum suorum, ipsique eum vt Deum in hominis specie & figura adorarẽt. Ipse autem annum ibi præterea commoratus est, totumque illud tempus in tra-

Actor. 5.

in tradendis docendisque religionis nostræ mysteriis institutisque consumpsit. Eius itaque operâ innumerabiles homines ad Christi cultum & religionem traducti, baptizatiq́. sunt. Institutis autem eorum hominum ordinibus & gradibus, qui rem diuinam procurarent, delectoq́. Pontifice, multisq́. templis ædificatis, ipse, oraculo diuino admonitus, in Asiam reuersus est. Ibi in vrbe Hierapoli sectam Ebionitarum (qui Dei Filium veram hominis naturam ex Maria Virgine sumpsisse negabant) euertisse ac sustulisse, eorumque inuidia & scelere in crucem actus, & lapidibus obrutus esse dicitur. Hęc de glorioso Philippi agone. Iacobus autem, posteaquam Hierosolymorum Ecclesiam summa cum laude rexisset, rogatus à Iudæis, vt in die Paschæ, cùm plurima turba conuenire solebat, ex loco sublimi ad populum cōcionaretur, & à cultu Iesu, quem per errorem multi sequerentur, oratione & auctoritate sua populares auerteret, pinnam templi conscendit. Vbi magna Iudæorum Gentiliumque astante multitudine, à Scribis & Pharisæis, quid ipsi de Christo videretur, alta voce rogatus, respondit: Quid me interrogatis de Filio hominis: Ecce, ipse sedet in cælo à dexteris summæ virtutis, & ipse venturus est in nubibus cæli. Quo sermone audito, Scribæ & Pharisæi conclamant: Prô, iustus etiam errauit. Ascenderuntque, & præcipitauerunt eum, & lapidibus obruere cœperunt. Ille verò cōuersus, & super genua procumbens, quæ illi ob assiduum orandi vsum in camelorum speciem occalluerant, pro ipsis orabat, donec pertica fullonis capite comminuto, spiritum emisit. Hoc ergo supplicij genere duo hi sanctissimi Apostoli Christi gloriam sanguine suo illustrarunt, clarissimaque nobis fidei, constantiæ, charitatis, & inuictæ patientiæ exempla reliquerunt, per quæ nos, ceu per gradus quosdam, ad cælestem gloriam, quam illi sanguine suo mercati sunt, sine sanguine etiam, aspirante diuina gratia, peruenire poterimus.

IN EODEM FESTO APOSTOLORVM PHILIPPI ET IACOBI, CONCIO SECVNDA: in qua lectio Euangelica explanatur.

THEMA. *Ego ſum via, veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, niſi per me.* Ioan. 14.

HODIE, fratres, dilectiſſimi, duplicatam duorum inſignium Apoſtolorum Philippi & Iacobi gloriam ſub vna ſolemnitatis lætitia celebramus. Et quidem de Philippo in ſacra huius diei lectione, & ſæpe aliàs in Euangelicis litteris mentio fit. De Iacobo autem, qui frater Domini dictus eſt, & Lucas in Actis Apoſtolorũ, & Paulus in Epiſt. ad Galatas, & Corinth. mentionem facit: Alium, inquit, Apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum fratrem Dñi. Frater autem Domini appellatus eſt, quòd eius eſſet conſobrinus, vtpote Mariæ Cleophæ, ſororis beatiſſimæ Virginis Marię filius. Cuius feminę ſingularis pietas in hoc elucet, & quod iuxta crucem Dñi cum piiſſima Virgine aſtitit (ſic enim Ioannes ait; Stabat autem iuxta crucem Ieſu mater eius & ſoror matris eius, Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ) & quòd quatuor ſanctiſſimorum filiorum mater extitit, nempe Iacobi huius, Simonis, & Thaddęi (qui alio nomine Iudas appellatur) atq. Ioſephi. Hæc verò ſancta femina in Euangelicis litteris modò Maria Cleophæ, ſcilicet filia; modò Maria Iacobi, ſcilicet mater; & Maria Iacobi & Ioſephi, ſcilicet mater; appellatur: quæ ex Alphęo viro quatuor has cęleſtes propagines ſuſcepit: quarũ tres, hoc eſt, Iacobum, Simonẽ, & Thaddæum, Dominus ad Apoſtolici muneris dignitatem extulit: quartam verò, nempe Ioſephum, in diſcipulorum ordinem cooptauit. Hodierna verò ſancti Euangelij lectio de ſolo (vt dixi) Philippo mentionem facit. Admonitos autem vos, fratres, in huius cõcionis initio velim, ſacræ huius lectionis ſcriptorẽ eſſe Ioannem Euangeliſtam; qui & aquilæ, & diſcipuli quem diligebat Ieſus, nomine deſignatur. Hic autem dilectiſſimus diſcipulus hoc præcipuè inter alios Euangelicæ hiſtoriæ ſcriptores ſuſcepit, vt algentia hominũ pectora diuini amoris igne inflãmaret. Ad hoc autem, amoris huius cauſas, hoc eſt, clariſſima diuinæ charitatis beneficia in genus hominum collata, ante oculos ponit. Quod ſingulari quadã ratione in ſacra huius diei lectione facit; cuius quot ſunt verba, tot penè ſunt igniti amoris incitamẽta. Idem tamẽ vt aquila regia, adeò ſeſe ſupra nubes attollit, & inter

Galat. 1.

Ioan. 19.

& inter nubila condit, vt non rarò caligantem mentis nostræ aciem effugiat. Quod in hac etiã lectione animaduertere licet, quando quæ in ea Dominus disseruit, neq. Thomas Apostolus, neq. Philippus, assequi potuerunt. Qua de causa Dominus Philippi atque aliorum discipulorum tarditatem corripuit dicens: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me?* Quæ cùm ita sint, apertè liquet, nos diuinæ gratiæ lumine in præsenti concione indigere, vt hanc cælestem aquilam in sublime volantem, altissimaque Christi mysteria docentem consequi valeamus. Quod vt præstare possimus, cælestem opem, sacratissimæ Virginis intercessione, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

In hodierna sancti Euangelij lectione discipulos Dominus de abscessu suo, & futurorum laborum atq. persecutionum, quę illos manebãt, prædictione turbatos, multis rationibus cõsolatur. Ait igitur, *Non turbetur cor vestrum.* Cur ita? Quam mihi spẽ salutis, Domine, ostendis, cùm tu me deseras, & tot mala mihi impẽdentia prænũcies? *Creditis*, inquit, *in Deum, & in me credite*: hoc est, Quod vobis de Dei Patris benignitate promittitis, de me quoque polliceri potestis. In illo fidem & spem omnem salutis repositam habetis: in me quoque, qui eiusdem cum Patre naturæ, eiusdemq. diuinitatis sum, reponite. His ergo duobus adeò firmis præsidiis muniti, nihil est quod turbari aut trepidare debeatis; sed cur potiùs cum Propheta dicatis; Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? & quod Esaias ait, Ecce, Deus saluator meus; fiducialiter agã & non timebo. Me ergo salutis vestrę defensore atque patrono, quid vobis formidandum est? *Non ergo turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis quia ego dixi vobis, Vado, & venio ad vos* hoc est, Nunquam vos derelinquam, semper inuisam; absensque corpore, Spiritu atque fauore præsens semper adero. Hoc igitur primum vobis solatium atque præsidium propono.

Psal. 26.

Esaiæ 12.

Deinde aliud adiungo: quòd hic meus discessus ad salutem vestram destinatus est: *In domo*, quippe, *Patris mei mansiones multæ sunt*: hoc est, Diuersa virtutum atq. iustitiæ in cælo præmia, variæq. piorum laborum mercedes electis omnibus iam inde ab omni æternitate constitutæ sunt; in quas tamen mãsiones nullus iustorum hominũ admittendus est, nisi in illas ego omnium primus introducar, qui eas omnibus sanguinis mei pretio comparare debeo. Vnde est illud Prophetæ: Me expectant iusti, donec retribuas mihi. Quod cùm ita sit, nequaquam molestè discessum meum ferre debetis, quando is eò spectat, vt locum vobis inter cælestes illas mansiones parem. *Et si abiero*, inquit, *&*

Psal. 141.

Ioan. 14.

præparauero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum, vt, vbi ego sum, & vos sitis. Itaque meus hic ad horam discessus sempiterna mecum societate (quam nulla vnquam vis poterit dissoluere) compensandus est. Neque vllus vos error ab hac tanta spe deiiciat: *Nam & quò ego vado scitis, & viam scitis.* Magnus enim ad felicitatem gradus est, & in quo sit vera felicitas, & quo ad illam itinere perueniatur, agnoscere: quod vtrumque vos minimè latet. Vtrumq. enim Dominus illos non raro docuerat, cùm se ad Patrem, vnde in hunc mundum venerat, tunc regredi nunciasset. Via autem qua ad Patrem peruenitur, & mors Christi, & diuinorum mandatorum obedientia est; quam sæpe Dominus discipulis exposuerat, ideoque ait: *Et quò vado scitis, & viam scitis.*

Ad hæc Thomas (qui nondũ cœlesti Spiritu hausto, hanc philosophiã non satis percipiebat, sed de aliquo corporeo loco atq. itinere Dominũ loqui existimabat) *Domine*, inquit, *nescimus quò vadis, & quomodo possumus viam scire?* Quia enim Dominus paulo antè Petro dixerat: Quò ego vado, non potes me sequi modò, sequêris autem postea: discipuli nihil his Domini verbis nisi corporeum locum intelligebant; ideoque Thomas suo & illorum nomine rogat: *Domine, nescimus quò vadis, & quomodo possumus viam scire?* Equidẽ in tota hac sacra lectione ita mihi se cũ discipulis gessisse Dominus atq. cùm Samaritana videtur. Cùm enim is de spiritualis aquæ dignitate atq. natura, hoc est, de diuini Spiritus gratia philosopharetur, carnalis mulier, quæ nihil spirituale nouerat, de materiali aqua illum semper loqui arbitrabatur. Sic ergo cùm in hac sacra lectione Dominus de trãsitu per mortem suam ad Patrem loqueretur (quo nobis iter in cælum aperiebat) rudes adhuc discipuli, nihil horum assequentes, sola corporea loca & itinera cogitabant. Qua in re diuinæ sapientiæ dignatio mirabiliter elucet, quæ ita se ad ima nostra demisit, vt cùm rudibus discipulis, qui vix eius mentem assequebantur, adeò blandè atq. familiariter loqueretur: quod certè nemo sapientum huius seculi facere voluisset. Perstat igitur Dominus in philosophia sua, Thomamque, de corporeo itinere & via interrogantem, ad spiritualem sensum reuocat, dicens: *Ego sum via, veritas & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Faxit autẽ idem Dominus, qui hæc aurea verba sanctissimo ore suo protulit, vt illorum nobis hodie sensum aperire dignetur. Video enim his pauculis verbis totius Euangelicæ philosophiæ summam contineri. Itaq. cùm Thomas & de via, & de viæ termino interrogaret, Dominus vtrumque docet, cùm seipsum illi ostẽdit, qui simul & via, & viæ terminus est. Quia enim in ipso duplicem naturam confitemur & adoramus, humanam scilicet ac diui-

Ioan. 13.

ac diuinam; per illam quidem via, per hanc autem viæ terminus est. Terminus quippe humanorum desideriorum est, primam illam veritatem agnoscere, quæ omnium in se complectitur scientiam & veritatem; & ad sempiternam illam vitam peruenire, quæ mortis & morborum nescia, omnem in se vitæ iucunditatem continet. Cùm enim huc peruenerit homo, nequaquam vltrà progredietur: quia nihil erit quod ampliùs desiderare queat. Rectè ergo Saluator vtrumque in se vno demonstrat, cùm ait: *Ego sum via, veritas, & vita.* Quod (quemadmodum diuus Augustinus ait) perinde est, atque si cum homine agens diceret: Quà vis ire? *Ego sum via.* Quò vis ire? *Ego sum veritas.* Vbi vis permanere? *Ego sum vita.* Iraque (vt diuus Hylarius ait) nequaquam in erratica ducit ille, qui est via; nec illudit per falsa, qui est veritas; neque in mortis relinquit errore, qui est vita. Hac ratione Saluator omnibus omnia factus est. Sic enim quidam hunc locum interpretantur: Ego sum via incipientium, veritas proficientium, vita perfectorum. Ego sum via ducens: Ducam, inquit, te per semitas æquitatis. Veritas lucens: Vobis, inquit, timentibus Deum, orietur Sol iustitiæ. Vita pascens: ingredientur enim oues & egredientur, & pascua inuenient. Ego sum via vitæ, veritas doctrinæ, vita salutis æternæ: Ego sum via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio.

Auguſt.

Hilar.

Sed nunc, viæ termino pretermisso, de via disseramus, de qua Dominus adiecit: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me:* quia videlicet ego sum via qua ad Patrem peruenitur. Hoc in loco diligenter inquirendum nobis est, qua ratione Christus Dominus via ad Patrem esse dicatur. Necesse est enim, vt qui ad vitã tendimus, viam, qua ad illã peruenitur, probè teneamus. Rectè enim dicitur, Melius esse per viam claudis etiã pedibus ingredi, quàm extra viam celeriter currere. Quo enim quisque celeriùs extra viam currit, hoc magis à via deerrat atque declinat. Ideoq. Propheta solicitè hanc rectam viam quærendam esse monet, cùm ait: State super vias, & interrogate quæ sit via bona, & ambulate in ea. Quod eo diligentiùs curandũ est, quo occultiora in hac via nobis ab antiquo hoste offendicula tenduntur. Qua de re Propheta queritur cùm ait: In via hac qua ambulabã, abscõderunt superbi laqueum mihi. Ne igitur in re tanti momenti fallamur, sciendũ est, diuinã sapientiam, quæ homini diaboli inuidia lapso opem ferre decreuit, cùm multis hoc rationibus efficere potuisset, hanc commodissimã iudicasse; vt, quia vnius hominis superbia & inobedientia exitium attulerat mundo, summa vnius Dei & hominis humilitas & obedientia (quæ vsque ad mortem crucis progressa est) salutem conferret mundo.

Ierem. 6.

Psal. 141.

Hæc

Hæc autem tanta vnigeniti Filij Dei humilitas & obediētia vſque adeò æterno Patri grata fuit, vt furorē omnem & indignationem quam aduerſus præuaricatorem hominem, eiuſq. progeniem conceperat, penitus remitteret; & iram in lenitatem ita cōmutaret, vt ex inimicis amicos, & ex iræ filiis adoptionis filios efficeret; & quos à terreſtri paradiſo expulerat, ad cęleſtis regni ſedes euocaret. Atque vt omnes nouum hunc hominem ſalutis noſtræ auctorem, & libertatis vindicem agnoſcerēt, & ſalutem ſuam illi acceptam ferrent, hoc etiam decreuit, vt ſalutis & iuſtificationis noſtræ beneficium à fide in ſanguine eius ſumeret initium; quo profiteremur, nos quidē non operū noſtrorum merito, ſed propter illius gratiā, & ſacrificij meritum, gratis iuſtificari. Vnde Apoſtolus, Iuſtificati, inquit, gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt à Chriſto Ieſu; quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine illius. Fidem autem primo loco Apoſtolus poſuit: partim vt Chriſti ſanguinem (quo à peccatorum ſordibus abluti ſumus) debito honore afficeret: partim quia fides in Chriſtum, prima radix & origo eſt noſtræ iuſtificationis. Ex eius quippe lumine atq. magiſterio (niſi noſtro vitio, & arbitrij libertate impediatur) cętera omnia, quæ ad iuſtificationē ſunt neceſſaria, oriuntur. Dum enim ea nos docet, Chriſtum ſeipſum pro ſceleribus noſtris expiandis in ſacrificium obtuliſſe, nóſque pretioſo ſanguinis ſui cruore lauiſſe, & à diaboli captiuitate redemiſſe, atq. omnium meritorum & laborum ſuorum participes effeciſſe; pios omnes motus, qui ad iuſtificationem requiruntur, animis noſtris ingenerat, niſi nos peruicacia & prauitate noſtra rebelles huic diuino lumini ſimus. Quæ cùm ita ſint, quis talibus virtutum meritis fultus, ſpem ſalutis abijciat? quis talem redemptorem atque propitiatorem non flagrantiſſima charitate diligat? quis ſcelera ſua, quibus immenſam illius Maieſtatem toties violauit, non amariſſimè defleat? quis ea firmiſſimo atque conſtanti animo vitare cum vitæ etiā periculo non ſtudeat? His igitur (vt ita dixerim) condimentis, quæ fides non impedita ſecū affert, iuſtificationis gratiam fidelis homo cōſequitur; qua ex iræ filio, Dei amicus & filius, & regni eius hæres inſtituitur. Fides igitur non ſola (ne quis veſtrûm de ſola ſibi informi fide blandiatur) ſed his virtutibus adiuta, iuſtitiam & ſalutem parit. Vt enim ſunt inter cibos aliqui per ſe quidem vtiles, qui certis tamen condimentis apparandi ſunt, vt grati & ſuaues edentibus fiant: ita fides, vel informis etiam, inter Dei dona numeratur, quæ tamen ſpei, charitatis, & pœnitentiæ virtutibus, ceu condimentis quibuſdam, perficienda, & veluti condienda eſt, vt & nobis ſalutaris, & Deo gratiſſima fiat.

Rom. 3.

Simile.

His

I.

His ita constitutis, facilè quisque vestrûm intelliget, fratres, qua ratione Christus Dominus via esse dicatur. Hæc enim fides, quã descripsimus, aditus est, quo per iustitiã ad Patris ęterni gratiam & gloriam peruenimus. Quod quidẽ Christus Dñs non dissimili metaphora significauit, cùm dixit: Ego sum ostiũ: per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Neque verò hac de causa solùm, quæ præcipua est, Christus Dñs via esse dicitur, sed multis etiam aliis. Primùm enim via dicitur ad Patrem; quia ipse nobis Patris sui cognitionem præbuit, sicut ipse ait: Pater, manifestaui nomen tuum hominibus. Hoc autem fecit, cùm immensas paternæ bonitatis, charitatis, misericordiæ, atq. iustitiæ opes, parùm antea mundo cognitas, summo incarnationis & passionis suæ beneficio mortalibus cõspiciendas, & veluti manibus contrectãdas præbuit. Deinde via est, quia Patris leges & pręcepta, quibus itur in cælum, planissimè nobis exposuit. Quo nomine illum Prophetæ Doctorem iustitiæ, atq. Præceptorem, nuncupant: sic enim Esaias ait: Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient vocem post tergum monentis: Hæc est via; ambulate in ea, & non declinetis neq. ad dexteram, neque ad sinistram. Nec modò verbis, sed multo magis clarissimarum virtutum exemplis nos hãc viam docuit. Recens quippe natus dum in stabulo ponitur, in præsepio reclinatur, & octauo die circumciditur, & Herodianas insidias patitur, ac postremò dum se in passione omnibus telis & iniuriis atrocissimorum hostium obtulit; altissimæ humilitatis, flagrantissimæ charitatis, perfectissimæ patientiæ, & plenissimæ obedientiæ, cæterarumque virtutum omnium locupletissima exempla nobis ad imitandum proposuit, quibus planissimam nobis in cælum viam muniuit. Itaque qui tanquam doctor iustitiæ à tergo viam salutis demonstrabat, modò tanquã dux in cælum, & gregis Dominici pastor ante oues suas vadit, & virtutũ suarum exemplis, qua illum sequantur, ostendit. Ad hæc, via quoque in cælũ est, cùm nouę legis Sacramenta instituit, quibus nõ modò natura ægra sanatur, sed magna etiã virtute roboratur, vt inoffenso pede, & infatigabili virtute hac via incedat, nec vllis hostis antiqui machinis ab ea declinare cogatur. Hac enim de causa Esaias in aduẽtu Domini, praua, hoc est, obliqua, in recta; & aspera in vias planas cõmutanda esse prædixit: quoniam virtus gratiæ, quæ per Sacramenta cõfertur, planam nobis atq. expeditam in cælum viã munit. His igitur rationibus Christus Dominus via in cælum esse dicitur: quoniam humanæ salutis amator non vna ratione solùm, sed his omnibus nobis ad sempiternam

Ioan. 10.

Ioan. 15.

Esaię 30.

Ibidem.

Esaię 40.

piternam felicitatem, in qua bonorum omnium summa constituta, est, manum porrigit, & opitulatur.

Gen. 28 Quo quidem nomine appositissimè per scalam quam Iacob in somnis vidit (quæ terræ innixa, multis gradibus cęlũ, in quo Deus erat, attingebat) adumbratus fuit. Quia enim sanctus ille Patriarcha, percepta Patris benedictione, diuinæ promissionis hæres effectus erat, quæ mundi Saluatorem, in quo gentes omnes essent benedicendæ, ex eius stirpe propagandũ promiserat; voluit Dominus hac imagine, qualis Saluator ille futurus esset, ostendere. Reuera enim ille vt via regia, & ostium ouium; ita scala est, per quam à terra ad cælum, imò ad ipsum vsq. Deum scalæ innixum ascendimus. Diuersi autem huius scalæ gradus omnia hæc adiumenta quæ suprà memorauimus (quibus nos Christus Dominus ad hoc iter conficiendum adiuuat) rectissimè intelliguntur. Meritò autem tum scalæ, tum viæ nomine designatur. Habet enim vtraq. initium atq. terminum: & initium quidem in nobis, terminus verò ad quẽ tendimus, in Deo est. Vtrumq. autem Christo Domino aptissimè conuenit: quia cùm verus homo sit, initium est huius viæ; quia verò Deus & summum bonum, eiusdem viæ terminus existit. Hinc diuus Augustinus, Ambula, inquit, per hominem, & peruenies ad Deum. Nulli igitur commodiùs viæ & scalæ nomen, quàm Deo & homini, conuenire potuit.

II.

Hæc autem tria nomina, fratres, quæ metaphoricè Christo Domino tribuuntur (quibus illum viam, ostium, & scalam appellamus) plurimùm nobis ad pleniorem eius cognitionẽ conferunt: pleniùs tamen hoc pręstabit proprij eius nominis interpretatio, quæ à nobis hoc in loco excutienda est. Quem autem fructum hæc cognitio pariat, idẽ Dominus ad Patrem loquens declarat his verbis: Hęc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Hæc autem cognitio, quæ bipartita esse videtur, simplex est. Cognito enim Filio, qui est eiusdem cum Patre substantiæ, protinus & Pater ipse cognoscitur. Vnde in pręsenti lectione Saluator ad Philippum ait: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* Qua ex re liquet, in perfecta Filij cognitione vitam æternam consistere, quando in ea Pater etiam cognoscitur, si tamen ea cognitio sit quam Ioannes definiuit, cùm dixit: Qui non diligit, non nouit Deum. Vt igitur hoc modo Christum Dominum cognoscamus, eius ego vobis imaginem & veluti ideam quandam ponere ante oculos volo, quę vobis totum Christi mysterium & officium vnico velut intuitu repræsentet, vt scire liceat, quibus illum oculis aspicere debeatis.

Ioan. 17.

1. Ioan. 4.

Hoc

Hoc autem (vt dixi) proprij eius nominis interpretatio efficiet. Ea quippe nomina, quæ prudenti consilio rebus imponuntur, ad earum naturam cognoscendam lucis plurimũ afferunt. Vnde nomina, quæ primus ille homo ante lapsum cunctis animantibus imposuit, eorundem naturam maximè declarabant: hoc enim illa Genesis verba insinuant: Omne quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomē eius. Nomen videlicet, quod eius rei, cui inditum est, naturam ingeniumq́ue declarat. At proprium Iesu nomen summo diuinæ sapientiæ cõsilio Angelo nunciante illi impositum fuit. Iesus autē Saluatorem sonat. Saluatoris autem appellatio nõ tam dignitatis quàm officij nomen est: qualia sunt ea nomina quę ad aliqua officia siue artes exercendas hominibus imposita sunt; vt pictoris, scriptoris, & sculptoris, & his similia. Quemadmodum igitur artifices isti, qui victum sibi his officiis exercendis parant, continenter illis incumbunt (totos enim se his operibus destinarunt) ita Christus Dominus, qui Saluatoris nomen & officium sortitus est, se quoque totum atque omnem vitam suam ad salutem hominum destinauit: quos omni ratione ad hoc iuuare nunquam in vita destitit. Hoc enim (vt paulo antè diximus) præstitit & meritis & doctrinis, & clarissimis virtutum suarum exemplis, & sacramentorum, quæ salutem nostrã continent, medicamentis; ac præcipuè acerbissimis illis, quos pro nobis in passione sua pertulit, doloribus: quando per illos non modò peccatorum nostrorum debita dissoluit, sed carbones etiam ignis supra caput nostrum congessit, quibus charitas in illum nostra magis accenderetur. Nec in passione solùm, sed post passionē etiam à mortuis resurgens, hanc eandem solicitudinem & curã ostendit. Eo enim ipso die quo fuit à mortuis excitatus, primùm quidem (vt Euangelistæ tradũt) Mariæ Magdalenæ apparuit; deinde piis in via mulieribus, quæ pedes eius tenuerũt; tum Simoni Petro, qui negationis suæ crimē amarè fleuerat; exinde duobus discipulis in Emmaus pergētibus; ac postremò Apostolis omnibus, absente Thoma, in vnũ cõgregatis. Quis igitur in hac Domini solicitudine, qua huc ac illuc circũcursans, dispersas oues requirebat, easq́. in fide resurrectionis cõfirmare volebat, non apertè diligentissimi pastoris, & clementissimi Saluatoris officiũ agnoscat? Nec solùm eo tēpore quo inter homines versatus est, verùm etiã posteaquam mundum reliquit, & ad Patris dexteram seder, hoc idem officium nũquam intermittit, sicut ipse in præsenti Euãgelio testatur, cùm ait: *Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horũ faciet: quia ego ad Patrem vado: & quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam:* hoc est, ego causam vestram apud Patrem agam, & quod in

Genes. 2.

Simile.

nomine

nomine meo petieritis,impetrabo. Quo quidẽ officio se ad finem vsq. mundi vsurum, Apostolis pollicitus est. Ab illis quippe discedens,hoc summum eis solatium reliquit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq. ad consummationem seculi. Nobiscum autem esse,est, nobis omni tempore adesse, nobis omni ratione prodesse,quæ nostra sunt curare,& pro salute nostra apud Patrem intercedere.Tunc autẽ (vt Paulus ait) huius officij finis erit,cùm tradiderit regnũ Deo Patri. hoc est, Cùm salutis humanæ constituendæ officium sibi à cęlesti Patre delegatum plenissimè absoluerit, tunc electorum omniũ regnum, operâ suâ partum & amplificatum,eidem Patri tradet. His ergo rationibus,fratres, Iesus noster Saluatoris officium,nascẽs, viuens,moriens,à mortuis resurgens,in cęlum ascendens,& ad Patris dexteram sedens perpetuò exercet.

Mat 28.

2.Cor.15

Sed cùm inter Saluatoris huius officium, & artificum illorũ quos suprà memorauimus, multa sunt discrimina; hoc vel maximum est,quòd illi operam tantùm suam,& diurnum nocturnúmve laborem artibus suis exercendis impendunt; at Iesus noster non operâ tantùm & studio,sed sanguine etiam,& acerbissima nece, immanissimisque sanctissimi corporis sui cruciatibus salutem nostram operatus est. Quod quidem beneficium tantum est, vt plus illi propter salutis nostræ (vt ita dixerim) expensas, quàm propter salutem nobis traditam, debeamus. Salutem enim dare,diuinæ bonitatis opus est;tormenta autem perferre,à diuinæ naturæ conditione alienissimum est.

Est & aliud non minùs obseruandum discrimen. Artifices namq.illi victus parandi gratia, (sine quo vitam tueri non possunt) operibus suis instant:at Iesus noster nullum ex tot laboribus (quod ad gratiæ & beatitudinis incrementum pertinet) fructum aut emolumentum retulit, cùm eius neq.gratiæ, neq. beatitudini accesio vlla fieri posset. Quid igitur, inquies,illum ad hanc tam arduam, totq. laboribus plenam prouinciam impulit? Ad hoc respondemus, duos in Christo Domino grauissimos aculeos,qui illum ad tantum opus vrgerent,extitisse;quorum alter humanam, alter diuinam eius naturam attingit. Vt homo enim,commissum sibi à Patre Saluatoris officium tanto studio atq. diligentia prosecutus est, quanta eius erga Patrem charitas & obedientia,& paternæ gloriæ desideriũ extitit. Hoc autem quale quantumq.sit, nulla neque hominum, neque Angelorum mens pro dignitate,non dico verbis consequi, sed ne cogitatione quidem comprehendere poterit. Quatenus verò Deus est,immẽsæ bonitatis suæ stimulis ad hoc ipsum opus vehementissimè incitatur. In omnibus quippe diuinis operibus nõ aliam maiorem causam, quàm immensam eius bonitatem, requi-

Dissimil.

requirere debemus. Bonitate sua (vt Plato quoq. dixit) mũdum condidit, bonitate alit, moderatur, atq. gubernat; bonitate bona omnia, imò valde bona fecit, bonitate peccata nostra, & iniurias numini suo illatas, patienter tolerat, & in eos beneficia confert, quorũ sacrilego sæpe ore, & impiis factis violatur: ac postremò (quod omnia superat) & bonitate mundum per passionẽ suam redemit, & perpetuam eorum, quos redemit, curam gerit. Non igitur aliam huius tantæ benigniatis & officij causam indagemus. Vt enim à niue frigus, ab igne calor, à sole lumen oritur: ita, ac multo etiam magis, à perenni illo bonitatis fonte omnia bonitatis opera & officia manant. Neque enim bonitas in illo, vt in rebus ab eo conditis qualitas & accidens, sed eadẽ ipsa bonitatis essentia atq. substantia est. Quo fit, vt inter externa diuinitatis opera, nullum magis naturale, magisq. illius proprium sit, quàm sese in omnia diffundere, de omnibus benè mereri, omnia ad similitudinem suam, pro cuiusq. naturæ captu, trahere, & ad bonitatis suæ communionẽ prouehere. Hæc igitur immensa bonitas facit, vt Christus Dominus Saluatoris officium nunquam intermittat, quo nos immensæ bonitatis suæ participes efficiat. Illa ergo bonitas, quæ illum impulit vt nos gratuitò conderet, impulit etiam vt gratuitò redimeret: & quæ fecit vt in nos conferret bona naturæ, fecit vt conferret etiam bona gratiæ: & quæ fecit vt ex nihilo aliquid essemus, fecit vt à peccato ad gratiam surgeremus. Non igitur aliam huius tanti beneficij causam, quàm eius bonitatem requiramus.

Plato.

Simile.

In quo quidẽ beneficia quatuor inuenire licet adeò singularia, vt nulla accessione fieri maiora possint. Si enim, quid nobis Saluator opera sua contulerit, inspicias; vitam æternã, & diuinæ beatitudinis participationem esse deprehendes: quę summa hominis felicitas est. Si verò beneficij pretium, & veluti expensas attendas, sanguis & vita Filij Dei est: qua vita quid esse maius, quid sublimius potest? Si autem huius tantæ donationis causam expendas, Apostolus tibi respondet: Non ex operibus iustitiæ quæ facimus nos, sed secundùm misericordiam suam, hoc est; per viscera misericordiæ suæ saluos nos fecit. Neq. enim illum de cælo ad terram merita nostra, sed peccata traxerũt. Si verò donantis & morientis dignitatem consideres; is vtiq. vnicus Dei Filius, candor lucis æternæ, & splẽdor est paternæ gloriæ, quo nihil cogitari maius potest. Quisquis igitur Christi imaginem, & veluti ideam quandam (vt antè diximus) animo comprehensam tenere cupit, has quatuor summi huius beneficij circumstantias cum animo suo piè & religiosè cogitet, vt sciat, quibus Saluatorem suum oculis aspicere, & quo erga illum amoris igne accendi debeat.

Tit. 3.

1\. Quid igitur ex his conficitur? Primùm quidem, vt intelligamus quantũ nos Saluator diligat, quantoq́. salutis nostræ desiderio flagret, qui tot rationibus, tantoq́. suo incommodo nos ad hanc salutem parandam adiuuat. Quasi enim ipse felix esse non posset, nisi nos felicitatis suæ consortes efficeret, ita nos ad hanc felicitatem parãdam modis omnibus adiuuat. Deinde ex hoc etiam apparet, qua dilectione, quo affectu, quo mẽtis ardore hunc salutis nostræ auctorem, præceptorem, vitæ ducẽ, animarum medicum, & apud Patrem aduocatum obseruare, colere, venerari atq. diligere debeamus; qui tot rationibus charitatis erga nos suæ magnitudinem ostendit, vt nostram erga se vehementiùs excitaret. Hanc enim præcipuam tot beneficiorum causam extitisse, Esaias testatus est; qui vbi hęc adeò magnifica Domini beneficia enumerasset, eorundem causam subiecit, dicens: Zelus Domini exercituum faciet hoc. Zeli autem nomine Vates sanctus diuini erga nos amoris magnitudinem, & (vt ita dixerim) impatientiam designauit, quæ nequaquam amoris erga se nostri consortem ex æquo patitur. Totum enim amorem ab eo exigit, propter cuius gratiam se totum impendit. Quæ illi causa extitit, vt neq. alicui summorum Angelorum, aut etiam sanctorum hominum, redemptionis humanæ officium committeret; ne amor noster inter conditorem Deum, & redemptorem hominẽ vel Angelum diuideretur, sed totus in vno eo collocaretur. Quod cùm ita sit, quanta, quæso, illorum cæcitas atque dementia est, qui amorem suum in res adeò infra Dei atque Angelorum dignitatem positas, collocare non verentur! Quæ enim maior dementia est, quàm amorem nostrum ad res inanissimas atque vilissimas abijcere, quem summus ille rerum omnium Dominus, iustissimusq́ue rerum æstimator tanti fecerit, vt non dubitauerit vitæ suæ pretio, & acerbissimis cruciatibus illum emere, & ad se trahere? Quisquis autẽ hoc cum animo suo attentiùs reputauerit, & quibus in rebus seculi homines amorẽ suum collocent, expenderit, non poterit eos aut insignis stultitiæ, aut singularis improbitatis non accusare. Si enim hoc diuinæ charitatis argumento amoris sui dignitatem æstimare nesciũt, amantissimi sunt: si verò sciunt, & nihilominus illum, Deo neglecto, in res vanissimas conferunt, improbissimi existunt. Quam tamen philosophiam vsque adeò perditi homines non assequuntur, vt de Deo etiam querãtur, quòd omnem nostrum amorem sibi vni vindicet: cùm tamen hoc illos magis ad eius amorem excitare debuisset, cùm hoc maximũ diuinæ erga se dilectionis argumentum sit. Quod planè quisque experimento suo doctus intelligere facilè poterit, qui, quo magis aliquem diligit, eo vehementiùs erga se alterius amorem flagitat, &

Esaiæ 37.

tat, & molestiùs hoc sibi negari sustinet.

II. Neq. verò hæc eadem philosophia minùs ad spem in Christum quàm ad eius nos amorem excitat. Neq. enim parua dona ab eo sperare debemus, qui cùm multum possit, multũ etiam diligit; cùm amicorum omnia sint cõmunia. Quis igitur, cùm Christum orat, non magnam impetrandi fiduciam concipiat; quando illi & paternæ obedientiæ exequendæ, & immensæ bonitatis suæ exercendæ occasionem exhibet? Si enim artifices ij quorum paulo antè mentionem fecimus, gaudent cùm exercendi officij sui materiam illis præbemus: quanto ergo magis Seruator noster gaudeat, cùm nos, fusis ad eum pro tuenda salute precibus, exercendi officij sui occasionem damus?

III. Tum illud etiam sequitur, vt hoc exemplo intelligamus, quo studio atque diligentia salutis nostræ opus curare debeamus; quando propter illã vnicus Dei Filius (cuius felicitati nihil aut salute nostra accedere, aut interitu decedere poterat) tantopere laborauit, tam multa sustinuit, tã multa molitus est. Indignissimum quippe est, vt minùs nos salus nostra quàm ipsum aliena moueat: indignissimum, vt pro nobis nos negligamus. quod ille non pro se, sed pro nobis tanto studio atque labore curauit. Iam igitur ex hoc loco digressi, ad sequentia veniamus.

III.

Addit deinde Dominus, *Si cognouissetis me, & Patrem meũ vtique cognouissetis; & amodò cognoscetis eum, & vidistis eum.* Hac oratione Dominus, quod paulo antè dixerat, nempe se viã esse ad Patrem, neminemq. ad Patrem, nisi per ipsum, venire, confirmat planè, cùm subdit: *Si me cognouissetis, & Patrem meum vtique cognouissetis*; & sic intelligitis, quonam modo ego via sim ad Patrem agnoscendum, quando, me cognito, cognoscitur etiã Pater. Hoc autem ita esse, clarissima illa duo Seruatoris nomina probãt. Is nãq. (vt Apostolus ait) imago Dei inuisibilis, idemq. Verbum Patris est. (Coloss. 1.) Nihil autem rectiùs alicuius rei cognitionem, quàm eius imago præbet; neque quidquam aliud latentem animi nostri sensum commodiùs quàm verbum indicat. Sunt enim (vt Aristoteles ait) ea quæ sunt in voce, earum quæ sunt in anima passionũ notæ. Cùm ergo Dei Filius perfectissima Dei Patris imago sit (vtpote qui eiusdem sit cũ Patre substantiæ) idemq. eius Verbum, quo Pater æternus se totum explicauit; efficitur planè quod Saluator ait: *Si me cognouissetis, & Patrem meum vtique cognouissetis.* Sed bono animo estote, *amodò enim agnoscetis me.* Cùm videlicet Spiritus sanctus mentes vestras cælesti sapientia imbuat, plenissimamque diuinitatis cognitionem præbeat. *Et vidistis eum.* Quia videlicet cùm me vidistis, illum in me videre potuistis.

Ad hæc Philippus, *Domine*, inquit, *ostẽde nobis Patrem, & sufficit nobis.* Simili ignoratione ac tarditate Philippus, qua Thomas, nihil nisi corporeum, corporeisq́. oculis videndum, cogitabat. Hoc enim perinde est ac si diceret: Te quidem magister ac Domine Christe Fili Dei viui, te, inquã, iam vidimus & agnouimus; dileximus, & confessi sumus, & beatos esse fatemur oculos nostros, quia te videre potuerunt; iam nihil superest, nisi vt Patrem ostendas. Nam de te sufficit nobis. Hac ergo petitione Philippus ignorantiam suam facilè demonstrat, qui inuisibilem Patrem eadem specie, qua Filium, videri posse arbitrabatur. Quare eius tarditatem Dominus corripit his verbis: *Tanto tẽpore vobiscũ sum, & nõ cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrẽ. Quomodo tu dicis, ostẽde nobis Patrẽ? Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Verba quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor. Pater autẽ in me manẽs, ipse facit opera.* His quidẽ verbis Dominus se esse eiusdem cùm Patre substantiæ, aduersus sacrilegam Arrij impietatem, apertissimè declarat. Deinde discipulos docet, eam cognitionem quæ de Patre haberi in hac vita solet, (quando nequaquam illum per speciem, sed per eius opera cognoscimus) iam dudum illos habuisse, cùm Filij opera vidissent. Itaq. ait; *Verba quæ ego loquor vobis, à me ipso nõ loquor. Pater autẽ in me manens ipse facit opera.* Quod perinde est, ac si diceret: Tanta inter me & Patrem meum vnitas est, vt verba quæ ego loquor, ipsius quoque verba sint, & insignia miraculorum opera quæ ego facio, ipse in me, & per me exequatur. Quocirca si me ex verbis & operibus meis iam pridem cognouistis, & Patrem meum vtique cognouistis, cùm hæc ipsa verba quæ audistis, & opera quæ vidistis, non minùs Patris quàm mea sint. *Ideoque qui videt me, videt & Patrem.*

Hic autem locus singularem quandam, maximeque notandam philosophiam continet. Ex his namq. Domini verbis illud etiam sequitur: quòd si cælestis Pater humana carne indutus in mundum venisset, sic in omni vita atque Christus Dominus se gessisset; eodemq́. modo & stabulum, & præsepe humile ad natiuitatis locum delegisset; sic Herodis insidias fuga in Aegyptum euasisset; sic ad Ioannis baptisma cũ publicanis & peccatoribus abluẽdus venisset. Si de adultera muliere iudicium ab eo quæreretur, eadem lenitate & clementia respõdisset. Si Samaritani aut dæmoniaci conuiciis petitus fuisset, eadem mansuetudine has insignes contumelias pertulisset. Si discipulos de primatu cõtendentes animaduertisset, eodem humilitatis exemplo inanem illam ambitionem corripuisset, eorum se pedibus submittens; eosq́. diuinis manibus suis abluens atque detergens. Quid plura? Eadẽ etiã charitate, humilitate, propter generis humani salutem

ſalutem conſtituendam,ſe hoſtibus vinciēdum, conſpuendum, flagellandum,atq.in crucem agendū traderet,& pro ipſis carnificibus ſimili charitate preces funderet. Quiſquis igitur ex nobis,fratres,ex Chriſti Domini operibus ſe illū iam cognoſcere arbitratur,& eius Patrem cum Philippo oſtendi ſibi deſiderat, non aliam de eo imaginē & ideam atq. de vnigenito Filio eius in animo ſuo effingat. Quod ideò dixi,ne quis humano errore deluſus, ſęuiorem Patrem quàm Filium exiſtimet;cùm eadem in vtroq.lenitas,eadem pietas & miſericordia ſit. Vnde quemadmodum vterq.Ioannes Chriſtum Agni nomine deſignat, vt miram eius lenitatem,innocentiā & manſuetudinem declaret; ita quoq.Patrem appellaſſet, ſi is humanam carnem induiſſet. Hæc autem conſideratio ſpem noſtram in Deum Patrem mirè roborat & alit,noſtramq. erga illum dilectionem vehementer accendit,dum omnia quæ nos ad eius vnicū Filium, eundemq. ſalutis noſtræ auctorē,amandū excitāt, in Patre etiam eſſe cōſideramus.In quibus enim eſt vna eademq. natura, eadē quoq. opera , eandemq.charitatem,lenitatē & miſericordiā eſſe cōſitendum eſt.Quod quidem Saluator ipſe intelligere nos voluit, cùm ad Philippum dixit: *Philippe, qui videt me , videt & Patrem.*

Atq,vt rei huius fidem faceret,indiſſolubile argumentum ex diuinis operibus atq.miraculis attulit: *Alioqui* (ait) *propter opera ipſa credite*:quæ cùm ſolius Dei opera ſint , Deum habes huius fidei auctorē ac teſtem,qui,vt naturam vniuerſam omnipotēti virtute condidit,ita eandē pro arbitratu ſuo variè verſat ac voluit.Cuius tanta potētia eſt,vt(quod eſt longè mirabilius) eandem facultatem in ſe credentibus conferat.Itaque ait : *Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, opera quæ ego facio,& ipſe faciet,& maiora horum faciet.*Huius autem ſentētiæ veritatē Petrus Apoſtolus oſtendit,qui ſola corporis vmbra omnia morborū genera depellebat;quod deDomino Saluatore nō legimus.Idemq.vno ſermone,hominū quinq.millia ad Chriſti fidem traduxit, eoſq. ſic inſtituit,vt,rebus omnibus diſtractis, earū pretium Apoſtolorum pedibus ſubſternerent,cùm hoc tamen Chriſtus Dominus diuiti adoleſcenti non perſuaſerit. Quòd ſi dixeris , mundi creationem ſolius Dei opus eſſe, nec Apoſtolis cōuenire;maius tamen aliquid eis collatū eſt,videlicet peccata remittere,& Spiritus ſancti gratiam (qua homines iuſtificantur) manuum impoſitione conferre. Hoc autē excellentius opus eſſe,illud argumento eſt,quòd cælum & terra inter res corporeas numerātur, cùm tamen impij iuſtificatio inter ſpiritualia opera cōputetur, ad quæ corporea cuncta referuntur. Sed incidit tamen hîc ex D.Tho.dubitatio,quòd cęli nomine,cęleſtes etiā virtutes, hoc eſt,Angeli intelligūtur,qui ab omni corporea mole ſecreti ſunt.

Actor. 5.

Actor. 4.

D.Tho.

 Num

Num ergo maiora facit qui cooperatur Christo ad impij iustificationẽ, quàm qui Angelos creat? Hanc planè dubitationem D. Aug. dissoluere non est ausus, itaque ait: Iudicet qui potest, vtrum maius sit, iustos creare Angelos, quàm impios homines iustificare. Certè si æqualis est vtrumque potentiæ, hoc maioris est misericordiæ. Quo argumento, quicumque se à peccato ad iustitiam, probabili saltem coniectura, vocatos arbitrantur, intelligere poterunt, quantum huius tantæ salutis auctori debeāt, qui nihil minus fecit, cùm eos à peccato ad gratiam transtulit, quàm cùm cælum & terram condidit.

Auguſt.

Sed cur humanæ infirmitati hæc tanta virtus atque potentia conferenda sit, subdit Saluator causam, cùm ait: *Quia ego ad Patrem vado. Et quodcunque petieritis Patrem in nominẽ meo, hoc faciam.* Hæc est igitur gratiarum atq. bonorũ omnium, quæ in nos conferũtur, causa, quòd aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum, qui sacratissimæ humanitatis suæ atq. vulnerum ostensione semper pro nobis aduocat; cuius meritis & interpellatione hæc tanta cælestium donorum inundatio in nos dimanat. Itaque sicut monachorum ordines Cardinalem aliquem in Romana curia protectorem habẽt, qui eorum causam apud Pontificem Maximum agit: ita cælestis Pater vnicum Filium suum hominibus in protectorem dedit, vt salutis humanæ solicitam perpetuò curam gerat. Inde adeò fit, vt preces, quas in eius nomine ad Patrem fundimus, ipse illas fauore suo prosequatur; quemamodum is hoc in loco pollicetur, cùm ait: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Hoc est, Ego, quod petieritis, à Patre meo impetrabo.

1. Ioan. 2.

Simile.

Hæc autem certissima impetrandi spes in causa fuit, vt Apostoli etiam, qui & in gratia cõfirmati erant, & plenitudinẽ Spiritus acceperant, orandi officium nunquam intermitterent, vt maiora adhuc gratiæ incrementa perciperent. Cuius rei gratia alendorum pauperum ac viduarum curam à se repulerũt, & selectissimis hominibus demandarunt, ne ipsi vnquam ab orandi & docendi officio feriarentur. Non est, inquiunt, æquũ nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Cõsiderate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonij septẽ, plenos Spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos verò orationi & ministerio verbi instātes erimus. In quo quidẽ officio D. Iacobus (cui[9] hodie festũ celebramus) assiduus erat. Nec hac solùm orandi virtute, sed multis aliis plurimùm commendatur. De eo enim Egesippus, vicinus Apostolorum tẽporibus, hæc scribit: Iacobus hic ex vtero matris suæ sanctus fuit: vino nunquam vsus est, neq. vlla alia potione quę ebrios reddit, nec animalium carnibus vnquam vesci voluit: ferro & nouacula

Actor. 6.

Egeſip.

nunquam

nunquam rasum est caput eius, oleo corpus nunquam perfudit, aut vnxit. Ei vni in templum interius (quod sancta sanctorum dicitur) ingredi licebat; neque enim laneis, sed tantùm lineis vestibus vtebatur. Solus in templum venire solitus erat, ibique diu genibus humi hærentibus, Deum, vt populo suo propitius esset, orabat, in eoq. tam diu perstitit, vt genua eius quasi callo quodam obduruerint. Itaq. ex hac opinione quam de incredibili eius abstinentia & sanctitate omnes habebant, Iusti cognomen inuenit. Quæ quidem opinio adeò celebris erat, vt Iosephus, qui à nostra disciplina abhorruit, ob indignam eius necem, causam datam fuisse Hierosolymitanæ oppugnationi, atque adeò euersioni & cladi scripserit; idque sapientissimum quemq, atque optimum iudicasse. Tantum apud homines sanctitatis eius & innocẽtiæ fama valuit. Est & alia eius magnifica laus, cuius Paulus in priori ad Corinthios Epistola meminit: ait enim, Christum, cùm excitatus esset ab inferis, Iacobo se ostendisse. Quod quemadmodum gestum sit, Hieronymus in Euangelio quod Hebræorum dicitur, quodq. ipse, vt ait, ex Hebræo in Græcum & Latinum sermonem conuertit, se reperisse memorat. Iurauerat ipse, vt Euangelium illud exponit, nunquam se cibum esse capturum ex ea hora qua cruci Christus suffixus fuerat, quoad excitatum eum à mortuis cerneret. Itaq. Christus, qui, quanto ille sui desiderio moueretur, consideraret, venit ad eum, instructaq. mensa panem ei porrexit, admonens eum vt ederet, quòd ipse ab inferis excitatus esset. Hic igitur diuinus Apostolus, posteaquam Hierosolymitanam Ecclesiam triginta annis sanctissimè rexisset, tandem propter Christi confessionem è pinna templi crudeliter præcipitatus, & pertica fullonis percussus, gloriosa morte occubuit. Philippus verò, posteaquam viginti annis in Scythia prædicasset, innumerabilemque hominum multitudinem ad Christi fidem adduxisset, ab Ebionitis crucifixus, & lapidibus obrutus est. Vtroque autem exemplo monemur, fratres, per varios labores aditum nobis in regnum cęlorum patefieri. Hac enim via Apostoli, hac Prophetæ, hac sancti Martyres, hac postremò Sanctus sanctorum processit, exemplum nobis relinquens, vt vestigiis eius insistamus, ipsumque in hac vita sequamur, si alteram consequi, in eaque diuina illius præsentia frui volumus.

1.Cor.15.

IN FESTO INVENTIONIS SANCTÆ CRVCIS, CONCIO PRIMA: IN QVA, post breuem Euágelicæ lectionis explanationem, de Dominicæ crucis beneficiis agitur: ad quod verba in themate proposita latiùs explanantur.

THEMA. *Arcum meum ponam in nubibus cæli, & erit signum fœderis inter me & inter terram.* Genes. 9.

HAEC verba locutus est ad Noë Dominus post diluuium, quorum ego mysterium in præsenti cõcione explicandum suscepi, quòd ea summum quoddam Dominicæ crucis beneficiũ (cuius hodie inuentionem celebramus) maximè declarant: priùs tamẽ quàm hoc attingam, Euangelica lectio breuiter explananda est. Vt autem hoc piè & religiósè, & pro tantarum rerum dignitate præstare valeamus, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Hodierna sancti Euangelij lectio, dilectissimi, instar dialogi cuiusdam est, inter quendam Pharisæorum principem, ac Dñm Saluatorem, in quo vtilissima quædam quæstio (cuius ad nos cognitio maximè pertinet) tractatur: nempe, quid nobis facto opus sit, quo sempiternam vitam atq. salutẽ cõsequi valeamus. Initio tamẽ disputationis princeps hic breui oratione Domini beneuolentiã captare incipit his verbis: *Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister: nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Erat hic planè princeps, quamuis Pharisæus, à Pharisæorũ vitiis, liuore scilicet, auaritia, & ambitione immunis, ideoq. piorum amator Dñs illius mentem hac luce collustrauit, vt ex clarissimis Christi miraculis fidem in eum conciperet. Quamuis enim miracula fidei veritatẽ plenissimè confirment; quia tamen fides Dei donum est, necesse est, vt cum ipsis miraculis diuini Spiritus virtus mentem hominis ad credendum excitet. Quàm multa enim miracula in Aegypto Pharao, quàm multa Iudæi à Christo Dño edita viderunt? qui & quatriduani Lazari, & ipsius etiam Domini resurrectionẽ sepulchri custodibus apertissimè illam confitentibus agnouerunt, qui tamen, his atq; innumeris aliis Domini signis inspectis, in perfidia sua obstinatis animis perstiterunt. Hinc Saluator, Si signa, inquit, in eis non fecissem quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc

Ioan. 3.

Ioan. 15.

nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Quo minùs mirandum eſt, fratres, ſi multi quotidianis concionibus audiendis nihil proficiant; quando infelices iſti nec magnificis illis Domini ſignis (quæ multo maiorem vim quàm noſtra verba habent) in fide profecerunt. Faxit autem Chriſtus, ne tales ſimili cordis obſtinatione & cæcitate laborent.

Sed ad inſtitutũ redeuntes, princeps hic à diuina gratia iam præuentus, illud à Domino quæſiſſe videtur, quod priùs quidã adoleſcẽs ab eo quæſiuit his verbis: Magiſter bone, quid faciendo vitam æternam poſſidebo? Ex Dominica quippe reſpõſione hoc illum quæſiſſe apparet; ſubdit enim Dominus: *Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei.* Quod perinde eſt ac ſi diceret: Tu quidẽ altiſſimam, maximeq́; ſalutarem Theologiam aſſequi cupis; ſcire enim deſideras, quid tibi facto opus ſit, vt ad cæleſte regnũ peruenire, cum Deo regnare, inter Angelorum choros verſari, cęleſti menſę accũbere, Angelorum pane veſci, ac poſtemò diuinæ felicitatis conſors fieri valeas. Hoc eſt planè extremum omnium expetendorum, hoc bonorũ omnium maximũ; hic vltimus humanæ vitæ finis, ad quẽ homines à Deo conditi ſunt. Quæris igitur id quod inquiſitione digniſſimũ, maximeq́; neceſſariũ eſt. Sed non perinde facile eſt quod obtinere concupiſcis. Neq; enim eſt ad aſtra mollis è terris via. Illa enim ciuitas eſt aurũ mundũ, ſimile vitro mundo, nihilq́; in ea intrat coinquinatum & immundum. Ad tãtam ergo dignitatẽ oportet vt homo ſimilis Deo fiat in vita, qui ſimilis ei fieri cupit in gloria. Hæc enim animi præparatio atq; diſpoſitio ad hanc tantam dignitatem neceſſaria eſt. Videmus enim pretioſiſſimas gemmas annulis aureis, nõ ferreis aut æneis inſculpi: ſic pretioſiſſima illa cæleſtis gloriæ gemma nequaquam ferreas & impuras, ſed aureas (vt ita dixerim) atq; ab omni terrena fęce purgatas mentes requirit. Felicitas enim & gloria Angelorum, puritatẽ quoq; in hominibus requirit Angelorum. Quid enim magis abſonũ aut præpoſterum, quàm vita pecudum, & gloria Angelorũ? hoc eſt, velle in hoc ſeculo pecudum more vitã ducere, & in futuro ſeculo Angelorũ gloria frui?

Simile.

Hoc eſt igitur quod Saluator ſignificauit, cũ ait; *Amen, amẽ dico tibi: niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei:* quod perinde eſt ac ſi diceret: Tantã mentis puritatem cæleſtis illa gloria deſiderat, tantumq́ue à communi perditorum hominum vita, pij hominis vita diſtare debet, vt non modò aliorum, ſed ſui etiam diſſimilis eſſe debeat. Aliud enim vitæ genus, alia mens, alius animus, alia deſideria, alia conſilia, alia gaudia, alia de rebus iudicia atque decreta, alia totius vitæ deſtinatio ab homine peccatis aſſueto exigitur; ac poſtremò tanta eſſe debet

eius vitæ mutatio, vt qui illum antea nouerant, dicere possint: Hic homo nequaquam ille est qui antea fuerat. Ille enim prior homo superbus, ambitiosus, libidinosus, auar⁹, prodigus, detractor, maledicus & intemperans erat: nunc cõtrà, humilis, mansuetus, placabilis, religiosus, bonorum amicus, benignus in pauperes, atque virtutum studiosus est; adeoque in alium virum mutatus, vt vix agnoscas, eundem esse. Hanc ergo tantam vitæ mutationem Dominus designauit, cùm hominem denuò oportere nasci dixit. Vsque adeò enim humana natura per commune peccatum à prima illa originis suæ puritate degenerauit, vt, nisi diuini Spiritus virtute renouetur, ad cælestis regni gloriam capessendam minimè idonea sit.

Hoc autem est quod cælestis magister significauit, cùm protinus subiecit: *Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Quo in loco cùm Dominus carnẽ à spiritu distinguat, carnis nomine significare voluit, quicquid diuino Spiritu vacuũ est. Sensus ergo est: Quod ab homine solùm est, quod Spiritu Dei destitutum est, quod carnis propagatione generatum est, nequaquam supra naturæ suæ conditionem assurgere potest. Quomodo ergo natura humana cælesti Spiritu destituta, nihilque nisi humanum in se cõtinens, ad cælestem vitam, & diuinam felicitatem assurgere valeat? necesse enim est, vt caro intra fines carnis, & humanitas intra humanitatis fines sese contineat, nec cancellos, naturæ lege circundatos, transgrediatur. Cæterùm quod ex Spiritu feliciter renatum est, quod in nouam vitam nouo spiritu animatum est, quod intra se diuinum semen & numen continet, quid mirum si ad spiritualem atque diuinam vitam aspirare possit?

Sed dicetis forsitan; Nónne intra hominẽ spiritus latet, qui vt à carnis natura alienus est, ita supra carnis naturã attolli poterit, & spiritualem homini vitam cõferre? Latet planè: verùm hic spiritus carni immersus, in carnis quodammodo naturã degenerauit. Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam: & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitãtem. Qualis autem caro nostra post peccati lapsum relicta sit, Apostolus expressit, cùm ait; Scio enim quòd non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum. Qualis igitur spiritus noster erit huic carni implicitus atq. immersus? Quod igitur huic tanto malo remediũ adhiberi poterit? Nõn aliud certè quàm quod Saluator designauit, cùm nos denuò nasci oportere dixit: hoc est, vt vetus homo moriatur, & nouus pro illo resurgat, non iam vt antea carnalis, sed spiritualis, qui sit aptus regno Dei.

Rom. 7.

Est & alia mutationis huius causa, nempe altissima illa cælestis gloriæ dignitas, ad quam homo præparari in hac vita debet.

Constat

Constat enim ex Philosophorum doctrina, ea quæ ad aliquem finem destinata sunt, eiusdẽ ordinis atq. dignitatis esse debere, cuius finis est ad quem destinantur. Quocirca cùm finis supra naturæ conditionem positus sit; illa etiam quæ huic fini consequendo proposita sunt, eiusdem ordinis esse debent. Cùm ergo regni Dei nomine, beatarũ mentium felicitatem intelligamus, quæ in aperta diuinæ pulchritudinis visione consistit, quæque omnem naturæ facultatem superat; consequens est, vt, quisquis huius tantæ felicitatis particeps esse cupit, non humanam, sed diuinam quodammodo vitã viuere debeat; vt, qui Deo similis futurus est in gloria, similis etiam sit in vitæ puritate atq. sanctimonia. Hoc est enim quod Ioannes Euangelista in Epistola sua significauit, cùm ait: Charissimi, nunc filij Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Scimus autẽ, quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Hoc est igitur regnum Dei, hæc summa illa felicitas ad quã omnes aspiramus. Qua ratione autem se pius homo ad hanc tantã felicitatẽ præparare debeat, declarat protinus idem Ioannes, cùm ait: Omnis qui habet hanc spem, sanctificat se, sicut ille sanctus est: vt videlicet illum imitari studeat in vita, cui similis fieri cupit in gloria: sic enim inter se rerum fines & initia consentient. Hanc ergo tantam vitæ mutationem Saluator designauit, cùm ait, oportere hominem nasci denuò; hoc est, cùm is qui seculo seruiebat, se regno cælorum dignum exhibere cupit, adeò sui dissimilis esse debet, vt non idem qui antè fuerat, sed nouus quidam homo denuò natus esse videatur. Hoc enim nascendi verbum designat. *1. Ioan. 3.*

Territus autem hac respõsione Nicodemus, ait: *Quomodo potest homo nasci, cùm sit senex? Nunquid potest in ventrem matris suæ iteratò introire, & renasci?* Cui Dominus rationem exponit, qua hæc tanta vitæ mutatio fieri debeat. Non enim humanis viribus, sed regenerationis lauacro, & Spiritus sancti virtute, qui in eo operatur, peragenda est; hoc est enim quod ait: *Amen dico tibi, quia nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Hoc igitur cælesti Spiritu hausto, idoneus fiet qui in cæleste regnum cooptari mereatur. Subditque protinus causam: *Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Quod perinde est ac si diceret: Effectus omnis, causæ suæ conditionem sequitur. Sic enim ex bona arbore fructus bonus; ex mala verò malus nascitur. Sic etiam ex perito opifice perfectum opus, ex imperito imperfectum proficiscitur. Sic ex nobili patre, nobilis filius; ex ignobili autem ignobilis. Ad hunc ergò modum, quod ex carne nascitur, caro est, neque supra carnis naturam assurgere potest; *Simile.*

quod

quod verò cælesti Spiritu hausto in nouam creaturam animatū est, cælestem & spiritualem vitam degere potest: ideoq. cælesti regno aptum est. Quocirca mirari non debes, si tu, qui ad hoc regnum aspiras, hoc cælesti Spiritu animari, eiusque virtute denuò renasci debeas.

Pleniorē huius loci explicationem inuenies concione prima Pētecostes.

Quia verò rudis adhuc Pharisæus, neq. hanc tantam diuini Spiritus vim, neq. hanc tantam vitæ mutationem satis percipiebat, appositissimo aëris exemplo vtrumque illi Dominus exponit his verbis. *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, &c.* Hoc in loco spiritus nomine D. Chrysost. cęteriq. interpretes Græci, non Spiritum sanctum, sed aërem & ventum (cui Spiritus sanctus comparatur) commodissimè intelligunt. Est igitur sensus: Quemadmodum spirante vehemētiori aura, effectum quidem eius videmus (cùm arborū fragorē vento agitāte percipiamus) ipsum tamē aërem minimè videmus: ita qui per veram pœnitentiam ad Deum conuersi, cælestē hunc Spiritum hauserūt, & per eū renati, & in nouā vitā animati sunt, moueri se vehementer ad insolita virtutū officia sentiunt, nec tamen à quo ita moueantur, satis intelligunt; quia videlicet nequaquam in seipsis, hoc est, in humanæ naturæ facultate vident cur ita moueantur. Cùm enim tam breui temporis spatio hanc tantā intra se affectuum suorum mutationē videant, non possunt non vehementer admirari, & secum hoc modo philosophari: Ego idem sum qui antea eram, idem corpus, eadem anima, eadem caro & sanguis; vnde ergo hæc tanta cordis mei, tamque subita mutatio, vt, quæ perpetuò mihi tota vita placuerunt, modò displiceant, eaque tanquam olidum sterquilinium detester: quæ verò mihi nauseam mouebant, modò tota auiditate diligam atque complectar? Sentio igitur intra me hos nouos atq. insolitos animi motus, à superioris vitæ meæ affectibus longè diuersos.

Percipit autem is hanc animi & affectuum suorū cōmutationem, causam tamē eius intra se minimè deprehendit. Coniicit ille quidem hunc diuini Spiritus intra se commorantis motum esse, nō tamen hoc affirmare audet, cùm nemo certò sciat, vtrùm odio vel amore dignus sit. Quemadmodū ergo aëris effectum videmus, ipsum tamē non videmus: ita qui sic ad Dominum conuersus est, & diuini Spiritus virtute renatus, hos intra se motus videt, causam verò intra se nō videt, nec an à Spiritu sancto interiùs habitāte sint, certò scire ac definire potest. Sed, ne lōgiùs ab Euangelica historia recedamus, Nicodemū ipsum diligentiùs contēplemur. Hic enim venit ad Iesum nocte: humano quippe timore correptus, veritusq. hominum iudicia, venit ad eum nocte: ne videlicet quisquam vllum se cum eo commercium habuisse intelligeret. Et quidem hoc metu laborauit,

Eccle. 9. Simile.

quo

quo tempore clarissima miraculorũ Domini fama per omnium ora volitabat. Vnde quidam illum Eliam, quidam Hieremiam, nonnulli Christum, aut aliquẽ ex veteribus Prophetis esse prædicabant. Quo tempore minimè inglorium illi fuisset, Christi discipulum appellari. Verùm qui adeò imbecillus & meticulosus per id temporis fuit, incomparabilem animi firmitatẽ atq. constantiam paulo pòst demonstrauit. Cùm enim Dominus Iudaici senatus, atq. omnium principum & sacerdotũ auctoritate, ac totius etiam populi clamoribus ad ignominiosissimum mortis suppliciũ damnatus esset, & inter latrones, tãquam eorũ princeps, crucifixus, & (quod summum ignominiæ genus fuit) indignior vita & communi luce, quàm Barabbas homicida, & publicæ pacis perturbator iudicatus: (quo tẽpore princeps Apostolorum Petrus dedecori atq. ignominiæ sibi esse putauit, discipulum se eius esse confiteri.) Nicodemus hic qui ad eum nocte venerat, in publicũ prodiens, seque vel discipulum vel amicum eius professus, sacratissimũ Domini corpus linteis & aromatibus cõdiuit, & in tumulo reposuit, extremosq. illi honores summa deuotione persoluit. Quis igitur in hoc opere tantã in eodem homine cordis mutationem non miretur; nõ apertè videat, hoc opus aliũde quàm ab humana virtute profectum? Sic igitur pius homo diuini Spiritus intra se motum videt, eius tamen causam (vt modò explicauimus) non agnoscit. Hoc autem exemplo Dominus & Nicodemo, & omnibus qui difficile esse putant denuò nasci, & in nouã creaturam transformari, metum atq. terrorem adimit, cùm hanc tantam vitæ mutationem non sola hominis virtute, sed Spiritus sancti ope & beneficio fieri doceat: qui omnia in electis operatur. Hac enim de causa, vbi Apostolus dixisset, se plus omnibus laborasse, adiecit protinus; Non ego autem solus, sed gratia Dei mecum. 1. Cor. 15

Quamuis autẽ cęlestis magister satis apertè hanc doctrinam tradidisset, Pharisæus tamẽ, externis legis cęremoniis assuetus, nouæ legis gratiã & mysteriũ minimè assequebatur; ideoq. rogat: *Quomodo possũt hæc fieri?* Cui Dominus, *Tu es*, inquit, *magister in Israel, & hæc ignoras? Amen, amen dico tibi, quia quod scimus, loquimur: & quod vidimus, testamur, & testimoniũ nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis, & nõ creditis; quomodo, si dixero vobis cælestia, credetis?* Terrena appellat moralis vitæ præcepta, ad quorũ cognitionem Philosophi rationis beneficio & naturæ lumine peruenerũt. Quæ tamẽ cùm Dominus populo explicaret, & inter cætera crimina auaritiã grauiter accusaret, à Pharisæis irridebatur. Rectè igitur ait: Si terrena hæc, hoc est, moralis vitæ præcepta nõ percipitis; quomodo cælestia dogmata, & occulta diuini Spiritus opera percipietis, quę nemo tradere perfectè potest,

nisi

nisi qui à cælesti sede in hunc mundum demissus est? Hoc est enim quod ait: Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, &c.

In fine autem adiungit Dominus quod ad plenã gratiæ doctrinam deerat, nempe, qua ratione illam fidelis homo assequi possit. Hoc autẽ proposito serpentis ænei figura declarat, vt suo loco dicemus. Vt enim filij Israël, dum in deserto in hunc serpentem aspicerẽt, salutem consequebãtur: ita nos, cùm Dei Filium in cruce suspensum, piis fidei & charitatis oculis contemplamur, salutem, & Spiritus sancti gratiã, qua cælestem vitam agere possumus, cõsequimur. Hactenus de Euãgelica lectione: nunc eam sententiam, quam initiò proposuimus, excutiamus.

Simile. Cõcione 3. eiusdẽ festi.

TRACTATIO THEMATIS.

I.

Quamuis in hac cõcione de Dominicæ crucis beneficiis disserendum sit, nemo tamen sibi persuadeat, nos ea omnia verbis consequi posse: tam multa enim sunt, vt priùs quidẽ astra cæli, quàm ea quisquam enumerare queat. Hoc tamen in vniuersum dici potest, omnia quæ Deus ad salutem hominum ab exordio mundi ad hoc vsq. tempus operatus est, quæq. ad finem vsque operabitur, huic arbori vitæ esse tribuenda. Vt enim Philosophi docent, effectus omnes nõ solùm principi causæ, sed eius etiam instrumẽto, quo illa vsa est, meritò assignãtur. Vnde cùm Deus optim. max. à Philosophis primus rerum omnium motor atque moderator esse dicatur, primum tamen mobile, hoc est, primus cælestium orbium, qui perenni motu suo cæteros secum orbes quotidie rapit, rerum omniũ, quæ in hoc inferiori mundo procreantur, causa etiã esse dicitur, quòd illius principis causæ instrumentum sit. Ad hunc ergo modum Deum dicimus primam omnium donorum atque gratiarum causam, hoc est, primum fontem & originem, & velut Oceanum quendam esse. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectũ de sursum est, descendens à Patre luminum. Huius autem principis causæ duplex instrumentum est; alterum coniunctum, alterum separatum. Et coniunctum quidem est sacra Christi humanitas, Dei Verbo vnita; separatum verò, Dominicæ crucis vexillũ, in quo Christus triumphauit, & mortem morte superauit. Quo fit, vt quicquid diuinitas & humanitas Christi Domini in salutis nostræ opere, per passionem crucis effecerunt, ipsi etiam adorandæ crucis ligno tribuamus: quando per mortem in ligno oppetitam, & mors mortua, & vita reddita, & mala omnia sublata, & bona omnia restituta sunt.

Iacob. 1.

Inter hæc autem tam varia & multiplicia Dominicæ crucis beneficia, vnum duntaxat, quod multa alia ambitu suo claudit,

explicare est animus. Illud verò est, quod huic viuificæ crucis ligno debemus, stare mūdum, qui iam altera inundatione, propter innumera hominū peccata, submersus atq. absorptus fuisset, nisi huius sacri ligni virtus obstetisset. Quam rem mirabili ratione Dominus post illud commune diluuium, quod vniuersum mundum exhausit atq. absumpsit, voluit adumbrare. Vbi enim diluuij aquæ cessauerunt, & solita mundo facies atq. serenitas reddita est: Aedificauit Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocaustum super altare. Odoratusq́. est Dominus odorem suauitatis, & ait ad eum: Nequaquam vltrà maledicā terræ propter hominem, nec vltrà percutiā omnem animā viuentem sicut feci. Et paulo pòst: Dixitq́. Deus: Hoc est signū fœderis, quod do inter me & vos, & ad omnem animā viuentem quæ est vobiscū in generationes sempiternas. Arcum meum ponā in nubibus cæli, & erit signum fœderis inter me & inter terrā. Cumq́. obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei quod pepigi vobiscū; & non erunt vltrà aquæ diluuij ad delendā vniuersam carnem. Eritq́. arcus meus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis sempiterni, quod pactū est inter Deum & omnem animam viuentem. Hæc autem verba (quantum coniectura colligere possum) magnam plerisque vestrûm admirationis materiā incussisse puto; quam etiam mihi non raro attulerūt. Admirationis verò causas hoc in loco referam. Primùm enim, quæ tanta virtus, quod tātum meriti pondus in pecudum & volucrum strage, vel etiam in affectu & religione alienū sanguinē litantis erat, vt huius sacrificij merito, vniuerso mundo, hoc est, omnibus omnium seculorū hominibus, quamuis essent sceleratissimi, Deus parceret; cùm diuina puritas non pecudū sanguine, sed pietate & iustitia oblectetur; neq. maxima præmia, nisi maximarū virtutū actionibus, præbeat? Hac enim mensura multiplicem sobolem Abrahę pollicitus fuit, quòd is nō pecudes, sed dilectissimū filiū manibus suis immolare parabat. Sed multo magis mihi admirationis materiam fœderis huius signū affert, nēpe cælestis arcus, qui nō tam arcus, quàm deceptio & ludificatio existit oculorum. Vt enim rubeo vitro oculis apposito, omnia rubea videntur, quæ tamen rubea non sunt: ita arcus ille iis coloribus tinctus apparet, quorū tamen nullū habet, quia nihil est. Nec minùs me tam multiplex huius verbi repetitio in admirationem adducit. Quoties enim idem verbum Dn̄s repetit & inculcat! Erit, inquit, arcus meus in nubibus. Et, Apparebit arcus meus in nubibus. Et, Ponā arcū meum in nubibus. Et, Eritq́. arcus meus in nubibus, & videbo illū. Iā verò quid necesse erat hoc signū intercedere, vt

Geneſ. 8.

Geneſ. 9.

Simile.

Geneſ. 9.

Deus

Deus recordaretur? Nunquid in illum promissionis suæ, aut vllius omnino rei obliuio cadere potest? An nõ eius æternitas, instantis nomine significatur? Vt enim in instanti nulla diuisio, nihil prius aut posterius à Philosophis esse dicitur; ita in æternitate omnia simul Deo præsentia, nihilque aut præteritum aut futurum est. Quorsum ergo æterna illa Sapientia his signis promissi sui admonenda erat? Hæc sunt, fratres, quæ magnam vnicuique nostrûm admirationem incutere meritò debent. Vt igitur hoc mysterium in lucem eruere incipiamus, pauca quædam à nobis è Philosophorum scholis prælibanda sunt.

Primũ enim cõstat ex philosophia, quatuor esse genera causarum, quæ ad omne opus necessariò requiruntur; inter quas finem primo loco ponunt, eamque causam causarum appellant, propterea quòd efficientẽ causam ad agendum moueat; efficiẽs verò materiam apparat, & formam inducit. Deinde etiam ex eadem philosophia constat, omne agens agere propter finem, atque eo magis quo & agens sapientius, & opus, quod molitur, præstantius est: Deo autem, qui mundi huius, hoc est nobilissimi operis auctor atq. opifex est, nihil cogitari potest sapientius. Cùm igitur non ab æterno, sed in tẽpore, & nec multis ab hinc annis hunc mundum creauerit; quærendũ est, quem sibi finem tantus hic artifex in tam magnifici operis molitione pręfixerit. Nefas enim, atq. adeò furor est, dicere, frustrà illum ac temerè hoc tam nobile opus edidisse, & tam diu sustẽtasse. Quis igitur hic finis extitit? quid illum ad tantum opus, tamque multiplex & varium ac mirabile, fabricandum impulit? Si enim ne passerculi quidem, cùm nidos struunt, & filios educant, nihil nisi proposito sibi fine agunt; quem summa illa Sapientia sibi finem constituit, cùm tam pulchrum & magnificum opus condidit?

Arist. 12. Metaph.

Hanc quæstionem Aristoteles in 12. primæ philosophiæ, hoc est, naturalis theologiæ libro tractauit: qui posteaquã grauissimis rationibus ostendisset, vnum esse totius vniuersitatis huius principem ac moderatorem Deum, primamq. causarum omnium causam, à quo & cælum, & rerum omnium natura penderet; de huius tãti operis fine, quem sibi artifex Deus proposuerit, disputauit. Quærit enim, an ipsius mundi ordo atq. pulchritudo, finis sit propter quem mundus conditus fuerit? Cui quidem quæstioni, mirabili sapientia respõdet; nequaquam mundi ordinem & mirabilem ornatum, sed ipsum qui mundo præsidet, vltimũ huius tanti operis finẽ esse. Vt enim, inquit, in militari exercitu, non ipse exercitus ordo & pulchritudo, sed Imperatoris gloria & obsequium, qui exercitum congregauit, finis est: sic in magno vniuersitatis huius exercitu, nequaquã ipsius ornatus atq. ordo, sed conditoris gloria extremus finis est.

Quæ quidem Ethnici hominis ſententia idem prædicat, quod Salomon ait: Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus. Quid eſt autem, propter ſemetipſum? Certè propter ſui nominis gloriam; hoc eſt, vt homines, pulcherrimũ hoc & mirabile opificium conſiderantes, immenſam opificis ſui potentiam, ſapientiam, prouidentiam, bonitatem, & maieſtatem agnoſcentes, illius gloriam prædicarent, illius ſapientiam mirarentur, illius immenſam potentiam vererentur, illius bonitatem diligerent, & in eius contemplatione & amore felicitatem ſuam collocarent.

Prou. 16.

Quia verò in hunc finem omnia condidit, ſummo eadem artificio elaborauit, vt perfectio operis, ſummam artificis perfectionem declararet, homineſque ad eius cultum & venerationem excitaret. Harum enim rerum conſideratione Galenus, Medicorum princeps, inductus, quandam religionis atque diuini cultus rationem cognouit, atq. his memorabilibus verbis expreſſit: Ego, dum hæc ſcribo, conditoris noſtri verum hymnum compono: exiſtimoque in eo veram eſſe pietatem, non taurorum hecatombas ei plurimas ſacrificari, & caſias, aliaque ſexcenta vnguenta ſuffumigari; ſed ſi nouerim ipſe primus, deinde & aliis expoſuerim, quænam ſit ipſius ſapientia, quæ virtus, quæ bonitas. Quòd enim cultu conueniente exornarit omnia, nullique bona inuiderit, id perfectiſſimæ bonitatis ſpecimen eſſe ſtatuo: & hac quidem ratione eius bonitas hymnis nobis eſt celebranda. Hoc autẽ omne inueniſſe, quo pacto omnia potiſſimùm adornarentur, ſummæ ſapientiæ eſt: effeciſſe autẽ omnia quæ voluit, virtutis eſt inuictę. Hactenus Galenus: qui, quamuis ethnicus, idem ferè mihi dixiſſe videtur, quod per Prophetam Dominus ait: Miſericordiam volui, & non ſacrificium, & ſcientiam Dei magis quàm holocauſtũ. hoc eſt, Ea diuini numinis cognitio, quæ verum eius cultum atque venerationem parit, multo gratior Deo eſt, quàm quoduis pecudũ ſacrificium & holocauſtum, eodem Dño teſtante, qui reiectis huiuſmodi ſacrificiis ait: Sacrificium laudis honorificabit me.

Gal. de vſu part.

Oſeæ 6.

Hic igitur finis eſt, propter quem ſummus ille artifex hanc rerum vniuerſitatem mirabili artificio condidit, nec minùs mirabili ordine regit & moderatur. Ob hoc enim vẽtos, & pluuias, & niues, & glacies, & imbres temporaneos atque ſerotinos, & matutinum rorem ſtatis temporibus ex alto demittit. Ob hoc dies & noctes, & varia labentis anni tempora æquis partibus diuiſit, quæ ſerendis, maturandis, atq. colligẽdis frugibus aptiſſimè accommodantur. Ob hoc ipſum, Solis & Lunæ vias, & aſtrorum curſus, mirabilemque in multiplici conuerſione conſtantiam (vnde omnia procreantur) dirigit & moderatur.

Pſal. 49.

Si igitur in hunc finem hæc opera diuina Sapientia molita est,eademq.perpetuò gubernat:frustra igitur viuent homines, frustra his beneficiis vtuntur,qui huius finis obliti, se totos cumulandis opibus, terrenisque curis atque cupiditatibus dediderunt. Quos ego non alio exemplo, quàm ethnici hominis, castigare atque pudefacere volo. Seneca enim, vbi de conditarum rerum dignitate, & mirabili ratione differuisset, tandem ait: Nisi ad hæc admitterer, non fuerat operæpretium nasci. Quid enim erat cur in numero viuentium me positum esse gauderem? An vt cibos & potiones percolarem? vt hoc corpus casurum ac fluidum periturumque, nisi subinde impleatur, farcirem? & viuerem ægri minister? vt mortem timerem, cui omnes nascimur? Detrahe hoc inæstimabile bonum; non est vita tanti, vt sudem, vt æstuem. O quàm contempta res est homo, nisi supra humana se erexerit! Hactenus Seneca. Quis igitur, cùm ethnicum hominem hoc modo philosophantem audit, nō erubescat, cùm multorum Christianorum mores cōsiderat, qui tam longè ab hoc officio & instituto absunt? Quis enim hunc finem considerat? quis ad hoc se natum putat? quis sic vitam instituit, vt huius rei gratia in hunc mundum missus esse videatur? Hinc intelligeris verum esse quod à Propheta dictum est: Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus. hoc est, Cùm homo in hunc finem nobilissimum à Deo conditus esset, vt magnifica eius opera contemplaretur, eundemque propter percepta beneficia meritis laudibus prosequeretur; huius finis oblitus, pecudum more totus terræ affixus, sola terrena curat, sola captat, sola sitit, diuinisque beneficiis fruens, non magis oculos in benefactorem attollit, quàm pecudes, quæ, victu & pastu cęlitus prouiso vtentes, conditorem & altorem suum non agnoscunt.

Seneca in Epist.

Psal. 48.

II.

Ad institutum ergo redeuntes, cùm princeps ille mūdi Deus in hunc finem, quem oratione descripsimus, hunc mundū condiderit; consequens est, vt, si homines ab hoc fine deficiant, Deique cultum & gloriam negligant, & conditis rebus non ad conditoris gloriam, sed ad luxum & superbiam abutantur, nulla subsit causa, cur mundus stare aut permanere debeat. Sublato enim fine, non est cur ea quæ eius finis gratia constituta sunt, durare aut permanere debeant. Nec enim minus indecorum Deo est, homines sic à suo fine deuiantes conseruare, quàm ad talem finem condere: cùm nihil aliud sit conseruare, quàm ea quę condita sunt, perpetuò procreare; & quod semel fecit, semper facere. Hac ergo de causa recèns conditum mundum delere constituit, quòd omnis videlicet caro corrupisset viam

suam,

suam,& à suo fine deuiasset. Hoc enim illa verba significant: Pœnituit eum quòd hominem creasset super terram. Quo loquendi genere se pœnitentium hominũ morẽ imitari significauit,quos pœnitere solet,cùm frustra se opus aliquod suscepisse vident: quo tempore vel cœptum opus destituunt;vel, quod iam fecerant,demoliuntur.Sic paucis antehac diebus aquariam molam,quæ magnos domino suo prouentus afferebat,flumine alium sibi alueum,aliasq. sibi ripas faciente,diruit. Cùm enim multa vi, multisque sumptibus, fluminis venam ad priorem alueum reuocare minimè potuisset,neque casa illa,in qua mola collocata erat, in alium vsum extructa esset, solo protinus æquata est.Ad hunc ergo modum cùm æterna illa Sapiẽtia genus hominum à fine suo deflexisse animaduertisset,nulla causa suberat,cur diutiùs mundum seruare aut regere debuisset. Vnde ait: Delebo hominem,quem creaui, à facie terræ,ab homine vsque ad animantia, à reptili vsque ad volucres cæli; pœnitet enim me fecisse eos.Itaque tot vrbes,tot nationes & regna, tot opes atque diuitias vna alluuione deleuit; neque ex hac multiplici rerum vniuersitate, nisi quod vna caperet arca,permanere voluit. Sic Elias tribus annis atque mensibus oratione sua cælum clausit,vt homines,qui Deum non colebant, fame atque inedia consumerentur; nec vlla pereuntium multitudine flectebatur.Sciebat enim eos frustra viuere, qui auctorem vitæ non colerent;& indignũ esse,vt imbres & pluuiæ,hoc est, creaturæ Dei,Dei contemptoribus deseruirent.Hoc exemplo, fratres (vt alia prætermittam)peccati malitiam & deformitatem, & summum,quo Deus illud prosequitur, odium intelligere licebit; cùm videatis illum misericordiarum patrem tam dira & stupenda clade supplicium de improbis sumpsisse, neq. tot infantibus, tot animantibus, tot opibus, tot denique nationibus & regnis pepercisse.Hoc enim argumento nos Petrus Apostolus ad diuinæ iustitiæ timorem, & acerbissimum peccati odium adhortatur, cùm ait,Deum originali mundo,id est, recenter à se condito,propter peccata hominum parcere noluisse; sed quidquid antea in terra condiderat,aquis inundantibus obruisse.Neque enim erat cur homines à Deo conditi viuerent, qui à fine, propter quem conditi erant, impiè & sceleratè deflexerant.

Genes. 6. Simile. Genes. 6. 2. Pet. 2.

Existimabit aliquis fortasse, fratres, me instituti mei oblitũ. Non sum planè,sed per has ambages ad illud iam tandem peruentum est. Quæsitum enim erat, cur Dominus illud Noë sacrificium tam gratum habuisset, vt propter illud perpetuã mũdo incolumitatem & salutem promisisset, atque in huius tantæ rei signum arcum in nubibus cæli positum esse dixisset.

Ad hoc igitur respondemus, nullo modo illud sacrificium tanti apud diuinam æquitatem fuisse, vt seculorum omnium salutem in illius merito constitueret: neque arcum item, qui oculorum iudicatione fit, signum illud esse, cuius conspectu summus ille mundi arbiter à seueritate ad gratiam flecteretur. Sed illo tamen Noë sacrificio, cuius odore Dominus captus fuisse dicitur, summum illud Seruatoris nostri sacrificium adumbrabatur, quo is pro generis humani salute æterno Patri se obtulit in odorem suauitatis. In craticula quippe crucis, charitatis igne crematus, suauissimum ex se virtutum omnium odorem effudit. Idemque in cruce suspensus, totque liuoribus & vulneribus tinctus, arcus est in nubibus cæli positus, cuius conspectu cælestis Pater placatus fuit, semperque placabitur. Ipse namque est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. Atque hac ratione Dominus arcum illum cælestem huius fœderis symbolum esse dixit, vt cùm hic arcus (vt antè diximus) nihil esset, ea res mentem nostram ad aliquid maius atque diuinius intelligendum attolleret. Hoc enim consilio diuina sapientia frequenter in lege, rebus, & ceremoniis, quæ nihil ad pietatem agere videntur, vtitur; vt rerum humilitas intellectum nostrum ad aliquid sublimius, & diuina maiestate dignius inuestigandum excitaret. Ideoq. nihil mirum, si hæc tam multiplex fictitij arcus repetitio nos ad salutis & redemptionis nostræ auctorem in eo arcu contemplandum veluti manu ducit.

1. Ioan. 2.

His ita expositis, facilè intelligetis, nihil mirum esse, si propter hoc immaculatũ Christi sacrificiũ, quod illo veteri figurabatur, perpetuam mundo salutem & incolumitatem Dominus polliceatur. Cur ita? Quia nimirum passionis & crucis eius merito sic placatus fuit, vt non modò erratis hominum verè pœnitentium veniam concesserit, sed gratiam quoque, & Spiritum sanctum, atque omnia dona sua in eos propter eiusdem Filij merita effundere perpetuò decreuerit. Quo tandem fiet, vt pietas & iustitia semper in mundo vigeat, nullaque diuinæ æquitati causa subsit, cur mundum iterùm propter hominum peccata abolere debeat. Cùm ergo Dominus se non ampliùs vniuerso mundo aquas immissurum promisisset, intelligebat vtique quid promitteret, & qua de causa promitteret, quia sciebat Filij sui meritis religionem & iustitiam inter homines perpetuò regnaturam; qua vigente, causa nulla erat cur mundus denuò abolendus esset. Hoc autem ita futurum esse, omnis Prophetarum chorus consona voce testatur. Hinc Esaias, post narratam Dominicæ passionis historiam, eius protinus fructum explicat, dicens: Si posuerit pro peccato animam suam, videbit

Esai. 53.

bit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Longæuum, ait; quod videlicet perpetuo in mũdo duraturum sit: quod quidem alibi confirmat, cùm ait: Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iustitia amodò & vsque in sempiternum. *Idem.*

Quæ cùm ita sint; facilè ex his intelligetis, fratres, crucis mysterio deberi, quòd mundus perpetua stabilitate maneat, & nos in eo maneamus: neq. oportet nos Babylonis turrim superuacaneo labore extruere, vt ab aquarum inundatione seruemur, cùm iam per Christi crucem omnis futuri diluuij trepidatio adempta sit. Intelligetis etiam iustitiam & pietatem eiusdem crucis merito in mundo nunquam defuturam, ne vlla subsit diuinæ iustitiæ causa, propter quã mundũ aquis absumere velit. Quia enim (vt Esaias vaticinatus est) per Christum in mundo iustitia inundatura erat, ideò nulla erit causa cur mundus aquarum inundatione intereat. Intelligetis etiam, omnia gratiarum dona, omnia Spiritus sancti charismata propter crucifixi Domini meritũ & gratiã in nos cõferri. Ille nobis primã gratiam, qua à peccato surgimus, promeruit: ille nos à peccato, à morte, & à gehenna liberauit. Itaq. si à peccato surgimus, illius merito surgimus: si iustitiam ad finem vsque retinemus, illius merito retinemus: si hostis antiqui tẽtationes superamus, illius merito superamus: si bonum aliquod opus molimur, illius merito molimur: si pio desiderio accendimur, illius merito accendimur: si nec aduersarum rerum fulminibus quatimur, nec secundis attollimur, eius vtique meritum & beneficium est. Hæc crux Apostolos mundi victores effecit, Martyres in prælio roborauit, Confessores cælestibus præceptis instruxit, Doctores illuminauit, Virginum puritatem constituit, Monachorum choris deserta impleuit, pereuntem mundum instaurauit, idola Gentium comminuit, dæmonum templa atq. aras euertit, iustitiam & religionem exulem, & penè extinctam, in vitam reuocauit. Hæc paruulorum sapientia, lumen in tenebris sedentium, fortitudo certãtium, corona triumphãtium, Christianorum philosophia, & aduersus ignita diaboli tela impenetrabile scutum. Verùm hæc omnia Dominicæ crucis beneficia persequi, infiniti operis esset: satis nobis sit, in illa malorum omnium depulsionem, & bonorum omnium summam esse constitutam. Hęc Deum hominibus conciliauit, Spiritum sanctum è cælo dimisit, insatiabilem homicidam ligauit, cælum aperuit, Angelorum ruinas instaurauit, & homines, qui iumentis insipientibus similes effecti erant, ad imaginem Dei reformauit. Hæc igitur tam multa beneficia nobis Christus Dominus in cruce pendens contulit. *Esaię 29.*

Nunc ad vos, fratres. Si hæc tam multa & magnifica beneficia Christus Dominus sine vllo suo labore in nos gratis cōtulisset; quid, quæso, dignum illi pro tot tantisq. muneribus rependeremus? Nihil certè tanta benignitate dignum in humana facultate inueniri potest. Si ergo ad hoc impares sumus, etiam si mille mortes propter tantorum donorum largitorem oppeteremus; quid erit, si labores & dolores, quibus hanc tantam salutem nobis promeruit, expendamus? Hoc enim nomine Sponsa in Cant. in illius amorem rapiebatur, cùm diceret: Botrus cypri dilectus meus mihi. Quid autem hoc nomine, nisi crucis torcular, & vinum in eo expressum, voluit designare? Ex botro quippe vinum nisi in torculari non exprimitur. Quæ res Saluatori nostro maximè conuenit, qui in torculari crucis dolorum pondere pressus, cæleste nobis vinum propinauit: vinum, inquam, quod lætificat cor hominis, quod vires animæ roborat, quod charitatem incendit, quod mentem sobria ebrietate inebriat, & à sensibus corporis abalienatam in Deum transfert. Quid igitur superest, fratres, nisi vt immortales gratias Redemptori nostro agamus, qui tam multis doloribus hoc nobis salutis & suauitatis poculum propinauit; quo refecti & confirmati, ad illud tandem vinum nouum hauriendum perueniamus, quod electis omnibus per eundem Christum propinatur in patria.

Cant. 1.

IN EODEM FESTO INVENTIONIS SANCTÆ CRVCIS, CONCIO SECVNDA:

in qua duplex viuifici ligni fructus explicatur, alter dulcis, alter amarus: quorum altero ad patientiam laborum, altero ad charitatem, fiduciam, & animi tranquillitatem inducimur & excitamur.

THEMA. *Dixi, Ascendam palmam, & apprehendam fructus eius.* Cantic. 7.

IAM primùm constat, fratres charissimi, palmæ nomine pretiosum Dominicæ crucis lignum, cuius hodie inuētionem celebramus, commodissimè designari. Palma enim triumphi atq. victoriæ insigne est. In ligno autem crucis Saluator noster communem generis humani hostem debellauit: per mortem quippe destruxit

destruxit eum qui mortis habebat imperium,& clarissimum de illo triumphum duxit;nosque omnes ab eius tyrannide liberatos diuinis muneribus cumulauit. In hanc igitur arborem fidelis Sponsa, hoc est, pia mens, ascendere nititur, & fructus eius carpere,quibus se pascat atque reficiat. Sunt autem adeò multiplices & varij huius arboris fructus, vt vix vlla oratione enumerari valeant:qui tamen omnes ad duos potissimùm referuntur,quorum alter amarus,alter adeò dulcis est, vt dulcedine sua prioris amaritudinem temperet atque minuat. Crux enim nos ad crucem & labores exemplo suo hortatur; eademque, dum immensam Seruatoris nostri bonitatem,charitatem, & potentiam declarat, spem & charitatem in nobis ascendit; atque ita demum sub huius arboris vmbra dulciter obdormire & requiescere facit,& cum eadem Sponsa dicere: Sub vmbra eius, quem desiderauerам,sedi; & fructus eius dulcis gutturi meo. De hoc igitur duplici vitalis ligni fructu in præsenti concione dicturi,cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

Hebr.2.

Cant.2.

AVE MARIA.

Priusquam ea,quę proposuimus,tractare incipiamus;quemadmodum hodie crux Dominica reperta sit, & quid nobis eius inuentio insinuet, paucis aperiendum est. Ad hoc igitur illud in primis statuamus, quòd quemadmodum multæ sunt mansiones in cælo, ita quoque itinera multa sunt, quibus ad illas mansiones peruenitur. Alij enim per viam obedientiæ incedunt; per quam omnes monasticæ vitæ professores ingrediuntur. Hanc autem obedientiam Ioan. Clim. appellat confectum dormiendo iter. Verus enim obediens,qui à maiorum suorum præscriptis nulla in re discedit, non habet cur vel de rebus agendis, vel de ratione reddenda solicitus esse debeat, cùm is non examinare quæ sibi præcipiuntur, sed exequi teneatur, reddendæ rationis curam in eum reijciens, qui sibi præpositus est, Deique vices in terra gerit. Alij autem per viam patientiæ ingrediuntur; qua sanctus Iob & Martyres omnes ingressi sunt; quaque incedunt qui variis morbis & calamitatibus conflictantur, & vxores etiam quæ viros habent intractabiles, quorum tamen ipsæ mores propter Deum humiliter & patienter ferunt, patientiæ suæ sacrificium Domino quotidie immolantes. Alij per paupertatis iter gradiuntur; per quod beatus Pater Franciscus, verus paupertatis amator, & Lazarus quoque mendicus ingressus est. Per quod etiam ingrediuntur qui inopiam & egestatem leniter & blandè ferunt, gratias Domino pro paupertate sua agentes, cælestiumque diuitiarum spe, cum sancto illo Tobia, paupertatis laborem miti-

Ioan. Clim.

mitigantes. Alij cum Martha, Christi hospita, misericordiæ operibus incũbunt; quibus in extremo illo examine æternæ vitæ præmium constitutum esse sciunt. Alij verò cum eius sorore Maria, omnibus huius vitæ curis relictis, & mundo ipso superiores quodammodo facti, supra mundum mẽte & cogitatione eleuantur, & diuina dies noctesque tractare nunquam intermittunt. Sunt & alia multa itinera, quæ referre longum esset; quorum nullum, quàm diu in hoc corpore versamur, periculo suo vacat; sic enim scriptũ est: In via hac qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi. Ea verò subtilitate & arte superbi isti, nempe dæmones, superbiæ auctores, hos laqueos parauerunt, vt de ipsis iterum dicatur: Narrauerunt vt absconderent laqueos; dixerunt, Quis videbit eos? O quàm multos arbitror his laqueis irretitos teneri, qui tamen nesciunt se esse illaqueatos, cùm maximè sint! Non enim temerè Salomon ait: Est via quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducunt ad mortem. Quocirca orandus semper nobis cum eodem Propheta Deus est: Ab occultis meis munda me Domine. Inter has tamen multiplices vias, regia quidem maximeque tuta in cælum via, vera cordis & corporis humilitas, animiq. demissio est. Vt enim diuus Bernardus ait, ex aliis virtutibus superbia capit incrementum; à sola autem humilitate, eius superba tyrannis repellitur. Hanc autem viam Saluator nobis exemplo commonstrauit, qui humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen. Quo nomine Petrus Apostolus ad huius nos virtutis amorem hortatur, cùm ait: Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis.

Psal. 141. Psal. 63. Prou. 16. Psal. 18. Bernard. Epist. 42. Philip. 2. 1. Pet. 5.

Quorsum hęc in festo sanctę Crucis? Nimirũ vt intelligatis, fratres, crucis suę gloriam Dominum eadẽ qua ipse via, quaque omnes electi ingressi sunt, procedere voluisse: vt quemadmodũ is & membra eius per humilitatis viam ad celsitudinis gloriam peruenerũt, ita etiam crucis suæ vexillum, ex summa abiectionis ignominia, ad summum gloriæ fastigium deuehire voluerit. Eius autem humilitas & abiectio prima fuit, quòd erat latronum & facinorosorum hominum extremum & abiectissimum supplicium. Secunda verò, quòd ab vniuerso orbe impugnata & execrata fuit. Tertia verò, quòd Adriani Romani Imperatoris iussu in vilissimo loco fuerit defossa. Cũ his enim anno post Saluatorem natum centesimo & quadragesimo, Hierosolymorum vrbem exædificari præcepisset; animaduertens in Caluario monte Dominum fuisse crucifixum, volensque omne Dominicæ passionis monumentũ, tanquam perfidus, & idolorum

cultor,

cultor, aboleri, Christi crucem, & latronum qui cum illo pependerant, & clauos in eodem loco defodi iussit, & ruderibus impleri, & in eodem loco Veneris simulachrum erigi; vt, si quis fidelium in eo loco crucem adoraret; non crucem, sed Venerem adorare videretur. In sepulchro autem Domini, Iouis statuam collocauit, & in Bethlehemitico præsepi, Adonidis, hoc est amasij Veneris simulacrum substitui iussit, cuius mortem apud Ezechielem perfidæ Hebræorum feminæ lamentabantur. Hac ratione omnia salutis nostræ monumenta impius Cęsar se funditus abolitürum credidit. Sed non est potentia, non est sapientia, nō est consilium contra Dominum. Anno enim salutis nostræ 218. imperante Constantino magno, crucis gloria patefieri cœpit. Cùm enim idem Constantinus, adhuc paganus, cū Maxentio tyranno, militaribus copiis instructissimo, cōgressurus esset, deque belli exitu trepidaret; vidit circa meridiem, sole declinante, crucis signum in cælo coruscans, his litteris inscriptum, In hoc vince. Cùm autem & de signo, & de inscriptione incertus esset, eadem nocte Christus Dominus illi apparens, & signum quod viderat ostendens, præcepit vt eo signo omnia militaria vexilla insigniret, quo victoriam de hostibus reportaret. Cùm autem in eo prælio victor euasisset, & Christianorum illud signum intellexisset; ipse quidem primus Romanorum Imperatorum maiestatem Domini Saluatoris cognouit, & honorauit, & eius Ecclesiam infinitis propè muneribus & ornamentis auxit.

Ezech. 8.

Post aliquod verò tempus, Helena, insigni pietate & religione femina, & Imperatoris mater, nocturno visu admonita, Hierosolymam petiit, vt Dominicam crucem, ex qua salus humana pependisset, inquireret. Qua de re sic diuus Ambrosius ait: Venit ergo Helena, cœpit reuisere loca sancta, infudit ei Spiritus vt lignum crucis requireret: accessit ad Golgotham, & ait: Ecce locus pugnæ, vbi est victoria? Quæro vexillum salutis, & non inuenio. Ego, inquit, in regnis, & crux Domini in puluere? Ego in aulis, & in ruinis Christi triumphus? Ille adhuc latet, & latet palma vitæ æternæ? Quomodo me redemptam arbitrabor, si redemptio ipsa non cernitur? Video quid egeris, diabole; vt gladius, quo peremptus es, obstrueretur. Sed Isaac obstructos ab alienigenis puteos erudERauit, nec latere aquam passus est. Tollatur igitur ruina, vt vita appareat; promatur gladius, quo veri Goliæ caput est amputatum; aperiatur humus, vt salus fulgeat. Quid egisti, diabole, vt absconderes lignum, nisi vt iterum vincereris? Vicit te Maria, quæ genuit triumphatorem, quæ sine imminutione virginitatis edidit eum qui crucifixus vinceret te, & mortuus

Ambros.

tuus subiugaret. Vinceris & hodie, vt mulier tuas insidias deprehendat. Illa quasi sancta Dominum gestauit, ego crucem eius inuestigabo. Illa generatum docuit, ego resuscitatum. Illa fecit vt Deus inter homines videretur, ego ad remedium peccatorum diuinum de ruinis eleuabo vexillum. Hactenus Ambrosius. In hac igitur pia inquisitione miracula non defuerunt, quibus Dominus pretiosum crucis suæ vexillum & prodidit, & honorauit. Helena igitur voti compos effecta, partem crucis, & clauos tres ad filium detulit; partem, magnificentissimo templo in eodem loco extructo, ibidem reliquit thecis argenteis inclusam. Reliquit etiam (vt auctor est Rufinus presbyter) hoc indicium religiosi animi Regina venerabilis. Virgines enim quas ibi reperit Deo sacratas, inuitauit ad prandium, & tanta eas deuotione curauit, vt indignum crederet si famulorum vterentur officiis. Ipsa enim manibus suis, famulæ habitu succincta, cibum apposuit, poculum porrexit, aquam manibus infudit; & Regina orbis, ac mater Imperij, famularum Christi se famulam deputauit. Et hæc quidem Hierosolymis gesta. Hæc fuit igitur, fratres, prima Dominicæ crucis gloria, qua à sterquilinio (in quo sub execrandæ Veneris simulacro condita erat) in sacrum & venerandum locum reposita fuit.

Rufinus.

Sequitur deinde alia eius gloria; quòd per totum orbem fuerit prædicata, & ab omni mortalium genere in summo pretio & honore habita. A suppliciis latronum transiit ad frontes Imperatorum: & quæ antea probro erat hominibus, nunc summo honori esse cœpit. Quin & hunc ei Dominus honorem contulit, vt eadem adoratione, qua ipse, qui in illa pependit, adoratur, ipsa quoque adoretur. Quidquid enim honoris illi tribuitur, crucifixo in ea Domino deputatur. Itaque maiori illam honore, quàm sacram & intemeratam Virginem honoramus. Virgini quippe eam reuerentiam exhibemus, quam Theologi Hyperduliam appellãt: quæ superior eã est, qua Sanctos honoramus, quæ ab eisdem Dulia nuncupatur: Dominicæ verò cruci eam adorationem exhibemus, quam Latriam appellant; quæ soli Deo, non vlli rei creatæ, debetur. Supra hunc autem honorem nullus excogitari maior potest. Ex hoc autem summo honore alius deinde huic similis sequitur, nempe, vt quidquid Dominus Iesus in cruce pendẽs fecisse dicatur, quidquid in genus hominum beneficiorum contulerit, eius etiam sacratissimæ cruci, in qua id operatus est, meritò adscribatur. Hinc D. Aug. Crux, inquit, de erroribus nos liberauit, sedentes in tenebris & vmbra mortis illuminauit; hæc nos Deo reconciliauit; ex alienis domesticos, ex longinquis proximos, de peregrinis reddidit

August.

ciues.

ciues. Hæc est inimicitiæ temperatio, pacis firmamentum, omnium denique bonorum thesaurus. Hactenus ille.

Nec his honoribus contentus Dominus (qui perpetuò cum seculo durabunt) post seculum etiam extremum illi adijciet honorem. Tunc enim (vt idem Dominus ait) apparebit signũ Filij hominis in cælo: hoc est, pretiosum crucis vexillum (quod cunctis astris splendidiùs fulgebit) videlicet ad piorum solatium, & improborum damnationem & cruciatum; quando illi quidem salutis suæ pretium, isti verò damnationis suæ indicium in eo prospicient. Dignum profectò erat, vt quoniã crux Christi, clauis esse dicitur cæli; clauis autem in ipso sæpe ostio relinqui solet; eą ibidem perpetuò collocaretur, & ad maiorem beatorúm gloriam ibidem perpetuò cerneretur. Decebat etiam ad Dominici triumphi sempiternam gloriam atque memoriã, vt sacrum hoc signum, tanquam gladius, quo princeps huius mundi iugulatus est, in sublimi hoc loco reponeretur. Cuius rei imaginem Goliæ gladius exhibet, qui in sacro loco post Ephod legitur fuisse collocatus. Ephod autem ornamentum erat sacrum, quo sacerdotes in ministerio templi vtebãtur, post quod tamen gladius ille appensus fuit. Cur ita? An non gladius ille execrabilis (vtpote gentilis hominis) à sacro loco repellendus erat? Erat planè. Verùm quia eo gladio perfidi hostis (qui Dei populum insectabatur) caput amputatum est, non immeritò ad huius triumphi memoriam in eius templo collocatur. Ad hunc ergo modum, quamuis Christi Domini crux execranda olim fuisset (vtpote latronum & facinorosorum hominum supplicium) quia tamen per eam Imperator noster clarissimum de hoste antiquo triumphum tulit, & eius detestabile caput contriuit, ad perpetuum huius victoriæ monumentum in cælo cum summo honore reponitur.

Matth. 24

1. Reg. 17.

I.

Hæc ad Dominicæ crucis gloriam breuiter dicta sunt. Nunc, quid ex hoc mysterio ad institutionem vitæ nostræ haurire debeamus, explicandum est. Frustra enim crucis Christi gloriam celebramus, si virtutum & meritorum eius expertes relinquimur. Si enim Paulus, qui in tertium cælum raptus fuit, nihil se nisi Christum crucifixum scire arbitrabatur, magna certè philosophandi materia in cruce piis mentibus proposita est. Nos ergo pro ingenioli nostri tenuitate hoc modo in ea philosophari incipiamus. Principiò igitur hoc crucis mysterium docere videtur, vt quo modo crux ipsa primùm quidem ab hominibus despecta & impugnata, postea super cælos exaltata fuit, & ab omnibus honorata, & ipse idem Dominus, qui in ea pependit, per humilitatem & acerbitatem passionis, exaltationem & glo-

2. Cor. 12
1. Cor. 2.

& gloriam sui nominis est cōsecutus; ita nos hac eadem humilitatis & patientiæ via ad sempiternæ felicitatis gloriam tendere studeamus: vt sicut ille non pro se, sed pro nobis; ita nos non pro illo, sed pro nobis eisdem vestigiis insistamus. Rectè enim Guerricus Dominum ait propter nos in cruce animam ponere voluisse, vt redemptionis sacramentum, iustificationis fieret exemplum. Vbi Moyses fœdus in deserto inter Deum populumq. percussit, & ad fœderis confirmationem victimas immolauit, sanguinis earum partē fudit super altare, partē verò super populū, sanguine videlicet altare aspergens. Sanguinem autem illum Dominici sanguinis typū gessisse, fœderis ratio declarat: neque enim pecudum, sed Christi sanguis pro peccatis nostris effusus Deum conciliat, & fœderat hominibus. Hic igitur sanguis super altare Dei, atque super populum fusus, & Deum placat, & homines obligat. Deum quidem placat merito & sacrificio, homines autem obligat singulari beneficio & exemplo; vt sicut ille per sanguinem introiuit in sancta, ita nos quoque per sanguinem in eadem introire contendamus: & sicut ille, nostri amore deuinctus, pro nobis sanguinē fudit, ita nos in eius obsequium (si opus fuerit) vel sanguinem fundamus, vel certè carnem nostram cum vitiis & concupiscentiis crucifigamus. Hæc enim sola digna retributio, cùm sanguis sanguine compensatur. Hic igitur, fratres, primus huius salutiferi ligni fructus est, quem amarum quidem initiò diximus.

Guerricus.

Exod. 24.

Sed instabitis modò: Quî fieri poterit, vt hunc fructum quis carpere atque edere possit, aduersus quem tota naturæ vis pugnare videtur; quæ dulcia & suauia vbique captat, acerba verò semper & amara refugit ac reformidat? Medici quidem solent amara pharmaca aut melle aut saccharo condire, aut etiam auro tegere: nos ergo medicorum more multiplici dulcedine hunc amarum crucis & patientiæ fructum dulcorabimus.

Primùm enim, laborum, quos Christi gratia patimur, dignitas atque sublimitas nos ad eorum amorē incitare debet. Omnes namque hi labores à Christi cruce gloriam & dignitatem trahunt. Quid enim, quæso, Dominicam crucem tantopere honorauit (quę antea flagitiosorum supplicium erat) nisi quòd in ea Christus Dominus passus est, eamque sacratissimi corporis sui contactu nobilitauit? Hoc enim beatus Andreas Apostolus confessus est, qui paratam sibi crucem à longè conspiciens, O, inquit, beata crux, quæ decorem & pulchritudinem de membris Dñi recepisti! accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo; vt per te me recipiat, qui per te me redemit. Et quidē antea timorē humanū habuisti, nunc autem pro voto susciperis: hoc est, Antequam in te vita penderet, meritò homines supplicij

plicij tui cruciatum horrebant; vbi autem sacratissimi corporis tactu sanctificata & consecrata es, iam non est cur te quisquam horrere, sed cur magis revereri, adorare, & amplecti debeat. Si ergo tanta reuerentia lignum crucis veneramur, quod sacrum Christi Domini corpus tetigit; cur non etiam hæc omnia corporis incommoda honorabimus, quæ non corpus modò, sed eius quoque animam contigerunt? Eius est enim illa vox: Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Aquarum autem nomine, dolorum impetus intelligit, qui multo acerbiùs piissimam eius animam quàm corpus cruciarunt. Quomodo ergo non summam venerationem merebitur, quod ad ipsam vsque animam Christi penetrauit? Sicut ergo crux, quæ mortalibus antea probro erat, postquam vita in ea pependit, honori esse cœpit, ita lachrymæ, dolores, inopiæ, cæteraque corporis incommoda quæ ille pertulit, ab eo diuinis honoribus affecta sunt. Quis igitur indignum sibi esse putet pati, quod ipse vnigenitus Dei Filius, & splendor paternæ gloriæ, perpessus est, & ex eo calice bibere, quo ille bibit: eodemque modo à mundo tractari, quo ille tractatus est; eisdemque doloribus affici, quibus ille affectus est? Si magna gloria est sequi Dominum; quid esse homini gloriosius potest, quàm eundem Dominum sequi, & in ea re potissimùm sequi, quæ in illo maximè gloriosa & prædicanda extitit? Fuit olim Phocion Atheniensis vir iustitiæ opinione celebris, inuidia tamen & odio perditorum hominum magno iudicum scelere ad mortem innocens damnatus. Ex his autem qui cum eo erant morituri, quidam, nomine Thudippus, complorabat sortem suam: quem ita consolatus est Phocion; Non tibi, inquit, Thudippe, satis est cum Phocione mori? Quòd si tantum valuit auctoritas Phocionis, vt mori cum eo gloriosum putaretur; quid de illis existimandum est, qui ipsius Regis gloriæ mortem imitantur? Hoc igitur primum & maximum laborum & dolorum nostrorum solatium est, quòd Christum imitamur, quòd ei similes efficimur, quòd eius nuptiali veste (quæ nimirum dolorum patientia exstitit) ornamur. Non poterit enim is non diligere quos sui similes viderit, cùm similitudo sit amoris conciliatrix.

Psal. 68.

Phocion.

II.

Est & aliud solatium ab hoc eodẽ fonte dimanãs, quòd hanc Apostolus regiam viam esse dicit, qua itur in cælum. Si enim, inquit, complantati facti erimus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Et mox: Si mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam viuemus cum eo. Vnde cùm Iacobus & Ioannes fratres regnandi gloriam ambirent, Dominus illos

Rom. 6.

illos ad eius regni & gloriæ iter reuocauit, cùm ab eis quæsiuit,
Mat. 20. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Qua quidem interrogatione illud admonere voluit, quòd quemadmodum ipse, qui caput & dux noster est, per ignominiã passionis ad regni gloriam peruenit; ita eodem itinere eius essent membra processura, vt, si non illam ipsam Christi crucem, certè suam quisque à Deo sibi impositã portaret. Vnde ipse in Apocalypsi
Apoc. 21. ait: Qui vicerit, possidebit hæc; sicut ego vici, & sedi cum Patre
Apoc. 7. meo. Hinc in eadem Apocalypsi Ioannes ante thronũ electos omnes ex omnibus tribubus & linguis astare vidit, qui omnes albis vestibus amicti, palmas in manibus gestabant; quod quidem triumphi atque victoriæ insigne est. Ad hanc verò palmam & victoriam nisi per labores & certamina non venitur. Ideoque non sine Dei consilio regius crucis titulus supra Christi Domini caput in cruce figitur; vt hoc symbolo admoneremur, per crucem ad regnum, per bellum ad pacem, per ignominiam ad gloriam, per patientiam ad coronam, & per labores ad requiem, per dolores ad sempiterna gaudia, ac postremò per humanarum rerum contemptum ad imperuestigabiles Christi diuitias esse veniendum. Hac igitur tanta laborum proposita mercede, quis non lucrũ putabit variis propter Christum vexari laboribus? Hinc D. Basilius tristium naturam post Christi crucem immutatam esse ait. Eius hæc verba sunt: Pri-
In Serm. Barlaam. mùm quidẽ Sanctorum mors planctu ac lachrymis cohonestabatur: nũc verò morientibus sanctis exultamus. Tristium namque post crucẽ Domini immutata est natura: iam non amplius Sanctorum obitus lamentationibus prosequimur, sed tripudiis diuinis circum ipsorũ sepulchra veluti choreas ducimus. Somnus autem iustis est mors, immo magis migratio ad vitam meliorem. Ideoque Martyres exultant dum trucidantur. Nam desiderium felicioris vitæ, iugulationis dolorem extinguit, & emortuum reddit. Pericula non respicit martyr, coronas respicit; plagas non horret, sed præmia numerat. Non videt lictores infernè flagellãtes, sed Angelos supernè lętos hominibus acclamãtes imaginatur. Non spectat ad tẽporalia pericula, sed ad præmiorũ æternitatẽ. Hactenus D. Basilius. Hac ipsa autem via caput Martyrum Christus Dominus & nominis & corporis sui gloriam assecutus est. Hoc est enim quod Propheta ca-
Psal. 109 nit; De torrẽte in via bibit, propterea exaltauit caput. Nomine autem torrentis, quod incitatissimo cursu ferri solet, Vates sanctus vsus est, ad significandã vim & magnitudinẽ ærumnarum quas ad extremum vsque spiritum innocentissimus agnus pro nobis exhausit. Qui enim omnia peccata omniũ mortaliũ pro suis assumpsit, eorũq. pœnas pertulit, is necesse fuit vt tales ac

tantos dolores & cruciatus sustineret, quales & quantos nemo vnquam neque verbis assequi, nec animo possit comprehendere. Subiungit autem, Christum propterea sublaturum caput, quoniam prauidebat, illum per has ærumnas & acerbitates ad potentiam & regnum sempiternum esse peruenturum.

Est & mira alia huius virtutis vtilitas, nec minoris facienda. Quisquis enim eò perductus est, vt his rationib⁹ inductus, spiritualis crucis amator existat; is facilè virtutum omnium compos efficietur. Cùm enim virtus circa difficilia opera versetur, solusq. nos ab eius cultu & amore difficultatis labor deterreat; qui eò perductus est, vt ob crucifixi Domini sui amorem adeò non refugiat labores, vt libenter etiam amplectatur, is planè non habet quod eum à virtutis studio remorari possit. Quam rem facili exemplo commonstrabo. Aiunt Philosophi, elementa ea facilè inter se transmutari, quæ altera solùm qualitate dissideant, altera conueniant. Quod in aëre videre licet, qui vbi igni proximus fuerit, leui flatu in flammam igneam permutatur. Simili ergo modo virtus, qua parte rationi consentanea & amica est, facilè cum homine, hoc est, cum creatura rationali cōuenit; quatenus verò circa difficilia opera (vt antè diximus) versatur, corruptæ carnis affectibus repugnat, quæ sponte sua laborem refugit, & voluptatem captat. Vbi autem spiritualis crucis amor, hoc affectu carnis superato, hanc difficultatem nō horret, sed etiam libenter propter Deum amplectitur, nihil intercedit quod hominem à virtutis complexu & amore deterreat. Quocirca diligentissimè homini ad virtutum decus adspiranti enitendum est, vt hanc sibi crucem amore deuinciat, & velut dilectissimam spōsam sibi adiungat. Sic enim fiet, vt minimo negotio ad virtutum omnium fastigium perueniat: quæ res votis omnibus expetenda est. Hoc autem argumento apparet, in quo periculo versentur, qui in omni vita voluptatem vbique captare student, qui vitam in otio transigunt, qui vndecumque varia corporis oblectamenta conquirunt, qui ludis, iocis, fabulis & rumoribus audiendis, & futili loquacitate omne tempus insumunt, omnemque honestum laborem tanquam vitæ scopulum declinant. Hi enim quomodo virtutem amplecti poterunt, quæ honestis semper studiis atque laboribus adiuncta est? Rectè enim à Philosophis dictum est: In regno voluptatis virtuti non esse locum. Hoc est autem illud genus hominū, quod Apostolus lamentatur, cùm ait: Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam nobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi: quorū finis interitus, quorum deus venter est, & gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt.

Philip. 3.

Crucis

Crucis autem inimicos non eos intelligit, qui sacram Dominicæ crucis effigiem detestantur, sed qui hanc ipsam adorantes, spiritualem Christi crucem, hoc est, carnis & cupiditatum suarum interitũ refugiunt. Hos igitur crucis Christi inimicos appellat, qui corpoream crucem venerãtes, spiritualem detestantur; quique non minori odio spiritualem crucem, quàm infideles corpoream prosequuntur. In quanto ergo hi salutis periculo degant, satis abundè Apostoli lacrymæ declarant, quas sola huius periculi cogitatio, dum hæc scriberet, exprimebat. Hoc enim apertè docet, cùm ait: Nunc autem & flens dico.

Hæc sunt igitur, fratres, solatia, quibus spiritualis crucis acerbitatem lenire poteritis. Si enim ea Dominicæ crucis dignitatem & gloriam participat; si Christo Domino similes facit; si regia in cælum via est; si maximum diuinæ gratiæ, & charitatis & perfectæ virtutis argumentum, si facilem nobis ad virtutes omnes viam munit; si postremò natura ipsa & mundo malisque omnibus superiores, & Deo proximos homines facit; cur non hanc crucem libenter amplectamur, vt tantorum bonorum compotes simus? Cur non cum Euangelico illo mercatore, inuenta hac pretiosa margarita, omnia pro ea adipiscenda libenter offeremus? Cur non cum diuo Andrea Apostolo dicamus: Quia semper amator tuus fui, & desideraui amplecti te, ô bona crux?

Mat. 13.

III.

Hactenus, fratres, priorem vitalis ligni fructum, acerbum illum quidem, sed multis tamen modis dulcoratũ, vobis proposuimus, nunc dulcem offeramus. Ad quem percipiendum non dubito vos esse multo paratiores. Cæterùm quemadmodũ Dominica crux ipsa sua specie atq. imagine patientiam nobis prædicat & commendat; ita spem in Deum, & amorem ingenerat, dum mirabilem crucifixi Domini in genus hominum charitatem ostendit, quæ summum nobis fauorem, protectionem, paternam curam & prouidentiam pollicetur, sub qua (vt initiò dicebamus) dulciter obdormire & requiescere poterimus. Quid igitur aliud Christi crux, quid claui, quid spinæ, quid alapæ, quid verbera, quid plagę, quid denique mors ipsa, nisi summam erga genus hominum charitatem prædicant? Vera enim est illa sentẽtia: Aduersis probatur amor, pœnis examinatur dilectio. Vnde consequens est, vt, quo maiora quis propter amicum incommoda acerbioresque dolores fuerit perpessus, hoc maiorem veræ dilectionis significationem præbeat. Cùm verò constet, cruciatus, quos salutis nostrę gratia Christus Dominus pertulit, omnes alios vitæ huius cruciatus superasse, etiam si omnes in vnũ iungerentur; liquidò constat, eius erga nos dilectionem

nem,omnem aliã longissimo interuallo post se reliquisse. Mitto nunc cruciatus quos in anima pertulit,corpus solum in cruce pendens inspiciamus. Quid in eo à planta pedis vsq. ad verticem non vulneribus saucium , plagis liuidum, sanguine deformatũ cernimus? Quid autem amanti animæ, & oculos habẽti, quibus patibulo affixum Dominũ contẽplatur , hoc est spectaculo suauius? Quid autẽ tot corporis eius vulnera sunt, nisi tot ora,tot voces,& clamores qui nobis eius charitatem prædicant? Quid nisi eiusdẽ amoris certissima pignora? Quid nisi purissimum speculũ,in quo ardorẽ charitatis interius latentem cernimus? Quid nisi acutissimæ illæ amoris sagittæ , de quibus scriptum est; Sagittæ tuæ acutæ(populi sub te) cadent in corda inimicorum regis:quibus ex inimicis amicos fecisti? Quid postremò nisi patentes fenestræ sunt,per quas vis amoris eius ostẽditur? Patent enim,ait Bernardus,viscera per vulnera. Vnde enim paruisset , quòd tu Domine multus sis in misericordia, multus in charitate,multus in bonitate? Ad redẽptionis quippe nostræ munus vel vna pretiosi sanguinis tui gutta sufficere posset, vt pro totius mũdi sceleribus satisfaceres. Sed quod ad satisfactionẽ satis erat,ad declarandã charitatis & bonitatis tuæ magnitudinem satis non erat: ideoq. tam multa pati voluisti, vt tot bonitatis & dilectionis tuæ testes atque obsides haberemus, quot in corpore tuo vulnera numeramus. His igitur duobus ceu iaculis atque sagittis,corda nostra configere voluisti; bonitatis videlicet & charitatis tuæ ostensione: vt plusquam ferreus esse incipiat , qui tantam bonitatem non exosculatur,tanta charitate non incenditur. Quis igitur se ab huius ignis calore defendet ? Quis hoc igne,quem Dñs mittere in terram venit,non ardeat? Cæteris enim beneficiis Dominus nos ad sui amorem pellexit, hoc autem penè vim intulit. Quod Apostolus designauit, cùm ait: Charitas Christi vrget nos. Hoc enim immenso charitatis suæ ardore vim quodãmodo mẽtibus nostris infert, vt nemo se iam possit ab eius calore abscõdere. Idem etiã Sponsa in Cant. indicauit,cùm Sponsum ait ordinasse in ea charitatem. Charitatis autem ordo exigit, vt,quod summum & supra omnia est, amore summo supra omnia dirigatur. Vnde alia lectio habet ; Cuius vexillum erga me charitas : quæ quidem lectio mirè ad hunc locum facit. Hoc enim significare videtur,quòd quemadmodum in bello milites vexillum militare sequũtur, nec ab eo oculos deflectũt;ita Sponsa pro vexillo immẽsam hanc Sponsi dilectionem habebat;quæ illam ad se rapiebat, quæ sibi semper adhærere faciebat, quæq. nunquã ab eius contemplatione animum abesse patiebatur; quæ denique agebat , vt ab omnibus aliis curam,cogitationem,& amorem auertens, in hanc vnam

Psal.44.

Bernard.

2.Cor.5.

Cant.2.

suspensa, de vna illa charitate loqueretur, illam vnam semper cogitaret. Vt enim magnes occulta quadam vi ferrum post se trahit; ita immẽsum hoc diuinæ charitatis opus purgatas mentes vehementi quodam impulsu post se rapit. Sic B. Bonauentura, vbi se totum in sacra Christi vulnera mersisset, in illis se perpetuò habitare, nec ab illis egredi, neque quidquam nisi sanguinem se videre posse testatur.

D. Bonauent.

Ex his liquere puto, fratres, quàm dulcis ex salutifera crucis arbore fructus carpatur. Quid enim amore dulcius? quid charitate iucũdius? quid in hac vita spei virtute suauius? Hęc enim sacra arbor, inter alios multiplices fructus spem atque amorem pręcipuè profert. Si enim ea tantam nobis potentiam, tantam Domini charitatem ostendit; quid non ab eo sperare potero, qui adeò potentem, adeoque amicum & beneuolum se nobis in cruce declarauit? Si potens solùm esset, nec tamen amicus; dubitare quidem de eius voluntate non de potentia potuissem: si verò amicus, & tamen infirmus & impotens esset, de facultate dubitarem. At cùm idem mihi & potentissimum & amicissimum sese apertissimis argumẽtis demonstrauit; quomodo non spem & amorem meum, quomodo non omnem meam curam & solicitudinem in illum reponam? Si ille me non quærentem quæsiuit; quomodo quærentem repudiabit? Si is tot me beneficiis vitæ suæ dispendio affecit; quomodo, cùm iam ab omnibus laboribus immunis sit, mei curã abiiciet? Qui mihi, quod summum erat, vitã & sanguinem donauit; quomodo minora negabit? Dubitas, inquit Augustinus, an tibi neget bona sua, qui non dedignatus est propter te recipere mala tua? Si (vt Apostolus ait) proprio Filio suo cælestis Pater non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non cum illo nobis omnia donauit? Quid igitur, ô miseri mortales, per terrenas opes sine vllo fructu vagamini? quid quietem & firmitatem in rebus fragilibus & irrequietis quęritis? cur, veræ felicitatis & salutis fonte relicto, feculentis Aegypti lacunis sitim vestram extinguere pergitis? Quare, inquit Propheta, appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum nõ in saturitate? Felix qui ab hoc communi mortalium errore liber, spesque omnes in creaturis fallaces esse intelligẽs, spes omnes suas, curas & cogitationes in crucis præsidio constituit. Quisquis enim huc peruenit, hic planè Dominicam crucem cum Helena inuenisse putandus est. In ea namq. laborum solatium, infirmitatis remedium, virtutis exemplum, amoris incitamentum, spei refugium, & malorum omnium leuamentum inueniet. Hac enim de causa Dominus crucem suam inueniri voluit, vt hoc amoris sui testimonium, & virtutis trophęum corporeis etiam oculis, ad sempiternam eius memo-

August. Rom. 8.

memoriam atq. salutem nostram, in terris conspiceretur. Quid ergo superest, fratres, nisi vt cum Sponso hanc palmam cōscendamus; vt hos ex ea mirabiles fructus carpere possimus? Ascendimus autem non corpore, sed spiritu; non pedibus, sed sanctis cogitationibus & affectibus. Quod faciunt, quibus de more est quotidie se ipsos intra se colligere, & ineffabile Dominicæ passionis beneficium, ceu animalia munda, pio corde ruminare. Hi namque fructibus his cum magna iucunditate in præsenti vita pascuntur, vberiorem eorum fructum in sempiterna illa cum beatis mentibus percepturi.

IN EODEM FESTO SANCTÆ CRVCIS, CONCIO TERTIA: IN QVA verba in themate proposita fusiùs explanantur: vbi etiam occasione verbi credendi, de fide viua & mortua paulo copiosiùs disseritur.

THEMA. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis: vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ioan. 3.

SI quando regia sponsa ab amantissimo sponso longè abest, neque eius sibi videndi copia fit, magnum existimat solatium, si illius effigies ad viuū expressa sibi ante oculos proponatur; vt in imagine saltem cōtempletur, quem coràm cernere non potest. Non aliter, cùm Deus Pater ab æterno Vnigenitum suum cum humana natura indissolubili matrimonij vinculo copulare decreuisset, & in hoc felicissimo coniugio generis humani salutem constituisset; quàm diu coniugij tempus differebatur, dilectissimi Filij sui imaginem, & salutem per eundem Ecclesiæ sponsæ suæ conferendam, miris multisque modis repræsentandam curauit: vt hac saltem ratione ipsa exhilarata & confirmata, confidentius in spem salutis assurgeret. Vnde Apostolus, omnia in figura, huius videlicet tanti mysterij, prioris seculi hominibus cōtigisse ait. Inter has autem figuras, ea quæ à nobis de serpente æneo proposita est, magnum mysterium continere videtur: mirabili namque ratione, quo nam modo Dominicæ crucis beneficium consequi valeamus, exponit. Hoc igitur tantum mysterium in præsenti concione expli-

Simile.

1. Cor. 10

explicaturi, cæleſtem opem, ſacratiſſimæ Virginis interuentu, ſuppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Ex ſacra præſentis Euangelij lectione, fratres chariſſimi, hæc nouiſſima verba, quæ à me propoſita ſunt, ad huius diei feſtum præcipuè pertinent: quæ quidem adeo fecunda videntur, vt non exigui operis ſit, omnia quæ in eis latent myſteria vno ſermone comprehendere. Quod vt commodiùs efficere poſſimus, tractanda nobis in primis illa quæſtio eſt: cur videlicet, cùm Chriſti Domini paſſio ad totius generis humani ſalutem cõſtituendam ſatis ſuperque fuerit, tam pauci ſint, qui hanc ſalutem conſequantur. Conſtat enim verum eſſe quod ipſa Veritas ait, arctá eſſe viam quæ ducit ad vitam, & paucos ingredi per eam; latam autem quæ ad perditionem ducat, & per eam multos incedere. Chriſtum autem Dominum non pro his tantùm qui ſeruantur, ſed pro omnibus ſe ipſum in ſacrificium obtuliſſe, teſtatur in epiſtola ſua Ioannes, cùm ait, ipſum propitiationem fuiſſe pro peccatis noſtris; nec pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi. Paulus quoque pro omnibus mortuum fuiſſe Chriſtum ait, vt, qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt: idemque Apoſtolus ait, efficaciorem nobis ad ſalutem fuiſſe Chriſti gratiam, quàm ad perniciẽ primi parentis culpam. Non enim, inquit, ſicut delictum, ita & donum: vbi enim abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia. Multo enim magis grata Chriſti Domini obediẽtia ſuperno Patri fuit, quàm ingrata extitit primi hominis inobedientia. Si ergo propter illã inobedientiam tam multi peccatores conſtituti ſunt, cur non plures per Chriſtum in iuſtitiæ poſſeſſione reponãtur; præſertim cùm ea fuerit dignitas & efficacia ſanguinis Chriſti, quę diuinitati erat vnita, vt vel vna eius gutta totum mundum, immo innumerabiles mundos redimere atque ſeruare potuiſſet? Quid igitur cauſæ eſt quòd tam pauci ſeruẽtur? Huic quæſtioni ſapienter admodum D. Auguſt. reſpondet his verbis: Poculum ſalutis noſtræ, quod ex diuina humanaque natura confectum eſt, quamuis ex ſe habeat vt omnibus proſit, non tamen prodeſt, niſi bibatur. Quibus verbis ſignificare voluit efficaciſſimum quidem malorum noſtrorum medicamentum Chriſti Domini paſſionem extitiſſe. Vt autem medicamenta omnia, quãlibet ſalubria ſint, nihil opis ægrotantibus præbent, niſi ſumantur: ita planè hoc ſalutis humanæ poculum ad ſanãdos omnium morbos ſufficientiſſimum eſt: nemini tamen eſt ſalutare, niſi ei qui illud ebiberit. Quid autem eſt bibere, niſi illud ad ſe trahere, ſibique vnire, vnúmque quodammodo cum illo fieri? Hoc enim & cibi & potus proprium eſt, in corpus & ſub-

Mat. 7. 1. Ioan. 2. 2. Cor. 5. Rom. 5. August. Simile.

ſubſtantiam aliti permutari,& vnum cum illo effici. Quiſquis ergo Chriſti particeps eſſe cupit, vnum cum illo per fidem & amorem effici debet. Quemadmodum enim caput vim ſuam non in abſciſſa atque ſeparata mēbra, ſed in ea quæ ſibi cōiunƈta atque vnita ſunt,influit:ita generis humani caput Chriſtus Dominus,niſi in membra charitatis glutino ſibi copulata, meritum & gratiam ſuam non effundit. Quid enim in cauſa eſſe putatis, cur primi parentis peccatū in totam eius poſteritatem deriuetur, (omnes enim in illo peccauimus, & eo labente lapſi ſumus) niſi quia ille principium & veluti radix totius generis humani extitit; ideoque radicis vitium in omnes eius propagines deriuatum eſt. Inde adeò fit, vt, ſi quem modò Deus hominem vel ex limo terræ, ſicut primum illum, vel aliunde creaſſet,qui nullo affinitatis vinculo cum eo coniunƈtus eſſet, non minùs ab eius culpæ cōmunione, quàm ab affinitatis vinculo immunis eſſet. Sicut ergo hæc corporea vnio in cauſa eſt, vt parentis primi labes poſteros omnes inficiat; ita ſpiritualis vnio cum Chriſto capite neceſſaria eſt, vt eius meritum & gratia in ſpiritualia ipſius membra tranſmittatur. Qua deficiente, nulla ſubeſt ratio,cur aliquis Chriſti particeps fieri debeat. Hāc autem ſpiritualem cum Chriſto capite vnionem (vt modò diximus) fides efficit;non quæcunque, ſed quæ charitatis igne incenſa atq. inflammata eſt. Quam rem Dominus his,quæ à nobis propoſita ſunt verbis appoſitiſſima figura explicauit, cùm ait: *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto;ita exaltari oportet Filium hominis: vt omnis qui credit in ipſum,non pereat,ſed habeat vitam æternam.* O quàm magnum hac tam breui oratione ſacramentum nobis propoſitum eſt! Hîc enim animaduertere licet,humani generis ſalutem in Chriſti adſpeƈtu poſitam eſſe,cùm vel illum cæleſtis Pater adſpicit,vt noſtri miſereatur; vel ipſum nos adſpicimus,vt eius miſericordiam conſequamur.

Simile.

Simile.

Sed quoniam in his Domini verbis ſerpentis ænei mentio fit,eius nobis hiſtoria primùm exponenda eſt. Filij Iſrael in deſerto,itineris tædio fatigati, aduerſus Deum ac Moyſen obloqui cœperunt,quòd ipſos ab Aegypto in illam ſolitudinem adduxiſſent. Quo quidem ſcelere ita Dominus offenſus fuit, vt ignitos ſerpentes in illos immitteret, qui venenato morſu eos peterēt,qui optimi ducis ſui vitam mordebant; vt quemadmodum Aegyptij aquis interempti fuerant,qui aquis infantes Hebræorum interfecerant; ita iſti ſerpentum morſibus perirent, qui viri ſanƈtiſſimi vitam mordebant;& à ſerpentibus peterentur, qui ſerpentum malitiam ſeƈtabantur. Ait namque Salomon: Sicut mordent ſerpentes in ſilentio, ſic qui fratri ſuo occultè detrahit. Quòd ſi hac eadem pœna Dominus detraƈto-

Num. 21.

Simile.

Eccle. 10

 res

res hoc tẽpore puniret, omnia serpentibus replerẽtur, vt venetæ linguæ serpentum veneno atque morsu interirent. Sed ad historiam redeuntes: cùm præsentissimum illud periculum ad pœnitentiam populum prouocasset, & veniam atque salutem à Moyse postulasset, ait ad illum Dominus: Fac serpentẽ æneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eũ, viuet. Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo: quem cùm percussi aspicerent, sanabantur. Quis hîc non miretur? quis, quamlibet rudis atque hebes, non mysterium aliquod in his Domini verbis latere intelligat? Quid agis Domine? quod medicamentum vulneratis adhibes? Nónne facilius erat serpentes abigere, qui serpentes immiseras; quemadmodum antea ranas in paludes, & locustas in mare relegasti? Quòd si serpentes manere volebas, vt earum metu detrahẽtium linguas comprimeres; quid sibi vult hoc remedii genus, hoc est, æneus serpens in edito loco positus? Vnde huic serpenti ea virtus? Non certè ex æris materia, non ex eius forma & figura. Iam verò aspectus in æneum serpentem quid ad sanitatem conferret? O mira Dei sapientia, quæ cùm mysteria sua celare vult, ita celat, vt prodat! Cùm enim infinita sit eius sapientia, nihilque temerè aut frustrà, sed summo consilio atque ratione omnia opera sua moliatur, hac ipsa rerum inconcinnitate (quæ in diuinam sapientiam cadere nullo modo potest) nos ad sublimius aliquid inuestigandum excitat. Quid igitur hoc est? Nimirum sicut per veros serpentes, veros peccatores intelligimus; ita per imaginem serpentis, peccatorem, non quidem verum, sed apparentem accipimus. Quis verò alius peccati omnis expers, & peccatoris imaginem gerens, nisi Christus Dominus inter latrones patibulo affixus? qui (vt Esaias ait) cum impiis deputatus est; de quo tamen paulo antè dixerat, quòd neque peccatum fecerit, neq. dolus fuerit in ore eius. Hic igitur peccati omnis expers, à peccato nos omnes liberat. Omnes enim nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit, & Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrûm. Hic ergo serpens, non verus, sed apparens, contra venena serpentum singulare refugium & medicamentum est.

Esaiæ 53.
Ibidem.

Sed qua ratione serpens hic nos à morsu serpentum liberat? Qui percussus, inquit, aspexerit eum, sanabitur. Hæc certè figura nõ tam figura, quàm apertissimum vaticinium, quod crucis virtutem prædicat, existimanda est. Quid enim aliud significare commodè poterit, nisi hoc ipsum significet? Quid sit autem serpentem aspicere, idem Dominus apertè insinuauit, cùm post hæc verba subiunxit: *Vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Aspicere ergo, est credere, & Christi fidem

Num. 21.

fidem profiteri: quem videlicet proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Quàm alacri & libenti animo hanc salutis rationem excipient, qui de sola sibi fide, eaq. mortua, blandiuntur! Sic enim salutem suam in tuto positam arbitrabuntur, cum his fidei oculis Christum aspiciant, eumque suum ac mundi Saluatorem inconcussa fide profiteantur. Verùm, nolite, fratres, errare. Cùm enim fidem dico, non mortuã, sed viuam fidem intelligo; de qua scriptum est: Iustus autem meus ex fide viuit; quem locum D. Bernardus breuiter explanans, Iustus, inquit, ex fide viuit, vtique si viuat & ipsa: aliter quomodo vitam dabit, si mortua est?

Rom. 7.

Rom. 8. Bernard.

I.

Sed quia de mortua & viua fide sermo incidit, (quæ frequenter in concionibus nominare solemus, & de fidei ratione tam multa hoc nostro seculo disputantur) non alienum fuerit hoc in loco, quid vtraque sit, aperire. Fides ergo mortua, est quidem vera fides, à Spiritu sancto fidelium mentibus infusa, quæ nisi per hæresim, aut apostasiam à fide, nõ amittitur, quãlibet multa lethalia crimina quis admiserit. Vt enim euersa atque diruta domo, eius adhuc fundamenta manent; ita amissa per peccatum gratia, & structura virtutum quæ ex ipsa manant, fidei tamen & spei fundamenta perstant. Dicitur tamen fides hæc mortua, quia nihil vitale in homine operatur, vtpote quæ in solo intellectu residens, nullos in voluntate charitatis & religionis igniculos & motus excitat. Est enim tanquam lucerna sub modio, quæ, licet accensa sit, minimè tamen lucem præfert; quoniam obiectu corporis impeditur, quo minùs splendorem suum in proximum sibi aërem effundat. Quod ergo in lucerna modius, hoc in fide lethale peccatum agit, quod charitatem ab anima pellit, qua fides viuificanda atque perficienda erat. Hæc igitur mortua fides est. Contrà verò viua esse dicitur, quæ non solùm mentem illuminat, sed consentientes etiam sibi motus & affectus excitat in voluntate, vt pro ratione earum rerum, quas intelligit & credit, tales quoque affectus in voluntate accendat; quibus interdum ad diuini numinis amorem, aliquando ad salutarem metum, semper autem ad diuinorum præceptorum obedientiam incitat. Itaque sicut is qui ad citharam vel ad organa canit, variè vocem ad instrumenti sonum flectit, vt hæc duo sibi mutuò consona modulatione respondeant; ita fides viua hoc potissimùm efficit, vt duæ principes animæ nostræ vires, nempe intellectus & voluntas, ita sibi mutuò respondeant, vt pro ratione eorum, quæ per fidem concipit intellectus, voluntas moueatur & afficiatur. Subijciamus exemplum. Proponit fides intellectui ex-

Simile.

Simile.

Simile.

tremum illum Symboli fidei articulũ: Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignẽ æternum. Explicat autem hanc breuem sententiam viua fides hoc modo: Qui fidem cum pietate coluerint, ad felicissimam illam vitam peruenient, in qua regnabit vita sine morte, salus sine ęgritudine, lætitia sine mœrore, opulentia sine indigẽtia, felicitas sine miseria, ac omne denique bonum sine vllius mali contagio: in qua postremò pauper homuncio, qui nunc humi repit, ad diuinæ beatitudinis & gloriæ consortium (quod omnia superat vota) rapietur. Contrà verò qui vitiis & prauis cupiditatibus inquinatus fuerit, duo mala omnium grauissima incurret: nam & ab huius felicitatis communione excludetur, & in gehennę ignem coïjcietur, sicut Ioannes ait; Foris canes & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis seruientes, & omnis qui amat aut facit mendacium, hoc est, omnes hi & ab hac sempiternæ felicitatis gloria cadent; & foris, hoc est, in tenebras exteriores detrudentur. Cùm ergo humanus intellectus fide illuminatus, hæc voluntati proponit, voluntas verò partim desiderio tantæ felicitatis incensa, partim tantorum suppliciorum metu perterrefacta, & bona agere, & à malis abstinere omni studio atq. labore contendit, tunc planè à fide viua agitur & concitatur. Hæc est igitur fides qua iustus viuit, quæ hominem iustificat, quam Apostolus à nobis exigit, quam diuinæ litteræ vbique prædicant, quæ nos Christo copulat, quæ Christum Dominum in cordibus nostris habitare facit; ac postremò quæ (vt Ioannes ait) vincit mundum, nec mundum modò, sed vires etiam atq. potentiam inferorum. Vbi Sampson capillis suis ornatus erat, hominibus cunctis erat valentior; vbi verò fraudulentæ vxoris dolo capillos amisit, vires etiam omnes amisit, & infirmus, aliorũ hominum more, effectus est. Ad hunc ergo modum fides nostra, vbi piis & inflammatis motibus & affectibus, velut capillis ab ea prodeuntibus, instructa & ornata fuerit, omnibus mundi atque gehennæ viribus superior est: si verò is destituta sit (quod non rarò vitio nostro euenit) infirmũ, & telis omnibus expositum, & (quod ad mores attinet) similem aliorum hominum, qui fide destituti sunt, relinquit. Quot enim fideles sunt, qui, licet veram fidem habeat, nihilo meliùs quàm ethnici & exleges homines viuant! Sic enim peierant, sic detrahunt, sic rapiunt, sic omnia quæ viderint concupiscunt, sic denique in omnia flagitiorum genera sine vllo doloris sensu, & sine vllo diuini numinis metu rapiuntur, ac si prorsus fide carerent. Et hi tamen omnes fidem habent, sed, vt ita dixerim, more Sampsonis attõsam, hoc est, piis motibus & affectibus vacuam. Quod typicè olim Dominus in lege prohibere videbatur, cùm primogenitũ ouis, qui

Apoc. 22

1. Ioan. 5.

Iudicũ 16

Deut. 15

qui Deo erat consecrandus, tonderi vetabat. Constat enim, ouis nomine fidelem quemque designari; cuius ouis primogenitus, fides est: quoniam in spirituali virtutum sobole, prima omnium naturâ est fides. Hunc ergo primogenitum ne tondeamus, sed cum vellere suo Deo offeramus. Vellus autem à fide prodiens, virtutes omnes sunt, quæ cum fide consentiunt; ad quas nos ipsa fides inclinat, dum æterna & infinita bona piis, & æterna item supplicia improbis & flagitiosis constituta esse profitetur. Hunc verò primogenitum tondent, qui, sola informi fide contenti, omnes fidei fructus ac germina abscindunt; & ita quod verbis prædicant, moribus impugnant, dum cõfitentur se nosse Deum, factis autem negant. Tit. 1.

Sed hîc tamen non leuis insurgit quæstio; quî fieri possit, vt, qui hæc firmissima fide tenent, sese in omnia flagitia, sine vllo diuini numinis metu, præcipites agant? Ad hoc igitur respondemus, partim humana malitia, partim fraude antiqui serpentis id fieri; qui ea quæ Deus ad salutem hominum instituit, ipse ad eorum perniciem inuertere conatur. Sic ignis ille Babylonicus, in quem iussu regis impij, tres pueri coniecti sunt, verus vtique ignis erat; cuius tamen actio Dei virtute impedita fuit, ne in Dei cõfessores Dei creatura sæuiret. Sicut ergo tunc Deus naturalem ignis actionem propter electos suos in igne suspendit: ita contrà dæmon pios fidei motus in filiis diffidentiæ extinguit, vt aliter iudicent, & aliter afficiantur; & ita demum fidei, quam habent, actionem virtutemque suspendat; ne homines, vel dum horrẽda improborũ supplicia audiunt, metu concutiantur; vel contrà, cùm magnifica & admiranda Dei beneficia confitentur, in eius amorem rapiantur. Vtrumque enim animi motum, siue timoris, siue amoris, fidei lumen in pectore nostro (nisi diaboli astu & vitio nostro impediretur) ingeneraret. Non est ergo hæc fides, quæ hominem Christi participem facit, sed ea quam hactenus descripsimus.

II.

Vt hoc autem apertiùs intelligamus, fidei vigentis officium erga Christi crucem explicemus. Fides igitur velut digito Christum Dominum in cruce pendẽtem ostendens, idem vnicuique nostrûm dicere videtur, quod olim Ioannes Baptista Christum Dominum intuens dixit: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Quod perinde est ac si diceret: O fidelis anima, hic, quem in cruce appensum vides, peccata mundi sustulit; hic pro te æterno Patri satisfecit; hic pro te, quæ non rapuit, exoluit; hic iram diuini numinis auertit; hic chirographum peccati deleuit; hic te à diaboli tyrannide eripuit, hic tibi clausas cælestis regni fores aperuit; hic in te Spiritum sanctum effudit; hic Ioan. 1.

te regni cælestis hæredem instituit; hic te diuinæ naturæ consortem effecit; ac postremò hic tibi morte sua immortalitatis gloriam contulit. Vbi ergo voluntas hoc fidei testimonio inducta, parem his beneficiis amoris affectum exhibet, viua fides esse dicitur, qua pendentem in cruce Dominum aspicere debemus. Quem quidem aspectum typicè à nobis Dominus requirit, cùm ænei serpentis aspectu vulnera hominum sananda esse prædixit. Quisquis igitur venenato serpẽtis antiqui morsu sauciatus est, in Christi cruce remedium sibi paratum esse cognoscat, si his fidei oculis, quos modò descripsimus, illum intueatur. Subiiciamus autem, quo res fiat dilucidior, huius rei exemplum. Cùm Rebecca è Mesopotamia in terram Chananæorum cum seruo Abrahæ veniret, vt Isaac matrimonio copularetur, isque per id temporis obuiam ei pergeret, quærit illa à seruo, Quis est ille vir qui venit in occursum nobis? Cui ille, Ipse est, inquit, dominus meus Isaac, tuus videlicet sponsus. At illa descendit è camelo cui insidebat, tulitque citò pallium suum, seque ita composuit, vt ante illum honesta specie atque habitu appareret; nec dubium est, quin protinus hoc responso accepto, quædam casti amoris flãma, pudori & verecũdiæ coniuncta, in eius pectore excitata sit: quem quidem affectum atque animum cognitio illa peperit, qua sponsum suum seruo nunciante cognouit. Quod ergo seruus Abrahæ fecit, hoc in nobis quotidie fides facit, quæ voluntati, tanquã Rebeccæ, Christũ Dominum velut digito indicans. Hic, inquit, ô fidelis anima, est sponsus tuus, qui sibi naturã humanã in vnitate personæ indissolubili vinculo copulauit: hic est verus Isaac, qui pro salute tua in ara crucis immolatus est: hic itẽ Rex tuus, qui te Spiritu suo regit ac dirigit, & à sempiterno generis humani hoste defẽdit: hic pastor tuus, qui te & pane Angelorum, & doctrinæ suæ pabulo quotidie reficit & alit: hic medicus tuus, qui sacramentorum & gratiæ suæ medicamentis sanat omnes languores tuos: hic pater tuus, qui te lõgè feliciùs in cruce regenerauit, quàm prior ille in paradiso genuit: hic denique assertor est & vindex libertatis tuæ, qui te à malorum omnium fonte, hoc est, à peccato & carnis tyrannide per crucem suam liberauit, Apostolo testante, qui ait: Vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltrà non seruiamus peccato. Sed ne hęc quidem nomina, & plura alia, quæ longũ esset recẽsere, satis eius in nos charitatem & magnifica beneficia declarant. Est quidẽ ille pater, sed ita pater, vt cùm ego iam morti destinatus essem, ipse pro me mortis supplicium subierit, vt ego in vita retinerer. Est quidem ille liberator atque redemptor meus, sed me tamen ita liberauit, vt, cùm ego perpetuò ad triremes damnatus, & ferro

Genes. 24

Rom. 6.

vinctus

vinctus essem, ipse in triremem descenderit, & pedes suos non vinculis, sed ferreis clauis figi passus sit, vt ab hac ego sententia liberarer. Denique cùm ego in faucibus leonis rugientis iam iam deuorandus essem, ipse se pro me rugienti leoni escam prębuit, vt ab eius ego faucibus eriperer. Num ergo pater aliquis tot se periculis & cruciatibus propter amantissimi filij vitam exposuit? Quibus igitur oculis talem patrem nos aspicere par est, fratres?

Si ergo tot amandi rationes fides nobis prædicat, sinamus hanc tantam lucem vlteriùs progredi, & ad sinum vsque voluntatis permeare, vt tot diligendi causis voluntas nostra pari dilectione respondeat. Si enim vnumquodque horũ beneficiorum partem amoris nostri suo sibi iure vindicat? quid omnia in vnum collecta facere par est? Canonicę leges hac ratione potissimum matrimonia inter consanguineos prohibent, ne concupiscentiæ ardor, qui per se satis inter coniuges accensus est, consanguinitatis accessione magis accendatur. Itaque quo plures amandi rationes in vnam personam coëunt, eo magis dilectionis flamma solet excitari. Cùm ergo tot amandi causæ in vno Saluatore nostro ita conspirent atque consentiant, vt nulla amandi ratio sit quæ non in illum plenissimè cadat; consequẽs profectò erat, vt vniuersas amoris nostri fibras in illum profunderemus, quo huic summo iustitiæ debito aliqua saltem ex parte responderemus. Hunc igitur animum, hunc amorem, hunc fidei vigentis motum ad salutem nostram requiri, satis apertè Dominus monstrauit, cùm malorum nostrorum remedium in mystici serpentis, hoc est, in Christi Domini crucifixi aspectu constituit.

III.

Nunc, fratres, quid ex his, quæ hactenus dicta sunt, ad vitæ nostræ institutionem colligi possit, inspiciamus. Principiò igitur illud consequens est, vt eum, qui tam magnifica in nos munera contulit, tota mente totisque viribus diligamus, illum semper intueamur, illius laudes, & gloriam, & magnificentiam vbique decantemus, illi pro tanto hoc salutis nostræ beneficio immortales gratias agamus, illius nos obsequio & imperio sempiterna seruitute addicamus, & (quod caput est) in vno illo spes omnes opesque nostras repositas habeamus. Hoc autem tacito quodã magisterio nobis prædicat illa crux, illi claui, illa spinarum corona, ac sacrum illud Dominicæ passionis mysterium. In medio quidem paradisi olim plantauerat Deus lignum vitæ; at modò in Ecclesiæ paradiso lignum spei in cruce Christi conseuit. Quamuis enim pretiosum hoc lignum omnes virtutum & gratiarũ fructus germinet, tamẽ singulari quadam

ratione salutarem spem atque fiduciam in piorum mentibus profert. In ligno quippe crucis tum Dei virtus & potentia, tum flagrantissima in genus hominum charitas mirabiliter elucent. Potentia quidem, quoniam Dominus illa tāta infirmitate atq. ignominia crucis, totam mundi potentiam strauit, & diaboli regnum (quod latissimè patebat) euertit, & ad se omnia traxit, sicut ipse ait; Ego, si exaltatus fuero à terra, omnia trahā ad me ipsum. At verò diuinæ bonitatis & charitatis erga homines magnitudo sic in cruce declarata est, vt ipse Dominus dixerit; Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animā suam ponat quis pro amicis suis. Si igitur Dominica crux tam euidenti argumento probat atque testatur, eum, qui in illa pendet, tum potentissimum, tum etiam mihi amicissimum esse; quid ego sub tali protectore metuere, quid non ab illo sperare, quid non mihi de eius immensa potentia & charitate polliceri potero? A quibus enim beneficia in alios manare solent, nisi ab his, qui & possunt, & volunt beneficiis alios afficere? Vbi igitur tanta potentia, tantaque in nos charitas elucet; cur diffidere, cur dubitare, cur trepidare, cur angi & solicitus esse debeam, si me totum humili ac fidenti corde illius tutelæ atque prouidentiæ commisero? Quid enim (ait Fulgentius) in eo deesse potest, in quo & omnipotens misericordia, & omnipotentia misericors est? Quisquis igitur hanc spem & dilectionem ex crucis mysterio concepit, is planè altissimam crucis philosophiam assecutus est; idemque Dominicam crucem cum Helena sancta inuenit: hoc est enim spiritualiter crucem Domini inuenire. Parum enim profuerit salutare crucis lignum inuenire, nisi crucis mysterium, & philosophiam simul inueniamus, quæ in hac spe & dilectione constituta est. Ad has autem virtutes ex crucis mysterio hauriendas, ipsa etiam crucifixi Domini species (vt quidā ex Patribus ait) nos omnes erudit. Cùm is enim brachia sua in cruce aperta atque expansa præfert, an non immensæ charitatis suę latitudinem nobis ostendit, à qua ne ipsos quidem carnifices suos exclusit, pro quibus ad Patrem orauit? Cùm verò manus pedesq. clauis in ligno constrictos tenet, satis indicat, se nos ibidē patienter ad pœnitētiam exspectare, nec à nobis vsquam aufugere posse. Quòd verò sacratissimum pectus suum ferro aperiri voluit, quid aliud significat, nisi quòd facilem nobis aditum in præcordia sua patefecerit, vt ibidem dilectissima eius viscera contemplemur, in eo ob omnibus huius vitæ periculis tuti conseruemur? Iam verò quòd totum pro nobis sanguinem fudit, quòd mortem pertulit, quid aliud designat, quàm quòd nobis & seipsum, & vitam suam impendere cupiat? Hac igitur ratione crucifixi Domini species nostram

Ioan. 12.
Ioan. 15.
Fulgent.

nostram in illum spem mirabiliter erigit & accendit.

Ceterùm si hæc tanta spes parum certa & firma esset, nutare vtique infirmitas nostra, & hæsitare potuisset. Quam tamen hæsitationem Dominus sustulit, cùm per Prophetam dixit: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum; Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Satis quidem ad spei nostræ firmitatem erat diuina promissio, etiam si iureiurando firmata non esset. Quid igitur cùm ea iuramento firmata est? Quæ ergo tam imbecilla & nutabunda spes erit, quæ hoc duplici firmitatis vinculo munita languescat? Cur autem Christum Dominum Sacerdotem esse ait secundùm ordinem Melchisedech? Quia nimirum is Rex simul & sacerdos erat: quod maximè Christo Domino cõuenit, qui & Rex & Sacerdos noster est. Quid igitur ex his conficitur? Certè vt intelligamus, & regia & sacerdotalia beneficia nobis à Christo sperãda esse. Ad Regem autem spectat, magnifica in populares suos munera conferre; ad Sacerdotem verò preces pro populo suo ad Deum fundere, & commissorum veniam, & salutarem in necessitatibus opem impetrare. Hæc igitur duo præstantissima officia Christus Dominus in Ecclesia exercet: dum magnifica in nos beneficia confert, & pro nobis apud Patrem sine intermissione aduocat, & vulnerum suorum ostẽsione causam nostram apud illum agit. Vtrumque autem hoc munus & officium, pretiosum crucis lignum nobis apertissimè repræsentat. Crux enim velut imperij Christi sceptrũ & insigne est, quod regiam eius potentiam (qua mundum imperio suo subiugauit) declarat: & crux item ara illa est, in qua summus hic Sacerdos seipsum æterno Patri pro nobis obtulit in sacrificium. Qua ex re liquet, in cruce Dominum hæc duo summæ dignitatis officia, Regis videlicet & Sacerdotis, singulari quadam ratione exercuisse.

Psal. 109.

Hoc est igitur, fratres, quod Dominicæ crucis mysterium nobis tacendo prædicat. Illa nobis mirabilem Christi potentiam, illa flagrantem eius in homines charitatem, illa eius regnum, illa sacerdotium apertissimis argumentis declarat. Hæc autem omnia & dilectionem à nobis exigunt, & spem nostram roborant atque confirmant. Hæc enim singula salutem, hæc firma præsidia, hæc cælestes opes nobis pollicentur. Quanta ergo illorum insania est, qui hoc bonorum omnium fonte relicto (vnde salutarem aquam, quæ eorum sitim extingueret, haurire possent) per turbidas Aegypti lacunas miserrimè vagãtur, vt sitim expleant! O miseri mortales, quò cæci & amentes pergitis? Cur cum tanto vestro labore infidum atque fallacem mundum insano amore diligitis? cur fugientem sequimini? cur fe-

rientem

rientem amplectimini? cur deniq. toties mentienti, & spes vestras deludēti fidem habetis? Rectè sanè contra vos D. Bernardus, Mundus, inquit, clamat, deficiam; caro clamat, inficiam; dæmon clamat, decipiam; Christus clamat, reficiam; & tamen ea est mentis nostræ cæcitas & amentia, vt Christo, nos ad se amantissimis verbis inuitante, relicto, deficientem mundum, carnem inficientem, ac dæmonem decipientem sequamur. Quantus, quæso, ille mundi amor est, qui ne tot quidem eius plagis atque repulsis extingui potest!

Bernard.

Verùm dicet fortasse aliquis: Tu in Christo mihi & bona omnia, & malorū omniū remedia polliceris; at ego multos eius cultores video variis calamitatibus afflictos, maximaq. inopia & egestate oppressos. Huic quæstioni diuus Basilius respondet, dum tristiū naturam per Christi Domini passionem commutatam esse asserit. Posteaquā enim summus ille rerum omnium Dominus pro salute nostra calicem hausit passionis, & labores atque dolores in corpore suo consecrauit ac nobilitauit, & per illos iter omnibus in cælum patere docuit; tunc apud pios omnes id effecit, vt in mœroribus lætitiam, in laboribus solatium, in paupertate diuitias, & in ignominia gloriam & honorem inuenirent. An nō hoc ipsum satis apertè illa Apostoli verba testantur? In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur; humiliamur, sed non confundimur; deiicimur, sed non perimus. Vnde autem hæc tanta virtus, nisi ex crucis Christi virtute, manauit? Ideoq. meritò idem Apostolus in ea gloriatur, quòd per illam & mundum sibi, & se mundo mortuum esse prædicabat. Vt enim mundus mortuorum corporibus nocere non potest, etiam si mille in ea iacula contorqueat, ita nihil in Apostolum poterat: quia crucis Dominicæ virtus impenetrabilem ipsum omnibus mundi telis effecerat. Qui enim in plagis, vinculis, & carceribus adeò non angebatur, vt in ipsis etiam, tanquā in regiis triumphis, gloriaretur; an non eò iam deuenerat, vt superior mundo factus, omnibus eius telis minimè læderetur? Hoc autem vel maximè crucis Christi virtutem illustriorem facit, quandoquidem longè maius atque excellentius est, malis mundi non lædi, quàm ab eisdem liberari. Hoc enim Reges terræ aliquando præstare possunt, illud autem solius diuinæ potentiæ gratuitum & supernaturale munus est.

Basil.

2.Cor.4.

Galat.6.

IIII.

Hoc igitur primum est, fratres, quod ex mysterio Dominicæ crucis colligere licet. Est & aliud nō minus ad salutem nostram necessarium, quod ex iis, quæ à nobis paulo antè dicta sunt, in-

telligimus.

telligimus. Diximus enim, medicinam eorum, qui à serpentibus infestabantur, in serpentis ænei aspectu positā fuisse. Hoc autem mysticè nobis innuit, omnium malorum nostrorū medicamentum in crucifixi Domini comtemplatione consistere. Quo fit, vt, quisquis mentis suæ oculos diutiùs in hac contemplatione defixerit, non modò commissorum veniam, sed etiam gratiarum atque cælestium donorum incrementa sit à Domino percepturus. Est enim pretiosum crucis lignum vitæ arbor, quod in medio paradisi, hoc est, in Ecclesia sua Dominus plantauit: in medio, inquam; non in angulo: quoniam ad omnes omnium ordinum homines virtus eius latissimè patet. Voluit enim diuina sapientia, vt, quoniam inobedientiæ ligno mors irrepserat in mundum, obedientiæ ligno vita reuocaretur in mundum. Quod quidem Sponsus in Cant. ad Sponsam declarauit, cùm dixit: Sub arbore malo suscitaui te, ibi corrupta est mater tua. Mater enim omnium viuentium Eua, dum vetitæ arboris fructum degustauit, inobedientia sua & se & totam generis humani massam corrupit. Quocirca ego contraria via ingrediens, dum per obedientiam in arbore crucis pendeo, vitam tibi, quam amiseras, contuli. Vt illud igitur lignum mortis, ita hoc lignum vitę meritò appellatur: ex quo planè ad illos copiosior cælestis vitæ gratia manat, qui per studium, amorem, deuotionem, & assiduam summi huius beneficij recordationem, illi propiores & coniunctiores fiunt. Si enim crux Christi donorum omnium fons & origo est; sequitur planè, eos, qui propiùs ad hunc fontem accesserint, vberiùs ex eo potaturos, vberioremque gratiarum omnium copiam percepturos. Ad illum porrò accedimus, non passibus corporis, sed affectibus mentis, hoc est, fide, spe, charitate, deuotione, cōpassione, & grati animi obsequio pendentem in cruce Dominum contemplantes. Quod faciunt, quicumque quotidiano hoc studio Dominicæ passionis beneficium meditantur.

Cant. 8.

Constat præterea, quòd quemadmodum (vt D. Bernard. ait) ingratitudo est, ventus vrens, exciccās fluenta diuinæ gratiæ; ita contrà gratitudo, omnium gratiarum venas aperit. Dignus enim est, vt nouis beneficiis cumuletur, qui veteribus gratus inuenitur. Quem affectum vsque adeò à nobis in passione sua Dominus requirit, vt ad eius memoriam excitandā, sacramentorum omnium maximum, videlicet Eucharistiam instituerit. Hoc, inquit, quotiescumq; feceritis, in mei memoriam facietis. Hunc autem memoris & grati animi affectū exhibemus, cùm quotidie statis horis atque temporibus, eius piæ considerationi vacamus. Qui sic igitur huic summo beneficio gratus est, an non est æquum vt præ cæteris eius particeps efficiatur?

Bernard.

Luc. 22.

Postremò

Postremò piè credendum est, eum, qui in hoc studio ad finem vsque vitæ perseuerauerit, singulare aliquod auxilium in tremenda illa mortis hora (quæ nos omnes præstolatur) à Domino esse percepturum. Cùm enim Dominus dixerit, eadem mensura qua alios metimur, nos esse remetiendos; consentaneum est, vt ei, qui tota vita morienti Domino in cruce deuotus astitit, idem ipse Dominus in eius quoque morte præsenti ope assistat, protegat, consoletur, in spem salutis erigat atque confirmet, à sempiterno generis humani hoste defendat, & ad cæleste tandem regnum, quod ille sanguinis sui pretio mercatus est, felici cursu perducat.

IN CONCIONES BEATISSIMÆ VIRGINIS CATHARINÆ SENENSIS, AD LECTOREM PRAEFATIO.

SVNT, amice lector, adeò miranda quæ de beatæ virginis Catharinæ gestis, miraculis, atq. virtutibus referuntur, vt iis qui incomparabilem Dei erga suos charitatē minus perspectam habent, incredibilia forsitan videri possint. Quocirca priusquā de his dicere incipiam, quāta sit iis, quæ de ea dicuntur fides habenda, & cur habenda sit, explicare necessariū duxi.

Primùm quidē res gestas huius virginis multi literis mandauerūt, sed omnes ferè scripta sua ex Reuerēdi P. F. Raymundi historia hauserūt; qui cùm sacræ virginis confessarius esset, ea quæ scripsit, partim ex ipsius virginis ore audiuit, partim ipse testibus oculis vidit, partim etiam ab aliis fide dignissimis accepit. Fuit autem hic vir & litteris, & vitæ integritate, & singulari prudentia adeò celebris, vt totius Prædicatorij Ordinis (quæ summa apud nos dignitas est) generalis Magister creatus fuerit. Hic igitur vir adeò insignis iureiurando cōfirmat, se nihil in ea historia dicturū cuius testimonium, & rationem qua id sibi compertum fuerit, non afferat.

Scripsit etiam nonnulla de huius virginis virtutibus R. P. Stephanus Senensis, Prior Carthusiæ Ticinensis, qui antequam hoc vitæ institutum profiteretur, familiaris admodum huic virgini, & amanuensis eius fuit, omniumque itinerum eius comes indiuiduus. Qui etiam solemni iuramento eorum quæ scribit, quorumq; oculatus testis extitit, fidem facit.

Quamquam autem horū duorū insignium virorū testimonia iureiurando confirmata ad faciendam fidem satis essent: maiorem tamen adhuc fidē facit Pij Pontificis Max. bulla, qua sacra virgo in sanctarū Virginū catalogū relata fuit: in qua omnia ferè, quæ de ea in eius vita referuntur,

Ap-

Apostolica auctoritate cõfirmata sunt. Ab eo namque Fredericus Romanorum imperator, Senensis ciuitas, ac Venetiarum Dux suis precibus, vt hanc virginẽ, ob singulares eius virtutes (quæ in processibus summa auctoritate conscriptis continebantur) in Sanctorum catalogum referret, postularunt. Quorum precibus, inquit Pius Papa in eo diplomate, non statim annuimus, sed pro veteri cõsuetudine fratribus nostris, sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus, vni Episcopo, alteri Presbytero, reliquo Diacono viuæ vocis oraculo cõmisimus, vt habitis processibus de vita & moribus ipsius beatæ Catharinæ, deq; miraculis eius siue in vita, siue post mortem patratis, & de reliquis ad canonizationẽ necessariis diligẽter inquirerent, nobisq; in secreto consistorio, vt moris est, fidelem relationem facerent. Commissarij autem per annum, & vltra, donec ex Mantua Romam rediissemus, rem discutientes, inuentis processibus antiquis apud Venetos & alios habitis, examinatisq; de nouo testibus, & summa cum diligẽtia cunctis ponderatis; cùm seorsum inter Cardinales tantũ, omniumq; quæ inuenerant, veracẽ nobis relationẽ fecissent, ac deinde per aduocatum ea quæ nobis exposuerant, in publico consistorio denuò recitari curassent; postremò conuocatis in aula nostra Romæ vniuersis qui tunc erant in curia Ecclesiarũ Præsulibus, assistẽtibus nobis Cardinalibus, iterum Commissarij præfati, per organũ venerabilis fratris nostri Gulielmi Episcopi Portuensis, natione Gallici, qui primus eorum erat, rursus cuncta quæ inuenerant & ritè probata videbantur, coràm explicauerunt. Ex quorum relatione, quæ amplissima fuit, hæc summatim accepimus, quæ vera, cõperta, cognita & explorata sunt. Virgo Catharina ex ciuitate Senẽsi oriunda, mediocribus orta parẽtibus, prius Deo sese dedicauit, quã Deum posset per ætatem cognoscere. Sex annos nata, vt Domino seruiret, eremũ concupiuit: & vrbe egressa, in cauerna quadã, loco solitario, delituit, quãuis, iubẽte Spiritu, paululum demorata domũ redierit. Angelicam salutationẽ edocta, quoties paternæ domus scalam ascendit, toties per singulos gradus flexo geniculo beatissimam Virginem matrem Domini salutauit. Et anno maior, virginitatem suam cõsecrauit Christo, quem in sua maiestate sedentem mirabili visione contemplata est, & arcana cælestis aulæ vidit, quæ non potest effari lingua mortalis. Mundanas delicias à se omnes abdicauit; orationi totã se dedit; corpusculum suum ieiuniis ac verberibus afflixit; coæquales puellas, vt idem facerent, & docuit & persuasit. Pubes effecta, scissis crinibus, mortale cõiugium recusauit, conuicia & maledicta hominum spreuit. Beati Dominici habitum (quem feminæ gestant de pœnitentia nuncupatæ) extorsit potiùs quàm impetrauit. Ancillare officium in paterna domo exercuit, nihil magis cupiens quàm vilis apud homines & abiecta videri. Pauperibus Christi (nã id pater sibi indulserat) larga manu subuenit: ægrotantibus summa diligentia ministrauit. Diabolicas tentationes, & assiduas malignantium spirituum pugnas, patientiæ clypeo & fidei galea superauit. Incarceratos & oppressos, quibus valuit modis consolata est. Nullum ab ea verbũ non religiosum, nõ sacrum excidit.

Verba sunt Pij Papæ II.

Omnis sermo eius de moribus fuit, & de religione, de pietate, de contẽptu mundi, & amore Dei & proximi, deq; cælesti patria. Nemo ad eandẽ accessit, qui non doctior meliorq; abierit. Doctrina eius infusa, nõ acquisita fuit. Prius magistra visa est quã discipula: quippe quæ sacrarũ litterarũ professoribus, ipsisq. magnarum ecclesiarũ Episcopis difficillimas de diuinitate quæstiones proponẽtibus, prudentissimè respondit: adeoq; satisfecit, vt tanquam agnos mansuefactos remiserit, quos tanquam lupos & leones ferocientes acceperat. Quorum nonnulli diuinam in virgine sapientiam admirati, distributis mox inter Christi pauperes quas possidebãt substantiis, accepta Domini cruce, vitam deinde Euangelicam egerunt. Summa huius virginis abstinẽtia fuit, & mirabilis vitæ austeritas. Nam cũ vini & carnium vsum prorsus abiecisset, neq. pulmentariis vilibus vteretur, ad extremum eò deducta est, vt nec legumina ederet, nec pane vesceretur, nisi cælesti; quem verus Christianus in Sacramẽto sumit altaris. Inuenta est aliquando à die Cinerum vsque in Pentecosten ieiuniũ produxisse, sola Eucharistiæ cõmunione contẽta. Per annos circiter octo minimo herbarum succo, eoq; parũ retento, & Communione sacra sustẽtata est. Ad cibum, quasi ad supplicium pergebat: ad Communionem altaris (quæ illi ferè quotidiana fuit) quasi ad cælestes nuptias inuitata esset, summa cũ alacritate proficiscebatur. Cilicio sub veste vtebatur, quo carnẽ macerabat, nullæ illi plumæ, nulla puluinaria erãt. Lectum sibi ex asseribus construxit, atque in eo iacens breuissimum somnum accipiebat. Rarò enim vltra duas horas interdiu noctuq; dormiebat: reliquum omne tempus vigilando, orando, prædicando, opera misericordiæ agendo contriuit. Spinosis chordulis carnem suam macerauit: dolore capitis penè assiduo torquebatur, æstuabat febribus, nec illarum cruciatu carebat. Luctabatur quàm frequentissimè cum dæmonibus, multisq. illorum molestiis vexabatur, sed aiebat cum Apostolo: Cùm infirmor, tunc fortior sum. Nec enim in tantis laboribus deficiebat nec charitatis opera negligebat. Assistebat miseris indigna ferẽtibus, arguebat peccatores, blãdissimis verbis ad pœnitentiam reuocabat; præcepta salutis omnibus læta dabat. Quid sectandum, quid fugiendum esset, alacri vultu ostendebat: dissidentes summo studio componebat: multa extinxit odia, & mortales sedauit inimicitias. Pro pace Florentinorum, qui cum Ecclesia dissidebant, & interdicto suppositi erant Ecclesiastico, Apenninum & Alpes transire, atque vsque in Auinionem ad Gregorium XI. Pontificem Max. antecessorem nostrum proficisci non dubitauit. Cui totum suum de petenda vrbe Roma in occulto factum, sibi soli ac Deo notum, sese diuinitus cognouisse mõstrauit. Fuit enim in ea spiritus prophetiæ: multa prædixit antequam fierent, & occultissima reuelauit. Rapiebatur sæpe à spiritu, & in aëre suspensa diuinis contemplationibus pascebatur: adeò extra se acta, vt expuncta, percussaque nihil omnino sentiret. Idque frequenter sibi contingebat, cùm diuinissima reficeretur Eucharistia. Magnum & sanctum erat in plebibus Catharinæ nomen; vndique ad eam ægroti & malignis vexati

.C 1.12.

spiritibus

spiritibus deducebantur, & multi curabantur. Languoribus in Christi nomine imperabat, & dæmones cogebat ab obsessis abire corporibus. Propter quas res duobus Romanis Pontificibus, Gregorio (cuius paulo antè meminimus) & Vrbano VI. acceptissima fuit: adeò vt legationibus eorũ fungeretur, multisq; & magnis spiritualibus gratiis ab eis donaretur. Eadem, cùm vitæ agonem iam peregisset, anno ætatis suæ tertio circiter ac trigesimo, in vrbe Roma diem suum clausit. De cuius animæ in cælũ assumptione & gloriosa receptione, stupẽdæ & admirabiles reuelationes factæ reperiuntur apud eas personas, quæ virginẽ dilexêre. Maximè verò apud eius confessorẽ Raymundum Capuanum, sacræ Theologiæ Magistrũ, qui postea Generalis totius Ordinis Prædicatorũ pater, Magister & Rector effectus est. Is namque cùm Genuæ ageret, ea nocte qua virgo migrauit, hora matutina intra dormitorium apud imaginem matris Domini eam contemplabatur miro splendore fulgentem, & verba ad se consolatoria dicentem. Corpus aliquandiu seruatũ, deniq. in Ecclesia fratrũ Prædicatorum, quæ de Minerua dicitur, Romæ cõditum est, non sine maxima populi deuotione ac reuerentia. Cuius tactu plerique ægroti salutem consecuti sunt: adeò vt nõnullis saluti fuerit, ea tetigisse quæ sacratæ virginis membra tetigere. Postea quoq. virgo ipsa iam cælo recepta, vota supplicantiũ benignè audiuit, & vt à sponso & Domino suo Christo Saluatore exaudirẽtur, curauit. Multi enim ex diuersis ægritudinibus curati sunt, qui audita beatæ Catharinæ gloriosissima fama, eius patrociniũ subitò petiuêre. Propterea Venetiis (vbi nunquam virgo ipsa fuerat) & multis in locis nomen eius cum veneratione repertum est, & vota ei plurima fiunt. Hæc & alia quàm plurima cùm venerabilis idem Episcopus Portuensis in cõuentu Cardinalium & Præsulum exposuisset, & liquidò probata esse affirmasset, rogati sigillatim omnes, cùm Cardinales, tum Præsules, qui plurimi affuerunt, sententiam dicere; cunctorum suffragiis beata virgo digna cælo & astris declaranda visa est: nec quisquam fuit, qui non magnopere canonizationem eius faciendã probauerit. Hactenus diplomatis verba. Hoc igitur Apostolicæ sedis testimonium satis cuiq. esse debet ad eorum quæ dicturi sumus, fidem faciendam. Quamuis ea de re nonnulla postmodum referemus, vt omnem hæsitandi materiam timido auditori minusque in spiritualibus negotiis experto adimamus.

Cæterùm diligenter mihi huius virginis vitã contemplanti apparet, omnia quæ de ea litteris mãdata sunt, ad duo præcipuè capita referri posse: aut enim præclaras eius virtutes & officia continent; aut singulares gratias & priuilegia, quæ in illam cælestis Sponsus contulit, explicant. Ex vtriusque autẽ rei narratione colligere licet, qualis sacra virgo erga spõsum suum extiterit, qualisq rursus cælestis sponsus erga eam fuerit. Quæ tamen sic accipienda sunt, vt nequaquam alterum ab altero secernamus. Nec enim minus Dei dona sunt, quæ virgo ob sponsi sui amorem fecit & pertulit, quàm dona quæ ab eo recepit. Verùm nos docendi gratia alterum ab altero, quatenus licuerit, secernere curabimus. Duæ igitur

priores conciones, eximias virginis nostræ virtutes; duæ verò posteriores, singularia vereq. miranda Dei dona explicabũt. In quibus tamen multa penè ad verbum ex vitæ eius historia, rudiori sermone (vt in ea continebantur) transcripsimus, studiosi Lectoris iudicio, quid in illis præcipuè annotare & ponderare debeat, relinquentes. Sed inter hæc tamen immẽsa Dei bonitas & charitas, quam erga eas mentes ostendit quæ se totas illius amori & obsequio plenissimè tradiderunt, cum primis mihi obseruanda esse videtur. Huius enim rei consideratio ad tantæ bonitatis & charitatis amorem nos vehementer excitabit. Illud certè de me fateri possum, cùm multa de diuinæ bonitatis & charitatis amplitudine vbique legerim, nihil tamen (post ineffabile Dominicæ incarnationis mysterium) legisse, quod maiorem mihi diuinæ bonitatis & charitatis significationem præbuerit, quàm huius virginis res gestæ, & singularia priuilegia, quæ illi à Domino concessa sunt. Erunt fortasse alia quæ magis alios moueant, quæque ad hoc efficiendum potentiora sint; mihi autem pro captu & ingenio meo hoc euenisse negare non possum.

IN FESTO BEATISSIMÆ VIRGINIS CATHARINÆ SENENSIS, CONCIO PRIMA: in qua sanctæ huius virginis gloriosa initia, varij pro Christo suscepti labores atque certamina explicantur.

THEMA. *Simile est regnum cælorum grano sinâpis.* Matth. 13.

SCITIS iam, fratres charissimi, regni cęlorum nomine, non ipsum modò cælorum regnum, sed omnia etiam quæ ad hoc regnum pertinent, designari. Hoc autem in loco, regni cælorum nomine præsens Ecclesia significatur; quæ grano sinâpis duplici ratione comparatur: altera, quòd à paruis initiis ad maxima incremẽta peruenerit; quod in grano sinâpis animaduertere licet, quod in terram iactum, in latam arborem surgit: altera, quòd quemadmodum cùm hoc sinâpis granum teritur & contunditur, tunc vel maximè vim & acrimoniam suam demonstrat. Quæ quidem proprietas nõ minus quàm prior illa in Ecclesiam cadit; quæ tunc vel maximè virtutem & fortitudinem suam ostendit, cùm variis tyrannorum cruciatibus & tormentis pressa & veluti contusa fuit. Cuius rei imaginem in filiis Israël, Pharaonis tyrannide oppressis, cernere licet: qui quo ma-

gis opprimebantur,eo magis crescebant & augebantur. Vtroq. autem nomine hæc grani sinâpis similitudo beatissimæ virgini Catharinæ(quæ non minima huius Ecclesiæ pars est)hodie accommodatur;quoniam humili & obscuro loco nata, ad altissimam sanctitatis dignitatem Domini beneficio euecta fuit; & quoniam multis modis tum à dæmone impetita, tum à seipsa ieiuniis,vigiliis, orationibus & verberibus grauissimè macerata,inæstimabilem virtutis & sanctitatis odorem dedit. Et quidem priorem illam similitudinem in sequenti concione,posteriorem verò hanc in præsenti tractabimus.

Priùs tamen pium auditorem admonitum velim, me in hoc sermone aliam dicendi rationem, quàm quæ & mihi & cæteris concionatoribus in vsu est,sectatum fuisse:non tam enim concionatoris,quàm historici officium suscepi. Si enim singulis virginis virtutibus amplificandis paulo diutiùs (sicut in aliis concionibus quæ de Sanctis haberi solent)immorer, maxima pars virtutum & clarissimorum operum eius silentio tegeretur, auditoresque maximarum atque vtilissimarum rerum cognitione (quod nulla ratione ferendum erat) fraudarentur. Nos igitur gesta quidem simplici oratione narrabimus: vestrum autem erit singula quæque iustis ponderibus librare, & vestris moribus accommodare.

Ab eius igitur infantia initium capientes; virgo sanctissima quinque tantùm annos nata,mentem suam ad diuina attollere cœpit. Siquidem salutationem edocta Angelicam, illam crebrò repetebat, & cælitus permota, cœpit per singulos paternæ domus gradus,cùm ascendendo,tum descẽdendo,ad singulos singulas flexis geniculis Virginis matris salutationes promere,& in eius piis studiis magis ac magis proficere. Hoc exemplo pij parentes discant filios suos in ipsa adhuc infantia diuinis præceptis imbuere,vt cum materno lacte pietatem simul sugere incipiant. Vnde D. Hieronymus matrem monet, vt in cunis etiam filias alleluia decantare doceat. Nulla enim ætas, quamlibet tenera sit,cælesti disciplinæ perdiscendæ immatura est.

salutatio Angeli

Hieron. in Epist.

Paulo autem plus ætate progressa, ad seruandam virgineam puritatem vehementer aspirabat:cognouitque,Deo reuelante, beatissimam Dei genitricem omnium primam nuncupasse perpetuæ virginitatis votum. Itaque anno ætatis septimo,non vt septennis puella,sed vt planè grandæua,maturè ac diu de eiusmodi præstãdo voto secum deliberauit; assiduè rogans matrem Domini,Virginum & Angelorum Reginam, vt à Domino ipsi impetraret gratiam id faciendi quod esset illi gratius & suæ saluti conducibilius. Atque interim augescebat in ea quotidie feruor amoris diuini, & desiderium puritatis Angelorum. Vnde

 intelli-

intelligens quid Domino placeret, quadam die secretum petiit locum, & flexis humi genibus sic precata est beatissimam matrē Christi: O Virgo sacratissima, quæ prima inter feminas perpetuam Domino virginitatē vouisti, qui te voluit esse matrem vnici Filij sui, obsecro benignitatem tuam, vt non attentis meritis meis digneris mihi sponsum dare Filium tuum, quem totis animæ visceribus concupisco: & ego promitto & illi & tibi, quòd nullum vnquam admittam sponsum, sed virginem me illi perpetuam conseruabo. Ita septem nata annos, Christo sponso suo immortali suam dedicauit virginitatem.

Quia verò virginum est, carmen illud ore atque opere cælesti sponso decantare, Regnum mūdi & omnem ornatū seculi contempsi propter amorē Domini mei Iesu Christi, capillos in primis, qui præcipuus feminarū ornatus est, quòdam Dominicano Patre suadente, sibi ipsa ad cutem vsque abscidit. Quod vbi Lapa mater vidit, clamare & fremere aduersus filiam cœpit, quòd elegantissimos capillos perditos cerneret. Clamore autē matris permoti maritus & filiæ accurrunt, cognitaque causa grauiter cōmouentur. Inde porrò alterum virgini ortum est certamen, priori acrius: sed Deo bene iuuante, victoria cessit virgini, & ipsa quoque impedimenta salutis & casti propositi eius versa sunt ei in instrumenta virtutis, & profectus spiritualis adiumenta. Iam palàm parentes & dictis & factis eam persequebātur, iactabātque in eā cōuicia, & minas intētabant, ita dicentes: Putásne vilissima, quòd defectis crinibus à nostra te possis voluntate subducere? rumpātur licet ilia tibi, marito copulaberis. Simul etiam omni secreto loco illi interdixerūt, & seruitiis domus eam perpetuò voluerunt occupari, ne posset se Christo sponso suo coniungere & precibus vacare. Atque vt intelligeret se planè haberi contēptui, amota ancilla culinaria, eius sordida officia illi demandarūt. Cogebatur itaque mitis & verecunda puella audire quotidiana improperia, verborum iniurias, & multiplicē sui ferre contēptum. Volebant autē parētes & germani eius his rationibus eam frangere, & ad sibi consentiendum impellere; quòd iuuenem quendam inuenissent, cuius genus & familia eis pergrata esset. Ex hac autem parentum & fratrum infestatione liquidò apparet, verum esse quod Saluator ait, Inimicos hominis esse domesticos eius. His enim tanquā valētioribus instrumētis pestilens ille serpens vti solet ad piorum constantiam euertendam. Sic prima illa femina, cunctorum viuentium mater, primum parentem illaqueauit. Sic beati Iob, sanctissimique Tobiæ vxores subornauit, vt viros suos ad impatientiam & sacrilegam in Deum blasphemiam incitarent. Aduersus autem hanc teneram virginem non vnum aliquem, sed totam parentum & filiorum

Mat. 10.

Genes. 1.
Iob 3.
Tob. 2.

filiorum familiam concitauit. Quid igitur hic faceret innocens puella, secreto orationis atque contemplationis suæ cubiculo priuata, totóque externis occupationibus & familiæ seruitio impedita, quæ animum variè distrahunt atque dispertiunt, neque vnum, quod solū est necessarium, in silētio quærere sinunt? Cū enim præcipua aduersus antiquum hostē arma in assiduis precibus posita sint (iuxta illam Domini sententiam: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem) quid hæc virgo faceret, cui & orationis loco & orādi spatiis interdictū erat? Sed nō est scientia, non est sapientia, nō est consilium contra Dominum. Virulentus enim draco, cuius machinationibus ista fiebant, quibus rebus se sperauit virginem euersurum, iis ipsis magis eius animum, Domino iuuante, confirmauit. Nam nihil his omnibus permota, docente eam Spiritu Dei, intra se ipsam sibi fabricauit conclaue, siue secretam cellulā, vnde nunquam vellet cuiuscunque rei causā egredi. Ita factum est, vt quæ hactenus vsā illa externa cellula nonnūquam fuisset egressa foras, iā deinceps perpetuò maneret secum in cellula animi sui, quā illi eripere nemo posset: planeque cælesti victoria triumphauit de diabolo, in interiori homine (vbi Christus habitat per fidem in cordibus nostris) sibi construens spirituale domicilium. Solebat illa postea crebrò admonere Raymundum Patrem, cùm negotiis externis penè obrutum videret, vt sibi tale non manu factum in suo pectore fabricaret domicilium, nec inde vnquam euagaretur. Ibi enim, vt diximus, per fidē Christus habitat in nobis, ibi regnum Dei intra nos est, ibi nunquam non præstò est ille qui dicit, Ecce ego sto ad ostium & pulso: si quis audierit vocem meam & aperuerit mihi ianuam; intrabo ad illum, & cœnabo cum illo & ipse mecum. Hoc ergo suauissimo hospite contenta & freta sacra virgo, vicit diabolum & omnes machinas eius. Docebat ille eam intus vias & rationes mirabiles externa omnia superandi. Fingebat animo sacra virgo, patrem suum repræsentare Christum Iesum; matrem suam, sanctissimam Christi genitricem; cęteros de familia, Apostolos & discipulos Saluatoris. Hac imaginatione fortiter concepta, id assecuta est, vt omnibus illis, cū omnium admiratione, hilariter & officiosè inseruiret: tū etiam, vt illis seruiendo, semper cogitaret de sponso suo Christo, cui se ea omnia officia præstare credebat: sicque factum est, vt dum in culina versaretur, semper esset intra sancta sanctorum; seruiensque ad mensam recumbentibus, animum suum mirè pasceret contemplanda præsentia Saluatoris. Ex hac autem virginis victoria liquidò apparet, quanta sit diuinæ gratiæ vis & potentia; qua qui fuerit armatus, facilè omnes diaboli machinas, Deo se protegente, superabit. Nec minùs etiam apparet

Mat. 26.

Prou. 28.

Ephes. 3.

Apoc. 3.

2.Cor.10. verum esse quod Apostolus dixit, fidelem esse Deum, qui faciat etiam impiorum tentationibus prouentum, vt eas possint viriliter sustinere. Quod in hac virgine cernere licet: quæ quo acriùs tentabatur, eo maioribus diuinæ gratiæ præsidiis ad victoriam muniebatur.

Constat autem, ad virginei pudoris virtutem conseruandam, carnis maceratione̅ cum primis esse necessariã. Vbi enim magis quã inter carnis delicias carnis integritas periclitatur? Hinc 1 Tim. 5. Apostolus, Vidua, inquit, quæ in deliciis est, viuens mortua est. Io. Clim. Vnde etiã magnus ille spiritualis vitæ magister Climacus, eum qui saturo corpore castitatem se putat seruaturum, appositissima comparatione ei similem ait, qui proiecto pane canem à se Simile. abigere conatur. Quantum autem hęc sancta virgo carne̅ suam domuerit, cùm continuis etiam morbis vrgeretur, vix credibile est. Primùm enim cuiusuis generis coctos cibos, præter panem, paulatim sibi subtrahebat, & intra breue tempus eò suum adegit corpusculum, vt pane & crudis herbis esset co̅tentum. Anno ætatis vigesimo, aut circiter, etiam pane abstinuit, nihil præter crudas herbas sibi permittens. Postremò, nõ vsu, neque natura, sed diuino miraculo eò vsq; peruenit, vt licet corpusculum eius multis morbis esset obnoxium, & labores susciperet intolerabiles, non tamen in ea consumeretur humor ille quem radicalem vocant, nec stomachus concoquendi fungeretur aut fungi posset officio: nec vires corporeæ ob cibi & potus defectum frangerentur; ita vt tota ipsius vita miraculum esset; quod etiam Medici fatebantur. Quas autem persecutiones & cruciatus propter huiusmodi inediam sustinuerit, suo loco referemus. Lectum autem ipsa sibi parauit ex tabulis ligneis, nihil quicquam alterius rei addens; in eo vel sedens meditabatur, vel prostrata orabat, suoque tempore nullis detractis vestibus somnum capiebat. Volens verò imitari sanctum Patrem Dominicum, multo tempore quotidie ter se cædebat catena ferrea, singulis vicibus ad sesquihoram, sanguine ab humeris in pedes manãre, vt sanguine̅ pro sanguine redderet suo Redemptori. At Lapa mater has carnis macerationes indignissimè ferens, vi eam secum pertrahebat ad lectum suum. Illa verò flexis genibus, vt matrem deliniret, offerebat se promptam ad communem vtrique lectum. Posita ergo in extrema lectuli parte, vbi matrem dormire senserat, ad solitas preces & vigilias redibat, & clàm duo ligna subijciebat, vt in illis iacens, nihil de duritie lecti mutaret.

Flagrauit ante̅ sancta virgo magno Dominici habitus & re-Psal. 20. ligionis desiderio. At desiderium animæ eius tribuit ei Dominus, & voluntate labiorum eius nõ fraudauit eam. Postquã autem nouæ militiæ vel professionis genus complexa est, dicebat

bat sibi ipsi; Ecce iam religiosum vitæ institutum suscepisti, ad eius præscriptum viuas oportet, & quidem multò aliter quàm feceris hactenus. Habitus tuus, ater & candidus, te admonet; illud, vt mundo sis mortua; hoc, vt maximè studeas puritati.

I.

Iam ad cælestis Sponsi magisteria veniamus. Hac enim tantæ vitæ puritate innocētissima virgo nitens, diuinæ lucis radios tanto clariùs in animæ suæ speculo excipiebat, quāto speculum ipsum defæcatius, atque ab omni terrena fæce purius erat. Cuius autem felicitatis sit, tali vti magisterio, regius Propheta declarat, cùm ait: Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Hæc igitur sancta virgo puritatis suæ merito Christum habere meruit præceptorem, à quo varia documenta, quæ ad hanc vitam sanctissimè degendam pertinent, accepit. E quibus nos tria tantùm, pio cuique maximè necessaria, referemus. Psal. 95.

Principio igitur sapientissimus ille architectus, qui virtutum atque cælestium donorum fabricam in virginis mente altiùs erigere decreuerat, firmissima priùs humilitatis fundamēta iecit, ne miraculorum atque reuelationum cælestium magnitudine, humanum aliquid virginis animus pateretur, tantoque periculosiùs rueret, quantò altiùs ascendisset. Itaque in ipso diuinarum visionum initio Christus Dominus apparuit oranti, dixitque: Si nosti, filia, quis ego sim & quæ tu sis, beata eris. Ego enim sum qui sum: tu es quę non es. Hac cognitione freta, facilè omnes conteres laqueos inimici. Verè enim totius Christianę Philosophiæ summa in hac duplici cognitione, sui Deique sita est: neque quicquam illi deesse poterit, qui harum duarū rerum cognitionem imis visceribus infixerit. Qui enim seipsum probè cognouerit, intelliget, se ex se nihil esse, sed infinita Dei virtute, cùm prorsus non esset, essendi beneficium accepisse. Qui quoniam ex nihilo factus est, ita sponte sua ad nihilum tendit; & in nihilum prorsus recideret, nisi eius virtute cōseruaretur, à quo accepit vt esset. Vtroque igitur modo à Deo pendet; quoniam & ab ipso est, & per ipsum existit. Iam verò cùm peccatū quoque minus adhuc sit quàm nihil, (à quo, nisi Dei virtute, immunis prorsus esse nemo potest) iam hac de causa minus adhuc se putat esse, quàm nihil. Peccatum enim per se committit; opus verò Deo gratum sine illius ope edere non valet, sicut ipse ait; Sine me nihil potestis facere. Quisquis igitur huius sententiæ veritatē intimis animi sensibus inclusam tenuerit, quonam modo aut superbire, aut inaniter de alieno gloriari, aut in se, aut in fragili hominis creatura spē ponere, aut inferiorē contēnere aut superiori inuidere poterit; cū se nihil ex se esse penitus Ioan. 15.

cognitum & exploratũ habeat? Quomodo itẽ se nõ facilè contemnat, qui certò sciat, sibi nõ aliud quã nihilum, & peccatum, quod est nihilo deterius, tribuere posse? Quia verò cognitio hæc, si aliunde animus nõ fulciatur, desperationẽ fragili homini incuteret; additur altera huius Philosophiæ pars, quæ Dei cognitionẽ commẽdat, ex qua salutarẽ fiduciã & castũ Dñi timorẽ & reuerentiã cõcipere fragilis homo poterit. Omnes enim creaturæ (à quibus ne ipsas quidẽ beatas mentes excipimus) à cõditore pẽdent: quia ab ipso sunt, & ab ipso cõseruãtur: sol⁹ autẽ rerũ omniũ cõditor à nemine pẽdet; quia neminẽ habet superiorẽ, à quo esse acceperit. Solus ergo ipse ingenitus, immutabilis, incorruptibilis; solus æternitatis atque bonorũ omniũ possessor est. Cũ ergo creatura naturali propẽsione & esse & feliciter esse sitienter appetat; neutrũ autẽ à se, sed à benignissimo & liberalissimo conditore accipere possit; (qui, quamuis bonorũ nostrorũ nõ egeat, vehemẽter tamẽ nos beare cupit; vtpote, qui in hoc hominẽ cõdidit, vt beatitudinis suæ cõsortẽ efficeret) protinus ad illũ cõuertitur, illũ tota mẽte diligit, illi subijcitur, illius se totũ obsequio tradit, per quẽ æternæ felicitatis atq. bonorũ omniũ cõpotem fore sperat. Cùm enim in mentẽ reuocat, ipsum esse qui mortis & vitæ claues habeat, quiq. vbi occiderit corpus, animã mittere potest in gehennã; incipit etiam illius maiestatẽ vereri, iudicium metuere, & iram formidare, timetq. ne qua in re tremendæ illius maiestatis oculos offendat, in cuius manu tãtarum rerum momẽta posita esse cognoscit. Videtis ergo, fratres, quã salutares fructus ex hac duplici philosophia consequantur; qua homo Deum quidẽ esse, se verò prorsus nõ esse cognoscit?

Apoc. 2.

Hac igitur humilitatis doctrina sancta virgo erudita, modis omnibus se dimittere, & velut in quandã humilitatis abyssum mergere nitebatur. Et quia (vt D. Ber. ait) humiliatio ad humilitatem via est; prudens virgo nõ animi solùm, sed corporis etiã humilitatẽ studiosissimè sectabatur. Occupabat enim se seruilibus actionibus, exercebat hilariter ancillę officia, verrẽdo ędes, lauando coquinæ vtensilia, & id genus abiecta seruitia vsurpando; maximè cùm ancilla malè valeret, quo tempore duplicabat sibi huiusmodi officia, seruiens ancillę ægrotanti, & eius loco reliquæ familiæ. Interim nihil ne perpetuo precandi studio & pœnitentia remittebat, neque ab æterni Sponsi castis amplexibus recedebat. Versa enim propemodũ ei in naturam videbatur incredibilis quædam habilitas & promptitudo mentem suam cum Christo coniungendi, etiam quouis loco & tempore: nec ab hac felicissima coniunctione negotiis externis impediebatur, semper & vbique sursum tendens ad cælestia.

Bernard.

Aliud quoq. singulare documentum ab eodẽ cælęsti Doctore accepit.

2. cognitio de Deo.

accepit. Oranti enim illi apparens dixit: Filia, cogita de me, & ego cōtinenter cogitabo de te. Ex hac autem saluberrima institutione sacra virgo solebat hoc modo philosophari: Quādoquidem per sacrum baptisma Deo dicati sumus, nulla in re nos solicitos esse debere de nobis, sed solicitudinem omnem eò conferre, vt placeamus ei cui nos dicauimus. Itaque si vidisset suos timere periculum aliquod, dicebat illis, Quid ita vos de vobis estis soliciti? Permittite vos diuinæ prouidentiæ, quæ semper habet in vos defixos oculos, perpetuamque salutis vestrę curam gerit. Et de hac quidem Dei prouidentia tantam sacra virgo fiduciam conceperat, postea quam audiuit Dominum dicentem; Ego cogitabo continenter de te; vt nūquam satiari posset de eo loquendo. Ex hac item fiducia illud etiam euenit, vt quicquid sancta virgo à Deo postularet, nullo negotio impetraret: quod ex eius vita apertissimè constat, in qua tam multa quæ humano iudicio impossibilia videbantur, fusis ad sponsum precibus impetrauit. Quo argumento magnificam illam Domini promissionem re ipsa nobis patefecit, cùm dixit; Quicquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis. Perinde enim atque Christum Dominum gestaret in sinu, ita ad illum confugiens, sæpè vim quodammodo illi faciebat, seuerissimam eius iustitiam ad misericordiam flectens. Hæc autem fiducia de diuina prouidentia & misericordia concepta, cùm alia multa, tum illud præcipuè pio homini præstat, vt in quauis tempestate atque procella placidam & tranquillam vitam agat, quòd omnipotentem Deum, eundemq. amantissimum patrem, sui curam gerere & pro se solicitum esse intelligat. Hinc illæ toties repetitæ Prophetæ voces; Ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisiui. Et, Eduxit me in latitudinem; saluum me fecit, quoniam voluit me. Et, Statuisti in loco spatioso pedes meos. Hac autem latitudinis voce sanctus Propheta ab omni cordis angustia & afflictione, diuinæ protectionis & prouidentiæ beneficio, se immunem fuisse confitetur.

Marc. 11.
Psal. 118.
Psal. 17.
Psal. 30.

Tertium quoq. documentū duobus his Magister cælestis adiunxit. Cùm enim antiquus hostis virginē quotidie in pietatis studio proficientē, machinis omnibus adhibitis labefactare niteretur, contrà verò ipsa à Sponso suo vires & robur inuictum assiduè postularet, ille ei apparēs, Si velis, inquit, vincere hostē, crucem pro refrigerio accipe, & amara pro dulcibus sume. At illa nequaquā surda aure eam Christi doctrinam accepit, sed vsque adeò apud se statuit afflictionibus delectari, vt nihil in hac vita tantum ei refrigerij & solatij afferret, quantum afflictiones & cruces; sine quibus (vt ipsa aiebat) vita hæc ei fuisset molestissima: propter eas autem libenter ferebat beatitudinis dilatio-

3.

dilationem non ignorans, illam afflictionibus nõ parum augeri. Sed vbi satis eam Christus communierat, permisit dæmonibus eam tentare, si quid ab illa possent obtinere. Adeste nunc quæso animis, fratres, mirandum certamen spectaturi. Videbitis enim totam inferorum & dæmonum potentiam omnibus & machinis & viribus aduersus tenerrimam puellam dimicantem, ipsamque, ope Christi subnixam, de tota dæmonum caterua noua arte gloriosè triumphantem.

Primùm igitur scelerum ministri à rebus venereis virgini suggerendis capiunt initium. Immittunt turpes cogitationes castissimo pectori, adhibẽt illusiones, & phantàsmata dormienti; imo etiam corpora ex aëre sumpta, oculis & auribus vigilantis ingerunt, faciuntq. multa, quæ sine horrore dici non queant. Illa è diuerso catena ferrea flagellat corpus suũ, fundit sanguinem, adijcit permultum ad priores vigilias, ita vt somno penè omni renunciasse videretur. Non cessant autem hostes, cum ingenti multitudine apparẽt; primò quasi blandè adulantur, hortantur ne se ipsam interficiat tãta vitæ asperitate. Iuuenis es, inquiunt, fac quod aliæ faciunt feminæ: nubas viro, & augeas humanum genus. Proponunt exempla Saræ, Rebeccæ, Liæ, Rachelis. Ne facilè credamus hæreticis, quando ipsi nobis scripturas diuinas ad confirmandam impietatem suam proferunt: faciunt enim hoc etiam dæmones. Quid (aiunt ipsi virgini) hæc sibi vult vita singularis, in qua tamen perseuerare non poteris? At quicquid illi blaterarent, sancta virgo nihil penitus respondens, orabat: Cùm autem perseuerantiæ desperationem ei vellent inijcere, hoc respondit procacibus illis; Ego non meis, sed Domini nostri Iesu Christi viribus nitor: nec vllum aliud ab ea verbum extorquere potuerunt. Solebatque ea familiaribus suis inculcare, ne tentati in disputationem cum dæmonibus ingrederentur. Cùm enim, inquit, sint versuti, & longa fallendi exercitatione instructissimi, facilè sibi victoriam promittunt, si possint cum homine miscere sermonem. Itaque haud secus casta anima se ab illis mox debet auertere, & ad Christum sponsum suum confugere, quàm solet ab adultero pudica matrona. Vbi autem sensit dæmon hac via nihil se posse proficere, alia aggressus est. Repræsentabat ei formas virorum & mulierum turpissimè inter sese concubantium, & nefandos sermones iactantiũ, ipsamque ad turpia petulantissimè inuitantium: cogebaturq. hæc etiam oculis & auribus clausis videre & audire. Accedebat ad cumulũ miseriæ, piissimi Sponsi absentia (vt ipsi videbatur) nec visibiliter nec inuisibiliter opem ferentis, aut consolantis. At illa nihilominus sine intermissione & carnem affligebat, & precibus tota incumbebat. Atque in hoc præclarum de se om-

nibus

nibus diuinæ gratiæ sensibili suauitate destitutis, exemplũ præbuit, ne solita sua exercitia propterea remittant, sed augeãt potius. Dicebat autem sancta virgo sibi ipsi; Tu ne, vilissima, vllis te consolationibus dignam putas? Ita ne iam tuorum oblita es peccatorum? An non satis est tibi, si possis vel damnationẽ ęternam euadere, etiam si has tenebras & molestias ad supremum vsq. vitæ diem perferre oporteat? An verò Christo propter eius consolationes seruire voluisti, & non eò potius vt in æternum illo fruaris? Nihil igitur de solitis remittas studiis, quin addas potiùs aliquid. His sanctæ humilitatis telis superbũ illum Goliath prosternebat Christi virgo. Durante autem hac tẽtatione, plus solito hærebat in Ecclesia. Nam illic infestabatur quidem, sed non perinde atque in cellula sua: quã quoties esset ingressa, miram illic vidit dæmonum multitudinem, turpissimos sermones & actus ipsi ingerentium. Non cessabat autem clamare ad Dominum, donec nonnihil sedaretur illa tẽpestas. Iam multos dies hęc durauerat infestatio. Et ecce quodam die illustrata diuinitus, cœpit hilariter seipsam offerre Domino, paratã ad execrandas illas dæmonum infestationes perferẽdas, quamdiu ipsi visum esset. Tum verò dæmon quidam procax & improbus ait ad eam; Nunquam ab hac tui infestatione cessabimus, donec consentias nobis. Mox illa securè respondit: Mihi non solũ has, sed etiam alias molestias pro nomine Saluatoris perpeti, iucundum & delectabile est, quamdiu eius visum fuerit maiestati. His dictis, totus ille dæmonum cœtus instar fumi pudefactus euanuit, & ingẽs lux cælitus illapsa est cubiculo, & in ea luce Christus crucifixus ei apparuit, dicens: Filia mea Catharina, vides quæ ego tua causa perpessus sim? non igitur dubites tu quoque propter me aliquid perpeti.

Deinde sub alia specie magis propinquans, blãdè ei gratulabatur de triũpho iam obtento. At illa, Vbi, inquit, fuisti mi Domine, cùm esset cor meum tot spurcitiis diuexatum? Et ille, In corde tuo, inquit. Rursus virgo: Et quî fieri potuit, bone Iesu, vt tu in illo esses corde, quod tot obrutum erat impurissimis cogitationibus? Respondit Dominus: Cogitationes illæ quid in tuo efficiebant animo? gaudium ne, an mœrorem? Imò verò, inquit illa, summum dolorem. Hoc igitur, Christus ait, ego mea præsentia efficiebam, qua si destituta fuisses, illis spurcitiis delectata esses. Iam verò cũ eas profligare velles, nec posses, inde mœror oriebatur, sed me auctore & effectore, qui erã intus in corde tuo, & tuebar illud, interim extrinsecus te sinens oppugnari, quantum videbatur tibi expedire. Sed quando illustrata radio lucis meæ, te ipsam sponte obtulisti ad tolerãdas eas infestationes; mox eas abscedere iussi: neque enim pœnis, sed voluntate

pœnas

pœnas fortiter perferentis ego delector. Tu autem, filia mea, quando non tua, sed mea virtute certasti viriliter, maiorem à me gratiam consequêris,& deinceps crebriùs atque familiariùs me ipsum tibi exhibebo. His dictis, visio disparuit, relicta in animo virginis suauitate incredibili, maximè quòd eam Christus filiam suam vocasset.

II.

Clarissima quidem hæc cum principibus tenebrarum fuêre certamina: sequuntur tamē alia non minora, quę cum iis hominibus suscepit, qui sacram virginem partim quidem irridebant, partim etiam priuatim ac publicè infamabant: in quibus illa vincēs in bono malum, clarissima nobis dilectionis erga inimicos exempla reliquit. Ex multis autem huius rei argumentis, ea paucis referam, de quibus in bulla, qua sacra virgo in Diuos relata est, breuiter mentio fit. Frater Gabriel Ordinis Minorum, eiusdemq. ordinis Prouincialis, sacræ Theologiæ Doctor celeberrimus, simul & frater Ioannes Senēsis, Augustinianus, eiusdemque Theologiæ professor, communi consilio ad virginem veniētes, eam, propositis difficillimis Theologiæ quæstionibus, pudefacere & irridere decreuerunt. His ergo propositis, sacra virgo magna cum reuerentia respondit, tantaque dicendi vi & gratia de mundi contemptu apud illos disseruit, vt ipsi contrà pudefacti, subitò ad Dominum conuersi fuerint. Et quidem prior ille se humi ante virginem prostrauit, multoque lacrymarum imbre fuso, claue cellæ suę prehensa, Si quis, inquit, eorum qui hìc adestis, in cellam meam proficisci vult, hanc accipiat clauem, & quicquid in ea inuenerit, pauperibus largiatur. Parent mandato duo Senenses ciues, qui tunc aderant, & ornatissimam Patris huius nō tam cellam quàm regiam aulam ingrediuntur, quæ speciosis ornamentis, culcitra etiam serica & preciosis cortinis lectum ambientibus instructa erat. Hæc igitur omnia, cæteraque vtensilia, quæ non minoris pretij erant, pauperibus eiusdem monasterij fratribus distribuerunt. Venerandus autem hic magister, tanta se deinde humilitate inter fratres suos gessit, vt in Florentino conuentu, monachis in mensa recumbentibus, cum iunioribus fratribus humiliter seruiret. Alter autem Augustinianus eodē temporis momento ad Dominum conuersus, relictis omnibus, ad finem vsque vitæ, Christi virginem, vbicunque esset, aut quocunque pergeret, secutus, sanctissimam vitam egit. Sic etiam frater Lazarinus Pisanus, prædicator rarissimus, lectorque doctissimus, adeò huic virgini infensus erat, vt non modò priuatim, sed in publicis etiam concionibus illi acerbè detraheret. Quid multis? Huius virginis precibus atque doctrina, relictis omnibus quæ habebat, in no-

in nouum hominem mutatus est, multorumq. animas doctrina sua lucrifecit, sanctissimeque vitam finiuit: quamuis multas fratrum suorum irrisiones perpessus fuerit, qui eum contumeliæ causa Catharinaton appellabant. Quo exemplo simile quiddam animaduertere licet, quod olim de Apostolo Paulo, ad Christi fidem conuerso, fideles dictitabant: Quia qui persequebatur nos aliquando, nunc fidem prædicat, quam aliquando oppugnabat: nec minus impletum cernimus quod de Domino Saluatore scriptum est: Venient ad te, qui detrahebant tibi, & adorabunt vestigia pedum tuorum. Mirum autem non est, si amantissimus Sponsus sponsam suam dignitatis & gloriæ suæ participem efficere dignatus est

Esaiæ 60.

His addam maiora alia cũ ipso Deo certamina. Sancta quippe virgo homines salutaris doctrinæ monitis & exemplis vicit: omnipotentem autẽ Deum feruentissimis precibus superauit. Oratio enim pietati cõiuncta vincit quodammodo inuincibilem, & superat omnipotẽtem. Qui enim nullis armis, nullaque potẽtia frangi potest, piis amicorũ suorũ precibus & lachrymis cedit. Lapa, virginis mater, simplex quidem mulier fuit, sed parum tamen diuinarum rerum studio addicta, domesticisque curis nimis implicata; quę tandem in lethalem morbũ incidẽs, sine Cõfessionis sacramẽto mortua est. Sed virgo sanctissima cũ lachrymis oculos ad cælum leuans, dixit Domino, se ab eo loco nunquam discessuram, donec ei matrem restitueret viuam. Hęc eius verba feminæ astantes audierunt, nec ausæ fuere corpus exanime mandare sepulturæ, donec viderent quem exitũ sanctæ virginis preces, cuius eximiam sanctitatem nouerãt, essent habituræ. Orabat igitur feruentissimè cum multis lachrymis, quibus tantum potuit, vt defunctam matrem ad vitam reuocaret; quæ etiam in vita diutissimè post hoc mansit. Quanta ergo huius orationis virtus extitit, quę cadauer extinctum ad vitam, & impœnitentem animam ab ipsis inferorum faucibus in hanc lucem potuit reuocare! Quanta verò clemẽtissimi Redemptoris erga suos charitas, quanta benignitas, quæ animam lata sententia ad sempiterna supplicia iustissimè damnatam ad vitam reuocauit, & pœnitentiæ spatia longiora concessit! Hoc nos, qui in corpore manemus, minoris fortasse facimus: at quanti hoc beneficium facerent, qui ad eadem supplicia irreuocabili sententia destinati sunt! Quid isti facerent, si talem pro se deprecatorem apud supernum iudicem haberent?

Oratio.

Sed aliud huic non admodum dissimile certamen referamus. De matre enim huius virginis diximus; nunc de patre dicamus: vt his exemplis parentes discant, quantum ad suam ipsorum salutem religiosa soboles, religiosæque reuocata conferat.

Appro-

Appropinquabat tempus,quo decreuerat Deus virginis patrem ex hac luce euocare. Cœpit igitur ex morbo decũbere,moxque filia pro salute patris Christum deprecari: sed, vt audiuit adesse eius vitæ terminum, rogauit obnixè Dominum, vt sine pœnis purgatorijs illum ad se reciperet. Sed hac in re diuina iustitia diu difficilem se præbuit,quòd nõ esset is sine maculis,quas excoqui ad purum oporteret. At tandem vicit sancta virgo,sed ita vicit,vt pœnas parẽtis ipsa in se reciperet. Obiit ergo vir purus: & vt certò constaret eum rectà migrasse in cælum,eodem puncto temporis, quo ille abiit è corpore, virginem sanctam iliaci dolores inuaserunt,iisque laborauit sine intermissione vsq. ad supremum vitæ diem. Verùm illa non hos dumtaxat, sed etiam quoscumque alios cruciatus & molestias, non modò patienter, sed etiam hilariter ferebat, sciens se iis perferẽdis ad perfectiorem Dei visionem præparari. Hoc exemplũ,fratres, non solùm ad patientiæ virtutem (quæ maximi apud Deum meriti est) nec ad orationis commendationem modò (quæ tantam vim ad eius misericordiam impetrandam habet) sed ad salutarem quoque diuinæ seueritatis & iustitiæ metum vos inducere debet: cùm hoc in loco videatis,ne flagrantissimis quidẽ dilectissimæ sponsæ precibus & lachrymis,idq. pro piissimo parente fusis, adduci cælestem Sponsum potuisse, vt debitas purgatorij pœnas, diuinæ iustitiæ decreto taxatas,remitteret, nisi eas virgo sanctissima in se,non ad horã quidem, sed tota vita luẽdas susciperet; quæ illi instar ignis purgatorij fuerunt. Non enim arbitror vos latere,quamuis id experti nõ sitis,quàm acres dolores hic morbus iliacus secũ afferat. Quid igitur nos facere par est,qui talem post mortem aduocatam, talemque fideiussorem nequaquam habituri simus; cùm tamen multa nobiscum debita ex hac vita relaturi simus, quæ purgatorio igne (qui acerbissimus est) dissoluenda sunt?

Magna quidem duo hæc cum Deo certamina extitere. Adijciam aliud,quod partim cum Deo,partim cum hominibus susceptum est. Fuit Senis quædam soror de pœnitentia S. Dominici, Palmerina nomine: hæc incredibili odio & inuidia stimulata,nec nomen sanctæ virginis audire quidem sustinebat. Obtrectabat ei priuatim & publicè; nec obtrectationibus & maledictis poterat satiari. Cernens id sancta virgo, humilitate & mansuetudine eius animũ placare nitebatur, sed frustra. Confugit igitur ad Dominum;& pro illa misera singulares q̃i preces obtulit. Audiuit autem Dominus preces eius; sed priùs exercuit iudicium,percussitque Palmerinam graui morbo. At nihilo illa melior effecta,sed exacerbata magis,infensiorẽ se virgini ostẽdit. Rursus ergo studuit humilitatis & mansuetudinis officiis

eam

eam emollire. Seruiebat illi modis omnibus quibus poterat, blãdisq. verbis & obsequiis eam cõsolabatur. Sed saxo durior nihil mouebatur tanta humanitate & beneuolentia; imò verò ex suis ædibus eam iussit furibunda expelli. At iustus iudex tantum odium cernens, ita eam percussit, vt repẽte viribus omnibus destituta, ad inferos properare videretur. Quod vbi cognouit sancta virgo, mox in suũ se cubiculũ recepit, eoq. clauso, crebrò, & instantissimè rogabat Dominum, ne sui occasione illa anima periret. Ostendit autem illi Dñs miseriam & periculum infelicis illius animæ; dixitque, iustitiam suam ferre non posse, quin tam pertinax odium puniretur. Tum virgo mente & corpore se humi prostrauit, dixitq. ad Dominum, se nullo pacto de eo loco surrecturam, donec Palmerinę misereretur. Iam tres dies & noctes illa misera iacuerat in agone, & supremũ trahebat spiritũ, nec tamen mori poterat: nam toto hoc spatio perseuerabat sancta virgo in precibus: & tandẽ lacrymis vicit & expugnauit inuictum & insuperabilem, ita vt adamantino illi pectori gratiam suã inspiraret, qua agnosceret culpã suã, eamq. se admisisse doleret. Id postquam Dño reuelante sancta virgo didicit, mox ad illam accurrit: quæ vt eam vidit, quibus poterat signis gaudium & erga illam reuerentiã ostẽdit, cùm priùs eam nec videre quidem posset; sicq. perceptis Sacramentis cum magna cordis contritione migrauit à corpore. Cuius animam vidit sancta virgo in tanto decore & pulchritudine, vt nullis possit verbis exprimi; cùm tamẽ nondum esset in gloria visionis diuinæ. Quàm multa sunt in hac historia, fratres, in quibus pia mens philosophari, quàm multa quæ hinc colligere poterit! Primũ enim hîc animaduertere licet, quanta sit liuoris & inuidiæ pestis, quæ sic liuidi hominis mentem transuersam agit, sic exagitat, sic lacerat & conficit, sic alienæ virtutis gloria contabescere facit. Vt enim lippientes oculi ad clarissimum Solis iubar obtenebrantur & lęduntur; ita inuidi hominis animus alienæ virtutis claritate excæcatur & discruciatur. Qua ex re liquet, hoc vitium non esse hominum proprium (quorum est humanitate & beneficentia gaudere) sed eorũ qui, exuta humanitate, illius mores induerũt, cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum. Contrà verò etiam hîc videre licet, quàm amabilis & pulchra sit charitatis species, quæ in huius sanctæ virginis officiis mirabiliter elucet, quæ tot iniuriis affecta, tot probris lacessita, tot maledictis concisa, nec indignata, nec turbata, nec aliqua in re aduersus viperam illam linguam commota fuit; quin potiùs quo magis misera illa furere & insanire pergebat, hoc magis sancta virgo illius vicem dolebat, maioribusq. illam officiis prosequebatur, ardentioresq. pro illa preces ad Dominum fundebat. Recolebat

1. Simile. Sap. 2.

Matth. 5. enim animo illud eiusdem Domini consilium, Benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: meminerat & illud quod verissimè est à diuo Gregorio

Gregor. dictum; Veram scilicet iustitiam habere compassionem; falsam autem, indignationem. Itaque virgo sancta non sua opprobria, sed illius perditæ mulieris damna; non suam infamiam, sed illius culpam; non illata cõuicia, sed lethalia illius vulnera attendebat, quæ magis sibi compassionis quàm indignationis materiam prębebant. Prudenter enim intelligebat, nihil sibi maledicta illa nocere, maledicenti autem exitium miserandum afferre. O si hanc nobis mentem Dominus immitteret, quoties ab aliis aut maledictis, aut iniuriis infestamur! intelligeremus profectò, longè grauiùs sibi maledicos & iniurios homines quàm nobis nocere; magisque nos eorum maledicentia ad compassionem, quàm ad indignationẽ flecti & excitari debere. Hoc eodem exemplo discimus, quanta sit orationis vis, quæ iustissimam omnipotentis Dei iram auertere potuit, quæ vibratum penè gladium è manibus eius eripuit, quæ maximum eius furorem in placidissimam lenitatem conuertit, & quæ postremò animam ex ipsis penè inferorum faucibus ereptam, Angelorum choris inseruit, & atra nocte obscuriorem, Sole & Luna splendidiorem reddidit. Quo in loco illud est obseruatione dignissimum, quòd sancta virgo pro remittẽdis Iacobo patri purgatoriis pœnis Dominum deprecãs, sic exaudita est, vt ipsa pro patre pœnas lueret; pro hac autẽ femina, sempiterno supplicio digna, preces fundens, citra vllam pœnæ præscriptionem exaudita, sempiternam illi salutem impetrauit. Cuius rei illud in causa fuisse arbitror, quòd vsque adeò inexhausto illi bonitatis & misericordiæ fonti preces pro inimicis (quas ipse nobis indixit) ardenter effusæ, gratæ sint, vt non modò velit eas in magni meriti cumulum cedere deprecanti, sed ad remissionem interdum quoque criminis prodesse nocenti. Hinc D. Gregorius ait:

Gregor. in Moral. Conditoris auribus illa maximè oratio commendatur, qua pro inimicis quoque intercedere nitimur. Hanc igitur virginis patientiam, fratres, hunc flagrantissimum charitatis ardorẽ, hunc infractum ad iniurias animum, hunc erga inimicos miserationis affectum, hanc pro eisdem orationis instantiam, hoc postremò benefaciendi studium sectari studeamus, vt cælestis parentis germani filij simus, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Si enim hac ratione fuerimus filij, erimus etiam & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; cui est gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

Matth. 5.

Rom. 8.

IN EODEM FESTO SANCTÆ CATHARINÆ SENENSIS, CONCIO

secunda: in qua variæ sacræ virginis huius virtutes, ac præcipuè insignia eius misericordiæ opera referuntur.

THEMA. *Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod minimum quidem est omnibus oleribus, & fit arbor.* Matth. 13.

HIS Domini Saluatoris verbis mira Ecclesię fecũditas insinuatur, quæ à paruis initiis in ingentem arborem excreuit, & ramos suos in vniuersum orbẽ terrarum latissimè propagauit. Christi namque Euangelium, Pauli etiã ætate (vt ipse ait) in omni creatura quæ sub cælo est, fuerat prædicatum. Quam Ecclesiæ fecũditatem sub alia similitudine lapis ille apud Danielem designat, qui abscissus de monte sine manibus, creuit in montem magnum, & impleuit terram. Hæc autem exigui grani similitudo hac de causa Catharinæ virgini hodie in Euangelica lectione tribuitur, quòd ea, quamuis humilis & paupercula mulier fuerit, diuinæ tamen gratiæ beneficio non solũ ad summum dignitatis & sanctitatis gradum fuerit euecta, sed huius etiam Ecclesiasticæ fecunditatis non modica pars fuerit; vtpote quæ maximam perditorum hominum multitudinem, partim precibus suis, partim clarissimarũ virtutum exemplis, partim etiam singulari doctrina ad veram pœnitentiam traduxerit, vt suo loco referemus. Quæ res eo mirabilior est, quo magis muliebris sexus huic officio repugnat, cùm Apostolus mulierem in Ecclesia adeò non docere, vt nec loqui etiam permittat. Omnipotens tamen ille rerum omnium Dominus (qui in operibus suis semper est mirabilis, quique infirma mundi eligit, vt fortia quæque confundat) huius feminæ operâ ad hoc munus vti voluit, vt potentia eius tanto esset illustrior, quanto instrumentum, quo vtebatur, fragilius erat & infirmius. Sic enim olim ex piscatoribus Apostolos, ex publicanis Euangelistas, ex pastoribus & Reges & Prophetas creauit. Hęc sunt enim opera omnipotentis Dei virtute & maiestatę digna, qui rebus infirmis & abiectis ad res adeò illustres & magnificas vti solet. Hinc Apostolus, Habemus, inquit, thesaurum hunc in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. Quo minùs mirandum est, si idẽ Dominus huius sanctæ virginis operâ tot perdi-

Colos. 1. Dan. 2. 1. Tim. 2. 1. Cor. 14. 1. Cor. 1.

perditorum hominum animas ad veram pietatem & iustititam traducere, tot miracula edere, totque adeò magnifica opera patrare voluerit, vt eius gloria ex instrumenti fragilitate appareret illustrior. De hoc igitur hodie clarissimo diuinæ virtutis opere dicturi, cælestem opem, sacratissimæ Virginis & Matris interuentu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Neminem vestrûm ignorare arbitror, fratres, omnium diuinarum legum finem in charitatis virtute positum esse, Apostolo testãte, qui ait: Finis præcepti charitas, de corde puro, & conscientia bona, & fide nõ ficta. Nec finem modò legis, sed summum etiam diuinæ legis veluti compendium eadẽ virtute contineri idem Apostolus testatur, cùm ait: Plenitudo legis est dilectio. Dilectionis autem nomine duas actiones, quæ ab eadem radice deriuantur, comprehendimus. Charitas enim vnicus habitus est, à quo duæ actiones, & veluti rami, nempe dilectio Dei & proximi proficiscuntur. Ex priori autem dilectione posterior nascitur. Vt enim mater, quæ filiũ diligit, eius quoq. famulos, & agros, & quicquid ad filium pertinet, eodem amoris affectu diligit; ita qui maximè Deum diligit, maximè etiam & seruos, & filios, & corporis eius membra diligit. Quod etiã argumentum retro valet, vt, qui plurimùm hos ipsos propter Deum diligat, plurimum etiam Deum diligere comprobetur. Hinc D. Greg. Tunc mirabiliter ad alterum charitas surgit, cùm ad ima proximorum se misericorditer inclinat; & quo benigniùs descendit ad ima, eo valentiùs recurrit ad summa. In hac autem duplici dilectione Saluator vniuersam legem & Prophetas pendere ait.

1.Tim. 1. Rom. 13. Simile. Gregor. Mat. 22.

Hæ autem duæ charitatis laudes satis esse deberẽt, vt ad eius nos amorem studiumque incenderent. Sed & aliud non minùs suspiciendum; nempe, tantam esse eius vim atque potentiam, vt per eam omnia mundi aduersa perferre, omnẽ diuinæ legis difficultatem vincere, omnesq. diaboli atque carnis nostræ machinas superare facilè possimus. Quam tamen eius vim & efficaciam mortaliũ nemo intelligere perfectè potest, nisi qui eam experimento suo didicerit. Hoc autem modo Sponsa in Canticis didicerat, quæ ait: Fortis est vt mors dilectio, dura vt infernus, siue vt sepulchrũ, æmulatio. Vt enim à morte, & sepultura, mortis comite, liberari nemo potest (quod videlicet mors omnia vincat) sic etiam perfecta dilectio inseparabilis est. Quam deinde ardẽtissimo igni cõparat, dicens: Lampades eius lampades ignis atq. flammarum. Quid igitur? An non ignis ab aqua facilè extinguitur? Extinguitur planè vulgaris iste ignis; at dilectionis ignis, instar naphthę, adeò inundantium calamitatum aquis non extinguitur, vt magis etiam accendatur. Quod quidem

Cant. 8. Ibidem. Simile.

dem eadem Sponſa indicat, cùm protinus ſubdit: Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, & flumina non operient eam. Huius porrò vaticinij veritatem innumera Martyrum exempla declarant, quos à fidei cõſtantia nec portæ inferi, nec totius orbis Monarchæ, nec vlli ſeculi turbines & procellæ, nec omnia diaboli arte quæſita ſupplicia dimouere potuerunt. Eandem autem vim Apoſtolus mira verborum magnificentia amplificat, cùm ait: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Certus ſum, quòd neque mors, neque vita, &c. Quibus verbis Apoſtolus charitatem non morti parem, ſed ipſa etiam morte, atque rebus omnibus, inferis & ſuperis, potentiorem eſſe docet.

Ibidem.

Rom. 8.

Quamuis autem hanc tantã charitatis vim Martyrũ exempla præcipuè declarent; eandem tamẽ in ſanctorum Confeſſorum & Virginum certaminibus cernere licet. Quod facilè ſanctiſſimæ virginis Catharinæ exemplo demonſtrabimus, quæ, charitatis huius igne incenſa, immenſos labores propter dilectiſſimi Sponſi ſui amorem pertulit: ex quibus nonnullas in præſenti concione referemus.

De charitatis igitur operibus huius virginis in præſenti concione præcipuè dicturus, prætereo nunc vitæ eius initia, in quibus domi clauſa, continuis precibus, ſanctiſque meditationibus dies noctesque ſine vlla intermiſſione vacabat, & ieiuniis, verberibus, atque omni ratione innocentiſſimam carnem ſuam macerabat. Vbi autem diu in his exercitiis verſata fuit, ætateq. iam adoleuerat, charitatis & miſericordiæ operibus incumbere decreuit; vtpote quæ non ignoraret, ſalutiferi ligni propriũ eſſe, fructum ſuũ dare in tempore ſuo. Quam rem ipſa quoque nos natura docet, quæ recèns plantatas arbores diu infrugiferas eſſe patitur, vt hoc tempore vires & robur colligant, & ad iuſtã proceritatem perueniant, quo poſtea maturos germinare fructus valeant. Ad hunc ergo modum ſancta virgo, quæ diu ſibi ſoli vacauerat, maturo iam tempore pietatis & miſericordię fructus proferre cœpit. Longum autem eſſet recenſere, quo charitatis & miſericordiæ affectu ſancta virgo, velut apis argumentoſa, egentibus ſubueniebat, afflictos conſolabatur, in carcere poſitos viſitabat, & grauiſſimis morbis laborantibus ſeruiebat. Quia verò temporis inopia conſtricti, omnia charitatis eius officia referre non poſſumus, duo eius opera inſignia, ex quibus cætera intelligi poterunt, commemorabo.

Pſal. 1.
Simile.

I.

Senis fuit mulier quædam inops & ægrota, Theca nomine. Ea, cogente penuria, noſocomium petiit, ſed adeò tenue, vt vix

suppeditaret ipsi necessaria. Ad cumulũ miseriæ accessit lepra, quæ totum eius corpus occupauit; iamque vitabatur ab omnibus propter contagionis periculum, cogitabantq. eam vrbe eiicere. Id vbi sancta virgo præsensit, mirabili feruore properauit ad eam, & nõ modò res necessarias, sed etiam suum ministeriũ vsque ad obitum illi obtulit. Itaque quotidie manè & vesperi illam visitabat, parabat necessaria, Christum in ea cõtemplans, accuratè & reuerenter inseruiebat. Ex ipsis autem sacræ virginis beneficiis illa mulier superbiæ & ingratitudinis pestem contraxit; & quod sancta virgo pro solo Christi amore faciebat, illa cœpit pro debito exigere, addere conuicia & contumelias, irasci & irridere, si non statim omnia fecisset ad ipsius votum, vel si aliquando tardiùs venisset. Sed iis nihil irritata sancta virgo, studebat iracundiam blandis verbis & sedulis officiis delinire, haud aliter atq. propriam parentem eã tractans, ita vt etiam improba mulier admiraretur. Durauit autem hoc diu, nec quidquam solitæ humanitatis propterea omisit spõsa Christi. Multi mirabantur, sed Lapa mater eius valde molestè ferebat, timens ne lepra inficeretur. Illam quoque virgo placabat, & pergebat in officio charitatis. Ecce autem, vt ex hoste gloriosiùs triumpharet, permittente Deo, diabolo efficiente, manus sanctæ virginis lepra inuasit. Quod illa nihil morata, malebat toto corpore leprosa effici, quàm cœptum charitatis ministerium deserere. Paulo pòst excessit è viuis mulier leprosa, virgine illi in extremis astante, & eam efficacissimè confirmante. Eius corpus horridum sancta virgo diligentissimè abluit, induit, & suis manibus sepeliuit. Post sepulturam autem ita omnis lepra à virginis manibus euanuit, vt etiã elegantiores quàm antea viderentur. Quid in hoc opere mirari priùs debemus, fratres? an hoc tam sedulum charitatis officium? an virginis patientiam, quæ tot probra atque contumelias ab illa vetula passa est? an adeò mirabilem in cœpto semel pietatis opere perseuerãtiam, à quo illam nec horrendæ lepræ metus, nec matris indignatio, nec ingratus vetulæ animus auocare potuerũt? an potiùs ineffabilem Domini misericordiam, qui adeò insigni miraculo, vbi sancta virgo officio suo functa est, eam à lepræ contagio liberauit? Hęc omnia nobis & miranda certè, & imitanda proponuntur: sed in his omnibus suspicienda in primis Domini prouidentia est, qui variis calamitatibus seruos suos exercet & probat: & quos probatos & fideles inuenerit, diuinis muneribus atque fauoribus mirabiliter exornat.

Sed ad aliud multo mirabilius misericordiæ opus veniamus; quod etsi ad aures vestras iam peruenerit, dignum tamen mihi videtur quod nunquam nõ in ore habeatur, non ob hoc solum,

vt

vt eximiam virginis huius sanctitatem, & misericordiæ viscera agnoscamus, sed multo magis vt inhumanitatis & duritiæ nostræ magnitudinem eius comparatione intelligamus. Quædam S. Dominici soror (quam Andream vocabant) cancri morbo laborabat in pectore, illud valde deuastante. Tantus autem ex eo vulnere exhalabat fœtor, vt nemo, nisi obstructis naribus, posset ad eã propiùs accedere. Inde fiebat, vt vix vlla femina esset, quæ ei vellet ministrare. Audiens hoc virgo Christi, intelligensque eam sibi derelictam, mox eam adiit, & iucunda facie suum ei seruitium, donec curaretur, obtulit. Valde hoc miseræ illi gratum fuit, maximè cùm se cerneret omni penè ope destitutam. Seruiuit igitur iuuencula seni viduæ; & licet increscerет fœtor abominabilis, nihil omisit eorum quæ essent ægrotæ impēdenda. Astabat ei assiduè, vulnus, nequaquam obstructis naribus, detergebat, abstergebat, abluebat, panniculis obligabat, nullum interim horrorem, nullum tædium præ se ferens, sed hilari animo & iucunda facie omnia efficiens; etiam ipsa ægrota obstupescente ad tantam iuuenculæ constantiam & charitatem. Vidit igitur hæc & inuidit coluber tortuosus, &, vt impediret, summam nauauit operam.

Adeste nunc, quæso, animis, fratres, mirabile quoddã certamẽ inter puellam, atq generis humani hostẽ spectaturi; in quo omnes diaboli machinas & dolos, omnemq. penè inferorũ potentiam ab vna infirma puella superatã videbitis. Quo argumẽto, diuinæ gratiæ & charitatis vim, vbi pleniùs pij hominis mentẽ obsedit, animaduertere licebit. Cùm autem voluntatem tantæ virginis mouere non posset (quippe in Christo fundatã) quodã die eadem vulnus detegẽte, fœtore intolerabili stomachum eius propè euertit, ita vt ad vomitum propenderet. At sancta virgo sibi ipsi irata, sic alloquebatur corpus suũ: Itáne abominaris tu sororem tuã, Christi sanguine redemptã, cùm possis in eundem vel etiam deteriorem morbũ incidere? Viuit Dominus, non feres hoc impunè: simulq. faciem in pectus ægrotæ inclinans, os & nares horrendo illi vulneri applicuit; sicq. permansit donec sentiret se spiritui carnem calcitrantem subdidisse, & illam nauseam extinxisse. Videns autem hoc ægrota femina, exclamauit, Cessa, cessa, charissima filia, noli teipsam tam immani putore corrumpere. Victus ergo dæmon, abscessit: nec cessauit tamen tentare vias omnes. Et quia virginem sacram vincere non poterat, ad ægrã se vertit, in eiusq. pectore primò tædiũ erga sanctæ virginis ministeria, deinde verò etiã odium excitauit. Immisit verò in animã eius nefarias suspiciones, vt putaret castissimam virginem, quoties ipsi non adesset, obscœnis actibus alicubi occupari. At sancta virgo nihil absterrita, in illa infirma anu

Primum certamẽ.

Secũdum certamẽ.

Christum sponsum suũ cogitans, solita hilaritate ei seruire perrexit, irridens diabolum, cuius machinis videbat istuc effici in animo laborantis vetulæ. Ille verò sanctis eius operibus magis prouocatus, eò perduxit ægrotã, vt iam in apertam virginis innocentissimæ infamiam, diabolo instigante prorumperet. Peruenit is rumor tandem ad sorores, ex quibus seniores ægrotam adeunt, & ex ea sciscitantur, num vera sint quæ dixerit. Illa falaciter asseuerat vera esse. Prouocatæ & nimium credulæ sorores exprobrant sanctæ virgini tantum scelus. Illa verò patiẽter respondit, Verè dominæ, & sorores meę, ego gratia Iesu Christi virgo sum: idq. sæpe repetens, nihil contra illã calumniatricem protulit. Quamuis autẽ non posset nõ dolere tã turpis infamię, nihil tamen de pristinis officiis intermisit, seruiens illi miseræ accuratissimè. Postea autem rem totam cũ multis lacrymis retulit ad Christum spõsum suũ, qui ei apparuit, habẽs in dextera manu coronã auream miri decoris, in sinistra spineam; dixitq. ei, vt eligeret vtrã mallet. At illa, quæ iam pridẽ omnem voluntatẽ suam in Dei voluntatẽ transfuderat, Ego, inquit, Domine, cupio in hac vita semper tuæ passioni cõformari, & pœnas omnes refrigerij loco amplecti: simulq. è sinistra Saluatoris spineã coronam feruenter arripiens, vi multa impressit in caput suũ, illud vndiq. spinis cõpungens, ita vt post eam visionẽ capitis dolores sentiret. Tum verò Dñs iussit eã permanere in ministerio illius ægrotæ, promisitq. se maligni dæmonis calũnias in ipsius caput retorsurũ, plenamq. ei de illo victoriam prębiturum. Fuit ea non parua sanctæ virginis cõsolatio. At mater eius Lapa, vbi percepit sinistros illos de filia rumores, quãuis de eius esset puritate certissimã, vehementer tamen aduersus Andream illam cõmota, acerbè nimiũ ad filiam ait: An nõ sæpius prohibui, ne illi vetulæ seruires? En qualem tibi refundit mercedem. Fiebat hoc quoq. artificio Satanæ, vt sanctũ illud ministerium impediiret. At sancta virgo, flexis coram matre genibus, eam optimis rationibus flexit & leniuit. Deinde se contulit ad ægram, tantaq. ei alacritate seruiuit, vt illa planè iam superata in seipsam descenderet, videretq. facinus suum, valdeq. animo compungeretur. Interim visionem quãdam vidit admirandam. Cum aliquando eius cubiculum virgo sancta intraret, circa lectũ suum vidit diffundi lucẽ inæstimabilis amœnitatis & dulcedinis, ita vt omniũ miseriarum suarum penitus obliuisceretur. Nesciens autem eius lucis causam, vidit vultũ sanctæ virginis quandam angelicam maiestatẽ præ se ferentem, ipsamq. eo lumine, tanquam tegmine quodã vndiq. circũdatam. Inde creuit in animo eius dolor, quòd tam excellẽtẽ virginẽ spurco ore cõtaminasset. Paulo põst discessit ea lux, & ægra multum eiulans, veniam

Tertium certamẽ.

petiit

petiit à sancta virgine. At illa eam amplexans, blandissimè consolabatur, culpam omnem conferens in tartareum dæmonem. Porrò sicut antè scelerate detraxerat sacræ virgini, ita postea mirificè eam etiam cum multis lacrymis prædicauit, & præclarum sanctitatis eius testimonium dixit, referens etiã visionem quam diximus, & inæstimabilem suauitatem, atque spiritualem consolationem quam tũc perceperat. Creuit inde fama sanctissimę virginis, & serpens inuidus omni conatu suo frustratus est. Sed iterum rediit ad faciendũ periculum, si eam frãgere posset stomachi euersione. Nam cùm sacra virgo illud abominabile vulnus rursus aperuisset, vt ablueret, intolerabilis fœtor, Dæmone id efficiente, immodicam eius stomacho nauseam attulit. Sed illa in suum corpus sancta quadam iracundia incitata. Viuit, inquit, Altissimus, quia hoc ipsum quod vsque adeò perhorrescis, intra tua viscera condetur: statimq́ue illius horrendi vulneris ablutionem & saniem in scutellam collectã, seorsum abscedens totam ebibit; moxq. nauseæ illius tentatio omnis sopita est: & ipsa postea fassa est patri Raymundo, nunquã se tam suauem cibum vel potũ in omni vita hausisse. Hæc sunt reuera admiranda, & apud cordatos auditores indubitata signa raræ virtutis, & eximiæ sanctitatis. Apparuit autem ei Christus nocte sequenti, posteaquam tam præclarè diabolum, naturamq. propriam debellasset, & eam ad sacratissimũ vulnus lateris sui admouens, ineffabili & inexplicabili potu admirabiliter refecit: vnde tanta gratiæ abundantia in eius mẽte diffusa est, vt etiam in corpus redundarit, nec deinceps vnquam more solito cibum acceperit, sed neque potuerit accipere: quod certissimo fuit argumento, eam visionem minimè dubiam fuisse.

Quartũ certamẽ.

Certaminis triũphus.

II.

Cæterùm hæc misericordiæ opera ad corporis præcipuè obsequiũ spectant. Ad maiora veniamus, quæ ad animæ salutem pertinent; quæ tanto sunt præstantiora, quanto anima mortali corporis natura præstãtior est. Quãuis autẽ muliebris sexus ad hoc minùs idoneus sit, ille tamen, qui (vt initiò diximus) infirma mundi eligit, vt fortia quæq. confundat; quiq. vnius viduæ mulieris opera Holofernis caput amputauit, & castra fudit Assyriorũ; hoc adeò fragili mulieris vasculo ad animarũ salutẽ vti voluit; quãuis sancta virgo ab hoc officio, propter sexus cõditionẽ, se humiliter excusaret. Quia verò diuinæ sapientiæ propriũ est, dignos operũ suorum ministros eligere, aut etiã facere; qua ratione hanc virginem ad hoc opus instruxerit, expendamus. Apostolos enim, quos Euangelij atque nouæ legis præcones instituit; Spiritu sancto repleuit, & linguarũ omniũ facultate donauit. Paulum verò (quẽ supra cęteros laborare voluit) in paradisum

1. Cor. 1. Iudith 13

Actor. 2. 1. Cor. 13. 2. Cor. 12.

disum etiam rapuit, vt, tanta pietatis & iustitiæ mercede inspecta, ardētissimo studio ad eam promerendā homines incitaret, nullumq. propter hoc laborē, quamlibet intolerabilem, recusaret. Quod ipse quidem se præstitisse confitetur, cùm dixit: Omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur.

2. Tim. 2.

Principiò igitur, cùm hæc sācta virgo in puellari adhuc ętate constituta, votum iam virginitatis emisisset; incredibili salutis animarum desiderio, Spiritu sancto cooperāte, flagrauit. Vnde peculiariter illos amabat sanctos, qui animabus lucrādis operā nauassent: intellexitq. diuinitus beatissimū Patrē Dominicum, zelo fidei & salutis animarum incensum, ordinem fratrū Prædicatorum instituisse. Quæ res in eius animo tantam erga illum ordinem reuerentiā excitauit; vt, si quos vidisset fratres sancti Dominici suas ædes transeuntes, illorū obseruaret vestigia, eaq. illis abscedētibus, humiliter ac deuotè exoscularetur. Porrò creuit in eius pectore ingens desideriū illius instituti cōplectendi, vt posset cum fratribus saluti animarum incumbere: sed sexu id non permittente, cogitabat sanctam Euphrosynam hac in parte imitari, & instar illius fingere se masculum, atq. procul in regionibus ignotis se adiungere fratribus Dominicanis. Hoc autē fraternæ salutis desideriū in matura iam ætate auxit, animarum sanctarum pulchritudine mirabiliter ei ostensa. Orante enim sancta virgine, vt dignaretur sibi Dominus hanc præstare gratiam, vt posset videre elegantiam animarum omnium cum ipsa versantium, & ad ipsam venientium, vt tanto magis accenderetur ad curandam earum salutem; Dominus eam exaudiuit: atque ex eo tempore quoties aliqui ad eam venissent, magis ad eorū animas, quàm ad corpora intēta erat, ita vt sæpe non aduerteret corpora: nec quisquam ferè postea ad eam accessit, cuius animæ statum non peruideret: dicebatq. Patri Raymundo: O Pater mi, si vidisses animæ pulchritudinem, non dubito, quin pro illius salute libens centies mortem oppeteres.

Addam his aliud longè mirabilius, eius dono concessum, qui in cunctis operibus suis & mirabilis, & incōprehensibilis est. In maturiori ætate ex multa gratiarum affluentia ita cor virginis diuino est amore inflammatū, vt planè decumberet, nec posset surgere è lecto. Omnis autem hic languor ab amore proficiscebatur. Petebat illa nunc ardētissimè à Domino, qui ei sæpissimè apparebat, vt dignaretur ipsam tollere ex hac vita; sed cùm sentiret id Dominum nolle, rogauit, vt quàm diu eam vellet esse in corpore, dolorū, quos ipse in hac vita pertulisset, participē facere dignaretur. Id verò præstitit ei Deus, eamque egregiè afflixit, vt solet charissimos filios suos. Porrò cum incremento afflictionū cordis & corporis, multis modis etiā auctus est amor Christi: cuius

fti:cuius tanta demũ vis fuit,vt cor virginis à fummo vfq.deorfum crepuerit; ruptifq.vitalibus venis,fola vi diuini amoris fpiritum reddiderit. Hoc autẽ tanta diuini amoris vi euenire potuiffe,nemini effe debet incredibile,qui fciat, id interdum accidiffe,vt quidã vel triftiffimo vel lætiffimo etiam nũcio accepto animã efflauerint. Mœroris enim magnitudine cõftricto corde, aut immodica etiã lætitia dilatato,naturale eius tẽperamentũ, & vitã cũ eo fimul amiferũt. Quod ergo terrenorũ affectuũ vis facit,quid mirũ,fi diuini amoris virtus pleniffimè in cor hominis effufa idem efficiat? Huius autem rei cõplures fuêre teftes, qui ibidem affuere; idemq.ipfa virgo teftata eft, animam videlicet à corpore difiunctã fuiffe,vidiffeq.fecreta Dei, quæ nullis poffint verbis enarrari;vidiffe gloriã Sanctorũ,& pœnas peccatorum,tã apud inferos,quàm in locis purgatoriis prorfus inexplicabiles:quarum minima tãta fit,vt,fi eã viderent homines, decies potius mortẽ effent oppetituri,quàm illam vellẽt perpeti vel vno die. Durauit autẽ hæc animæ à corpore feparatio ad horas quatuor; tandemq. voluit Dñs vt ad corpus denuò rediret, & ea quæ vidiffet,hominibus patefaceret, pro illorumq. falute laboraret: ficque reddita eft vitæ,non abfq fummo dolore,quòd ab illa luce ad has tenebras & vitam miferam redire oporteret: cui vbi fe fenfit reftitutam,tribus diebus & noctibus fleuit continenter. Et ne quifquam putet res vanas nos referre,nouerit, eo tempore quo fancta virgo animã efflauit,quatuor ei affuiffe fratres Dominicanos; defunctam autem penè omnes vicinas vidiffe,& vtriufque fexus notos permultos. Ex fratribus autem quatuor, vnus Ioannes, cùm vidiffet eam fpiritum reddidiffe, incredibili dolore percitus in tantos prorupit eiulatus, vt rupta arteria multũ fanguinem vomeret,idque tam crebrò,vt de eius vita defperaretur. Tum verò F. Thomas,fanctæ virginis cõfeffarius,cùm ingenti fide dixit fratri Ioanni: Scio hanc virginem magni effe meriti apud Dominũ: admoue igitur facras manus eius huic horrendo vulneri tuo, & haud dubiè curaberis. Fecit hoc ille coram omnibus,& repentè fanatus eft. Hoc igitur diuino lumine fancta virgo irradiata,tanto ardore animarũ falutem fitiebat, vt inftar Apoftoli Pauli anathema pro fratribus fieri optaret. Sic enim quidam eam in ecftafi pofitam ad Dominum orantẽ audierunt: Mi Domine, quónam modo ferre potero,vt, qui ad imaginem tuã formati funt,in æternum pereãt? An non in maiorem gloriæ tuæ cumulũ cederet, vt, falua charitate,ego fola perirem,corporifq.mei obiectu aditum ad inferos obftruerem,omniaque gehennæ tormenta perferrem,quàm vt tot animarum millia à beatitudinis tuæ confortio excluderentur? Huic autem petitioni (vt ipfa poftea confeffario fuo reuelauit)

Rom. 9.

Dominus

Dominus respondit, nullo modo fieri posse vt charitati locus apud inferos esset. Tantam enim charitatis vim atq. potentiam esse, vt magis ipsa gehennæ flammas extingueret, quàm ab eis ipsa lædi posset. Hæc autē sanctæ virginis petitio satis declarat, quo ardore illa animarum salutem sitiret, & quo animi æstu atque dolore earum mortem lamentaretur. Hanc igitur mentem, hunc affectum humanæ salutis amator Dominus illi immisit, vt tanto ardentiùs animarum saluti vacaret, quanto flagrantiori salutis earum desiderio æstuabat.

Nota

Quantus autem animarum fructus inde fuerit consecutus, eius vitæ scriptor Raymundus exponit his verbis: Quis narrare sufficiat, quot sceleratos homines ab ipsis inferorū faucibus extraxerit? quot obstinatos ad sui cognitionem adduxerit? quot mundo huic deditos, ad eius contemptum induxerit? quot variis diuexatos tentationibus è Satanæ laqueis liberauerit? quot cælitus vocatos per virtutū iter deduxerit? Si cuncta corporis mei membra verterentur in linguas, nequaquam tantum hunc animarum fructum explicare possent. Vidi ego nonnunquam vel mille, & eo ampliùs vtriusque sexus homines ad eam videndam & audiendam confluere, soloq. eius aspectu ita ob sua malefacta animo compunctos, vt lugentes properarent ad cōfessarios (de quorum numero ipse eram) qui cum ingenti contritione peccata sua confessi sunt: & id crebrò contigit. Quam ob causam Gregorius, eius nominis vndecimus Romanus Pontifex, mihi & duobus sociis eam dedit absoluendi facultatem, quam Episcopi habent. Et certè multi venerūt ad nos immanibus implicati facinoribus, qui vel nunquam fuerant confessi, vel nunquam pœnitentię Sacramentum ritè perceperant. Itaq. nō rarò vsque ad vespertinas preces ieiuni permāsimus, nec tamen audire potuimus omnes cōfiteri volentes, sed virgo sancta sine intermissione orabat, & ita victrix, capta pręda, exultabat in Dño.

Quid igitur ex his, quę hacten⁹ dicta sunt, sequitur, fratres? Multa sanè, quæ prudens atq. pius auditor ex hac nuda narratione elicere poterit. Sed illud in primis, vt intelligat, quo ardore humanæ salutis auctor, animarū, quas ipse sanguinis sui pretio redemit, salutem sitiat; qui hanc virginem tot modis instruxit, vt animas, è faucibus draconis ereptas, auctori suo restitueret. Deinde hoc eodem argumento facilè quisq. intelligere poterit, quanta cura & studio animæ suæ salutem curare debeat, cùm videat hanc virginem, vbi piorum gloriā, & damnatorum pœnas inspexisset, vsque adeò salutis earum desiderio exarsisse: vt corporis sui obiectu inferorum ostium obstrui concupierit, idq. à Dño ardenter postulauerit, ne quis fidelium eò descenderet. Quo ergo studio suæ quisque salutis curam agere debet, qui

hanc

hanc virginem cernat alienæ salutis gratia gehennæ tormenta (salua tamen charitate) propter eam perpeti voluisse? Ex his etiam colligere licet, quàm grati Deo sint, qui pro sua quisq. facultate & vitæ cõditione errantes ad veritatis viam reuocare, & stantes confirmare contendunt: quamq. contrà inuisi ei sint, qui coram cæcis offendicula ponunt; hoc est, qui prauis exemplis & consiliis, qui blandis adulationibus, fallacibusque & subdolis promissis, infirmas proximorũ mentes ad flagitia inducere conãtur, Tales enim, vt Satanæ ministri & cooperatores, vt Christi hostes, & Antichristi membra, eos sequentur in pœnis, quorum vestigia in vita secuti sunt.

Postremò ex his quæ de virginis laudibus, clarissimisq. virtutibus dicta sunt, admirandam diuinæ gratiæ potentiam atque virtutem animaduertere licet: cuius vi Catharina virgo singularem hanc incõparabilemq. sanctitatem adepta est: quæ tanto est mirabilior, quanto ea pluribus paternæ domus impedimentis magis premebatur. Si enim aut in monasterio virginum Deo dicatarum vitam ageret, aut priuatis parietibus inclusa secum sola habitaret, secumq. viueret (quod vitæ genus nonnullæ feminæ sectatæ sunt) non adeò mirum esset, eam ad hunc adeò sublimem sanctitatis gradum peruenisse; at in propria ciuitate, in paterna domo, eaque paterni officij negotiis exposita degentem, & inter parentes ipsos, virginem ab intentionis & abstinentiæ suæ proposito ad laxiorem vitam reuocantes, agentem, inter perstrepentes famulos atque germanas, & inter vicinos ac notos (quibus paternæ domus ostium semper patebat) potuisse sic vitam instituere, sic carnis macerationi, diuinarumq. rerum contemplationi se totam dies noctesq. impendere, quasi longissimo interuallo ab his omnibus abesset, & solitariam in deserto vitam ageret: hoc verò omnem superat admirationem, mirabilemq. diuinæ gratiæ potentiam declarat. Hæc autem res, fratres, partim socordiam nostram arguit, qui hoc tanto diuino munere (quod omnibus in promptu positum est) vti nolumus; partim causam improborum apud supernum iudicem (qui in omnes fideles gratiæ suæ opes effundere paratùs est) inexcusabilem reddit; partim pios in instituta pietate confirmat, & currentibus calcar addit, cùm hoc tantum diuinæ gratiæ munus sibi quoque propositum esse intelligãt; quo instructi, & diuinis præceptis obtemperare, & mundi gloriam spernere, & carnem spiritui subijcere, & serpentis antiqui dolos & insidias euadere possint. His enim monstris superatis, omnibus pietatis & iustitiæ cultoribus ad sempiternam beatarum mentium felicitatem aditus patet.

IN EODEM FESTO SANCTÆ CATHARINÆ SENENSIS, CONCIO TERTIA: in qua admiranda priuilegia & beneficia, quę in hanc sanctissimam virginem Christus Dominus contulit (quibus immensas bonitatis suę opes declarauit) referuntur.

THEMA. *Quàm bonus Isráël Deus his qui recto sunt corde!* Psal. 72.

HAEC Prophetæ verba quæ nunc proposui, fratres, parum fortasse beatissimæ virginis Catharinæ diei festo accommodata videbuntur, sed paulo pòst tamen cùm singularia priuilegia & beneficia quæ in eam Christus Dominus contulit, exposuerimus (quibus immensas bonitatis & charitatis suæ diuitias, non in ea solùm, sed in omnibus etiam qui simili cordis rectitudine & puritate prędit sunt, declarauit) facilè videbitis, ea nō temerè huic sanctissimæ virgini accōmodata fuisse. De hac igitur ineffabili Dei nostri bonitate, qua & in electis omnibus, & in hac præcipuè sanctissima virgine vsus est, sermonem hodie instituere decreui, vt hoc exemplo fideles intelligant, quid de tanta bonitate sibi polliceri atque sperare possint, si simili cordis puritate & rectitudine fuerint exornati. Vt autem hoc argumenti genus pro dignitate tractare possimus, cælestem opem, sacratissimæ Virginis matris interuentu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Cùm sint, fratres charissimi, infinitæ propemodū causæ, quæ nos ad cōmunis Domini cultum & amorē incendāt; nulla sanè efficacior & potentior est, quàm quæ immensa & infinita eius bonitate cōtinetur. Quamuis enim qui nōdum eā experiendo cognouerunt, magis aut cælestis pręmij spe, aut gehennæ metu (vigente adhuc in illis amoris proprij vi) ad hoc excitentur; tamen vbi iam in virtutis officio progressi, quendam eius gustum atque suauitatem perceperunt, multo magis hac vna re, quàm quibusuis aliis, ad eius amorē impellūtur, ita vt dicere iam cum Apostolo quodāmodo possint; Etsi cognouimus Christum secundùm carnem, sed nunc iam nō nouimus. Tales enim magis huius bonitatis intuitu, quā præmij spe, aut pœnæ metu aguntur. Hinc elegāter D. Bern. Verus, inquit, amor de spe vires non sumit; & tamen diffidentiæ damna non sentit. Quibus verbis vt sanctus ostendit, eos, qui plurimùm in Dei amore profecerunt, vsque

2. Cor. 5.

Bernard.

vsque adeò immensæ bonitatis eius pulchritudine captos esse, vt vel ea solũ ipsos ad omnia pietatis & religionis officia sic incendat, vt, etiam si nulla eis cõstituta esset merces, nihil tamen de solito pietatis & deuotionis obsequio remitterent. Vt enim, teste Ioãne, perfecta charitas foras mittit timorẽ; (eũ videlicet, qui pœnæ metu homines in officio continet) ita simili ratione lucri cupiditatem excludit, quia qui Deum perfecto amore diligunt, non spe aut metu, sed immensę illius bonitatis amore ducuntur: Sui enim amore à se (quatenus in hac vita licet) abdicato, nõ se ipsos, sed immensam diuinę bonitatis pulchritudinem contemplantes, quidquid illi ingratũ est, summo odio detestantur; & quidquid gratum & placitum est, flagrãtissima charitate prosequũtur. Nec ideo tamen ij mercede carẽt, quoniã à mercedis intuitu oculos auertunt; imò verò, quo minùs in mercedẽ oculos intendunt, eo maiori mercede donantur: quia purius atque sanctius Domino boni operis sacrificium offerunt. Hinc idem Bern. Charitas, inquit, mercenaria non est, & tamen sine mercede non est. Neq. verò cuiquam aut mirum aut incredibile videatur, hoc animo ac mente sanctissimos viros fuisse, cùm in ethnicis etiam Philosophis quandam huius rei vmbram videre liceat: sic enim apud Ciceronem legimus: Nobis persuasũ esse debet, si deos homines q́ue celare possimus, nihil tamen auarè, nihil iniustę, nihil libidinosè esse faciendũ. Honesta enim bonis, non occulta quæruntur. Si hoc igitur tanto odio ethnici homines peccatũ, ob eam solùm deformitatẽ quæ in ipso est, prosequuntur, tantoq. amore honestatem diligunt; quid eos facere par est, qui, singulari diuini Spiritus luce & beneficio, incõprehensas diuinæ bonitatis opes contemplantur, & earum intra se velut quasdam primitias perceperunt? Cùm autem omnia quæ cælo, terra, mariq. continentur, clarissimis naturæ vocibus immensam diuinæ bonitatis gloriam prædicent atque testentur; res tamen gestæ Sanctorum, & vita innocentissimè acta, & clarissima dona illis à diuina largitate cõcessa, hoc ipsum maximè declarant. Si quis enim Sanctorum vitas attentiùs legerit, inueniet planè tantam huius bonitatis significationem, tantas diuinæ benignitatis & gratiæ opes, tot illis & viuis, & vita functis, ac posteris etiam eorum honores exhibitos, vt tantæ bonitatis & benignitatis magnitudine stupefactus clamare cum Propheta cogatur: Quàm bonus Israël Deus his qui recto sunt corde? Quòd si cui nimis longum videtur per Sanctorum vitas oculos circumducere, breue hoc illi compendium commonstrabimus: In vnam Catharinam Senensem oculos intendat, in quam tam præclara dona & beneficia cælestis sponsus contulit, tantamque in eius mente excolenda, & virtutibus cunctis exornanda,

1. Ioan. 4.

Bernard.

Cicero 3. Offic.

Psal. 72.

bonitatis

bonitatis & charitatis suæ significationem dedit, vt hoc vno exemplo eruditus, in maximam immensæ bonitatis huius admirationem stuporemque adducatur.

Sed quoniam adeò noua & insolita sunt quæ in hac virgine Dominus operatus est; ne cui tantarũ rerum nouitas fidem adimat, meminisse debet, nõ semper vno eodemq. modo auctorem gratiæ, Deum, gratiæ suæ opes Sanctis suis dispensare solitum fuisse. Ad infinitam quippe sapientiam & magnificentiam eius pertinet, vt multis variisq. modis suam erga fideles amicos suos gratiã & charitatẽ ostendat. Rectè enim Theodoretus, Quemadmodum, inquit, noui Reges nouis imaginibus & figuris monetam insculpi ætate sua præcipiunt (quo fit, vt multorum Regum sibi inuicem succedentium maximè variæ imagines atque monetæ sint) ita sempiternus ille seculorum Rex, pro variis ætatibus varia sanctitatis genera esse voluit, variaq. gratiæ suæ dona atque munera Sanctis suis impartitus est: quod facilè exempla sequentia declarabũt. Quid enim, quęso, mirabilius, magisq. nouũ (vt ab hoc antiquissimo exemplo ordiar) quam summa illa Dñi cum Moyse familiaritas, per quam non semel atq. iterum, sed quoties vir sanctus volebat, facie ad faciem, velut amicus cum amico, cum Deo loquebatur? Nec minus nouum illud, quòd in monte positus, quadraginta diebus sine cibo, sine potu, sine somno cum eodem Domino, solo diuinæ suauitatis colloquio atque conuictu refectus, permansit. Quid magis nouum aut insolitum, quàm Pauli raptus in tertium cælum, cui & Deum videre, & ineffabilia arcana contemplari datum est, & in illo itinere datum, quo ad deuastandam Ecclesiam proficiscebatur? Dathan & Abironem viuos terra deglutiuit, & ad inferos transmisit, quòd aduersus Moysem, Dei famulum, rebelles extiterint: Paulus autẽ, qui furiis inuectus, toto pectore Dei Filium persequebatur, non ad inferos cum illis detruditur, sed in paradisum rapitur, & ad diuinæ visionis gloriam eleuatur. Quis igitur inter mortales hoc aut sperare, aut suspicari potuisset? Quid magis nouum, quàm quod Apostolo Petro concessum est? cuius vel sola corporis vmbra, quoscumque morbos attigisset, depellebat? Iam verò quis non beatissimæ Mariæ Magdalenæ vitam miretur, quæ in Marsiliæ rupe tribus ac triginta annis sine cibo potuque permansit, septiesque in die Angelicis manibus in altum sublata, eorundem Angelorum choros diuinas laudes concinentes audiebat? Atque vt ad inferioris ætatis exempla veniam; quid mirabilius, minusque consuetum, quàm beati Simeonis Stilitis vita, quã Theodoretus, insignis auctor, in historia religiosa scripsit; cuius etiam oculatus testis, & sancti viri amicus extitit? Is igitur octo & viginti annis in columna, sex

Theod. in histor. religiosa. Simile.

Exod. 33.

Exod. 34.

1. Cor. 12.

Num. 26

Actor. 5

Theod.

sex & triginta cubitis à terra eleuata, omnem cæli & aëris inclementiam & intemperiem sustinens, sine vllo tegumento transegit; quodq. mirabilius est, totidem annis, toto Quadragesimæ tempore ieiunus, sine vllo cibo atque potu permansit. Hac autem adeò noua & insolita viuendi ratione vniuersum orbem in tantæ rei admiratione impulit, & ad nouum illud spectaculum videndum excitauit: cumque omnes qui variis morbis infecti essent, sanitatis beneficium ab eo perciperent, non corpore solùm, sed mente etiam sanabantur: & infideles etiam atque barbaræ nationes, tantæ rei cõsideratione stupefactæ, pristino errore repudiato, ad Christi fidem conuertebantur. Ad hæc, quis non miretur nouum illud viuendi genus quod beatus Alexius, Spiritu sancto instigante, elegit, qui decem & octo annis in paternæ domus angulo vitam egit, multas & graues seruorũ suorum iniurias perferens: quem nec patris gemitus, nec matris lacrymæ, nec amantissimæ sponsæ solitudo, nec paternæ domus opulentia (quam coràm aspiciebat) tam longo spatio flectere potuerunt, vt extremam illam mendicitatem atque inopiam cum paternæ domus opulentia commutaret? Cuius ergo virtutis fuit, tam paratas ac promptas paternæ domus opes sponte sua tam diu repudiasse? Nec hoc loco magnũ illud diuinæ gratiæ opus silentio prætereundum est, quo beatissima Catharina martyr, annos nata decem & octo, quinquaginta summos Philosophos, ex diuersis mundi regionibus aduectos, vna disputatione sic ad Christi fidem conuertit, vt pro ea mori non dubitarint. Quis igitur non videat, omnia hæc exempla, quæ breuiter attigimus, noua esse, & præter communem diuinæ gratiæ cursum ordinemque à diuina Sapientia mirabiliter excogitata? Hac enim ratione diuinæ sapientiæ atque bonitatis opes magis elucent; quæ iampridem inuentis minimè contenta, alia atque alia quotidie gratiarum genera ad sui nominis & sanctorum suorum gloriam excogitare potest.

His exemplis, fratres, arbitror vos his quæ dicturi sumus (quamuis prima fronte incredibilia videantur) fidem adhibituros. Quod vt libentiùs faciatis, hoc vno exemplo, quid de huius virginis excellentia vobis iudicandũ sit, breuiter indicare curabo. Paulus Apostolus in 1. ad Timoth. epistola, se in exemplar diuinæ patientiæ & misericordiæ datum mundo fuisse ait, vt in eo primùm ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri essent. Verè enim hac adeò stupenda Pauli conuersione Christus Dominus, quousque diuina misericordia pertingeret, non obscurè declarauit, quando immanissimum Ecclesiæ persecutorem, nullis præcedentibus meritis, immò verò summum supplicium exigentibus, ad tan-

1. Tim. 1.

tam subitò extulit dignitatem, non modò vt Apostolus ex truculentissimo hoste fieret, sed in paradisum raptus, arcana illa atque ineffabilia mysteria contemplaretur. Quanta ergo illa misericordia fuit, quæ hucusque peruenit? Certè post ineffabilia Dominicæ incarnationis & Eucharistiæ mysteria, in quibus misericordiæ suæ viscera testatissima esse mundo Deus voluit, non video maius diuinæ miserationis argumētum, quàm quod in hac Pauli conuersione declaratum est. Vt ergo Christus Dominus misericordiæ suæ in Paulo; ita in hac virgine charitatis & amicitiæ, qua Sanctos suos prosequitur, exemplar constitutum esse voluit. Quemadmodū enim ludimagistri, qui scribendi formam pueris tradere volunt, elegantissima litterarū exemplaria in loco vrbis edito suspendere solent, vt eorum in hac arte peritia omnibus addiscere volentibus conspicua fiat: ita summus ille animarum sanctarū amator, quibus eas oculis intueatur, qua charitate diligat, quibus fauoribus prosequatur, qualem earum curam & prouidentiam gerat, quibus eas & in vita & in morte honoribus afficiat, quibus eas deliciis, in hoc etiam exilio agentes, recreet atq. reficiat, admirandis beneficiis in hanc virginem collatis voluit declarare, vt eius videlicet exēplo pij omnes, quid sibi ab hoc fidissimo animarum Spōso polliceri atque sperare possent, intelligerent.

Simile.

I.

His ita constitutis, nunc virginis laudes, imò verò stupenda Christi munera explicare incipiamus: vestrum autem erit ea iustis ponderibus librare, ne, si nos in his amplificandis fuerimus immorati, tēporis inopia multa scitu dignissima prætereamus. Igitur postea quàm virgo sanctissima ab ineunte ætate ieiuniis, vigiliis, orationibus, & arctissima silentij custodia, & seuerissima corporis sui castigatione, cæterisque sanctis exercitiis, & misericordiæ operibus, dignum se cælesti Sponso habitaculum præparasset, & cor suum ab omni terreno affectu purum & integrum conseruasset, & carnem item suam ab omni impuræ labis contagione defecatam, velut spirituale tympanum, in quo laudaret Dominum, effecisset; non distulit cælestis Sponsus castum sibi domicilium in eius anima deligere, eamque sibi sponsam arctissimo charitatis vinculo copulare.

Simile.

Quemadmodum autem in arboribus ante fructus præcedere flores solent; ita ante cælestia dona, eorum donorum ardentia desideria antegredi solent. Immisit ergo Dominus in mentem eius flagrantissimum hoc desiderium perueniendi ad perfectum fidei gradum. Itaq. cum Apostolis orabat: Domine, adauge mihi fidem, eamq. adeò in me perfice, vt nulla possit aduersantium hostium vi concuti vel prosterni. Cumque sæpe oranti illi, sæpe etiam

Lucæ 17.

etiam responderet Dominus, Desponsabo te mihi in fide: tandem pridie eius diei quo sollẽne ieiunium Quadragesimæ incipitur (quo tempore seculi homines ventri & gulæ se totos addicunt, atque omnes intemperantiæ habenas laxant) illa se in cubiculum suum includens, ardẽtissimè eam, quam diximus, fidei perfectionẽ à Domino postulabat. Et quia verissimè à Propheta dictum est; Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui: tandem orãti illi, & promissa à Domino fidei sponsalia instanter atque suppliciter postulanti, ecce fidelis in promissis suis Christus Dominus ad virginem venit, vt eam sibi in fide, quam postulauerat, desponderet. Vt autem tanti Principis sponsalia solemni ritu celebrarentur, testesque tanto festo digni adessent, beatissimam Virginem Matrem, dilectissimumq; discipulum Ioannem, & Paulum Apostolum, cum beatissimo Patre Dominico secum duxit, quos deinceps ponè sequebatur egregius Psaltes Dauid, psalterium in manibus gestans, cantuque dulcissimo nouam Christi sponsam cælesti melodia exhilarans. Tunc autem beatissima virgo Maria nouæ sponsæ dexteram prẽdens, eamque versus filium dirigens, inenarrabili quadam gratia à dulcissimo filio postulabat, vt purissimam illam virginem in fide sibi desponsaret. Tunc idem Filius lætissimo vultu Catharinæ dexteram apprehendens, aureum annulum, quatuor pretiosissimis margaritis, & fulgentissimo adamante adornatum, in annularem virginis digitum immittens, Ego, inquit, Creator & Saluator tuus, te mihi in fide despondeo: quæ quidem fides ab hac hora immota permanebit, donec in cælesti thalamo mihi perfectissimè cõiungaris, vbi hæc spõsalia cælestibus nuptiis perficienda & consummanda erunt, vbi immensam pulchritudinem meã facie ad faciem cõtemplaberis, eaque perpetuò frueris. His dictis, cælestis Sponsus, & gloriosus ille Sanctorum chorus abscessit, virginem relinquens tanta lætitia completam, quantam nulla humana facundia poterit explicare.

Osee 2.

Psal. 36.

His igitur sponsaliis tanta solemnitate celebratis, quid iam incredibile de hac virgine prædicari poterit, quæ vnicũ Dei Filium, & omnipotentem Deum, in dilectissimũ sponsum habere meruit; cùm legitimi matrimonij ea lex sit, vt sponsi opes & facultates, & regia dignitas, mutuusq; amor vtrique communia sint? Itaq; post hæc cœpit Christus cum ea tã familiariter versari, tamque frequenter illi apparere, vt propè fidem vincere videatur; sed illis qui nondum gustarunt quàm suauis & benignus sit Dominus Iesus. Manebat etiã diutiùs solito cum illa, & interdũ beatissimã Matrem suã secum adducebat, & alios Sanctos: sed vt plurimùm solus ad eam veniebat, loquens cum ea

amicissimè, idque adeò, vt non rarò cum illa pariter diceret Psalmos, ambulans cum ea huc atque illuc in cellula. Hæc fortassis quibusdam videbũtur incredibilia, sed meminerint quàm familiariter idem ipse Dominus olim in terris vltra triginta annos, etiam cum impiis & peccatoribus, vixerit: meminerint quæ ex eius persona dicantur in Prouerbiis Salomonis: Deliciæ meæ esse cum filiis hominum: quanquam negari non potest, eximium, & re vera singulare fuisse, quod hac in parte huic à Deo singulariter dilectæ virgini præstitum fuit. Hæc igitur prima virginis dignitas.

Prou. 8.

Sequitur alia præcedenti consentanea gratia, nec minùs tamen mirabilis. Quadam die vehemẽtissimi amoris vulnere virgo sauciata, instanter à Domino petebat, vt à se cor suum & omnem propriam voluntatem radicitus euelleret, vt omnibus in rebus, siue lætis, siue tristibus, sine vlla tergiuersatione se illi obsequentem atque morigeram præberet. Videbatur autem illi sic orãti in visione venire Christus, & latus eius sinistrum aperire, ablatoque corde recedere. Et reuera non potuit illa aliud sentire, quàm se corde destitutam. Cùm id autem diceret suo confessario, ille deridebat eam. Durauit hoc aliquot dies; & ecce illa è sacello Ecclesiæ Dominicanorum Senensium quadam die exire volente, cum multa luce apparuit ei Dominus, ferens in manu cor quoddam rubicundum & illustre, propiusque accedens, illud in sinistrum virginis latus imposuit, dicens; En, filia mea charissima, habes pro corde tuo cor meum: clausitque latus eius. Sed ne putaretur hoc inane phantasma esse, illo in loco cicatrix permansit, quam sociæ eius se vidisse sæpe testatæ sunt. Hinc factum est, vt, quoties sancta virgo cor suum Domino commendaret, non, Cor meum, sed, Cor tuum tibi Domine commendo, diceret.

Quid autem ex hac adeò stupenda cordis mutatione fuerit consecutum, facilè quisque poterit diuinare. Non enim rerum omnium conditor hac mirabili ratione tam diu apud se cor illius retinere voluit, nisi vt illud ardentissimo amore, & gratiarum omnium affluentia repleret. Cuius rei eadem sancta virgo certissima testis est, quæ incredibilem charitatis ardorem in corde suo sentiebat. Ex hoc autem ardore, dicebat illa confessario suo: Existit quædam in anima mea renouatio puritatis & humilitatis, ita vt videar mihi rediisse ad ætatem quatuor vel quinque annorum: tantus quoque inde in me accenditur amor fraternus, vt non solùm libenter, sed etiam hilariter pro quocunque proximo velim mortem oppetere. Et hæc quidem sancta virgo non nisi confessario suo clàm dicebat; cæteros, quantum poterat, celabat.

Quam-

Quamuis autem ea, quę diximus, maximè miranda sint, mirabilius tamen est quod modò referã. Testatur enim obseruandus Pater Raymundus, sacram se communionem Pisis in Ecclesia S. Christinæ, virgini præbuisse: cumq; more suo diu mansisset in ecstasi, ipsum cum aliis exspectasse; donec ad se rediret, subitoque ipsis cernentibus corpusculũ eius, quod iacebat prostratum, se erexisse paulisper in genua, sicq; brachia extendisse, facie rutilante, diuque ita permansisse, sed planè rigidũ, & oculis clausis, tandem perinde ac si lethali fuisset cõfectum vulnere, repentè decidisse, & paulò pòst ipsam sibi fuisse restitutam. Deinde autem secretò indicasse eam ipsi fide dignissimo Patri Raymundo, Dominum Iesum Christum sub illo raptu, modo admirabili, ipsius corpori quinque vulnera impressisse. Itaq. eidẽ Patri ait, Verissimè scias, Pater, me propter immensam Domini mei misericordiã eius stigmata in corpore meo percepisse. Vidi enim Dominum meum splẽdidissima luce amictum supra ancillam suam descendere. Cùm autem anima mea in eius occursu ardenter festinaret, corpus ipsum subitò in sublime extulit. Protinus autem ex ipsis Domini mei vulneribus quinque sanguinolẽti radij emanãtes, duo versus manus meas, totidemque versus pedes, quintus autem in dextrum latus recta linea in cor meum directus est. Intellexi autẽ quid sibi hoc mysterium vellet; & non quidem externa, sed interna mentis voce clamare cœpi: Ah Deus meus: nulla obsecro in corpore meo externa huius beneficij signa permaneant. Vix autem verba finieram, & ecce sanguinolenti radij in splendidissimam lucem commutati sunt; quos sub hac forma in corpus meum excepi. His auditis, Tu, inquit Raymundus, filia, in istis corporis locis dolorem sentis? Tantum, inquit illa, Pater, dolorem sentio, vt, nisi magno Dei miraculo, diu in vita manere non possim. His dictis, sancta virgo domum delata, ad extremum spiritum deduci videbatur. Ego igitur (inquit Raymundus) & socij de eius vita desperantes, eandem vt mortuam, amarissimis lacrymis lamentabamur; vtpote qui, ea extincta, piissimam nos matrem atq. magistram amisisse lugebamus. Cùm autem paulò pòst ad se reuersa esset, deprecari illã cœpimus, vt ipsa à Sponso suo, propter filios quos in turbulento hoc pelago sine gubernaculo relinquebat, vitę inducias postularet. Cùm igitur his verbis, multisque lacrymis hoc ab illa peteremus: Ego, inquit illa, iam pridẽ omnem meam voluntatem in Domini mei voluntate repositam habeo, nec ab hoc proposito vlla ratione discedere potero; vos autem Dominum deprecamini, vt suam ipse in me expleat voluntatem. Nam, quod ad me attinet, ego propter eius amorem & mori & viuere ex æquo parata sum. Cùm igitur omnes magna vi precũ

diuinæ misericordiæ viscera pulsaremus, victus tandem misericordiæ parens, sequenti sabbatho non solùm acerbissimos, quos virgo patiebatur, dolores sustulit, sed eos contrà in iucundissimam lætitiam commutauit. Nemo autem molestè ferre debet, quòd huic sanctissimæ virgini sacra Domini stigmata concedamus; neque quisquam alicuius Sancti dignitati dedecus inferri putet, quòd eandem Dominus gratiam alteri concesserit. Neque enim Ioannis Baptistæ (qui in matris vtero Spiritu sancto plenus fuit) dignitatem minuit, quòd Hieremias etiam priusquam in lucem ederetur, sanctificatus esse dicatur. Neque enim par est, certis finibus Domini misericordiam ita circumscribere, vt, quæ semel alicui Sanctorum cõtulit, nulli deinceps impartiri debeat, cùm liberalissima eius manus (quãlibet multa largiatur) minui & abbreuiari non possit. Hoc ipsum enim Pius Papa II. in Hymno apertè testatur his verbis: *Quem latet virtus, facinusq; clarum, Quo nequit dici sanctius per orbem, Vulnerum formam miserata Christi Exprimis ipsa.*

Pius Papa II.

Cur autem Dominus voluerit summi beneficij loco & vulnerum suorum stigmata, & acerbissimos dolores amicis suis conferre, illud in causa esse puto, quòd hac ratione incomparabilem charitatis suæ magnitudinem illis voluerit declarare. Summus enim ille dolor, quem in corporibus suis experiebantur, summum Christi dolorem, summumque amorem (à quo dolor ille proficiscebatur) non obscurè declarabat. Quo magis autem hanc tantam vim amoris præsentiunt, hoc magis in tanti Redemptoris amore inflammantur. Hac item ratione Sanctos suos honore summo affecit; quando eos non modò in aliis rebus, sed in ea potissimùm quæ maximè sibi gloriæ fuit (nempe in passionis acerbitate) similes efficere voluit. Quo honore quid gloriosius? quid mirabilius? Hoc ipsum tamen animaduertere debent, qui variis calamitatibus, aut morbis, aut inopia premuntur, nempe Dominum electissimis amicis dolores acerbissimos summi beneficij loco præbuisse; ne tales animum despondeant, cùm se variis laboribus oppressos videant. Quamuis enim hi stigmata Domini membris expressa non ferant, Apostolus tamen labores omnes quos propter Christum Dominum libenter aut etiam patienter ferimus (quales Apostolus vbique tolerabat) non dubitauit hoc nomine appellare, cùm dixit: De cæterò nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini mei in corpore meo porto. Cuius autem meriti sit voluntaria hæc laborum perpessio, id, quod modò subijciam, satis apertè declarabit.

Galat. vlt.

II.

Meminisse debetis, fratres, me vobis initio concionis dixisse,

multa

multa huic virgini priuilegia præter vſitatum ordinẽ curſumque diuinæ gratiæ conceſſa fuiſſe: addã autem nouum & inuſitatum aliud, quod in maiorem vos admirationem rapiat, quodque, niſi in eo diplomate, quo ſancta virgo in Diuos relata eſt, contineretur, referre forſitan dubitarem. Id verò eſt, hanc virginem ab initio Quadrageſimæ ad feſtum vſque Pentecoſtes (quod trium ferè menſium ſpatium continet) ſolo ſacratiſſimæ Euchariſtiæ cibo victitaſſe. Quòd ſi hoc mirum vobis videtur, addam aliud longè mirabilius (quod eodem etiam diplomate continetur) nempe octo annorum ſpatio, ſimili modo, ſine vllo terreno cibo eam permanſiſſe, niſi quòd, propter vitandã multorum offenſionem, ſuccum herbarum coctarum deuorabat, quod tamen protinus vomitu, non ſine graui dolore, eiiciebat, ſtomacho nullam prorſus concoquendi cibi vim retinente.

Quid autem cæleſtis Sponſus ſibi voluerit, cùm hoc adeò inſolito priuilegio ſponſam ſuam donare voluerit, ſolus ipſe ſcit qui hoc inſtituit; nobis autem diuinare licet, multis de cauſis hoc illum decreuiſſe. Primùm, ne ſancta virgo ſumendi cibi occaſione à contemplationis ſtudio aliquamdiu reuocaretur. Deinde, ne vlla terrenæ rei voluptate, quæ inter epulas ſanctis etiam hominibus inſidiari ſolet, caperetur. Exinde, quòd hac ratione continuam patientiæ materiam (vt mox videbimus) virgini ſuppeditauit. Poſtremò, quòd hoc nouo miraculo inæſtimabilẽ Euchariſtiæ virtutem hominibus teſtatam eſſe voluit, qua non ſolùm interni hominis, ſed externi etiam vitam ea contineri docuit. Ex ipſa enim ſacroſancta Euchariſtia tanta cæleſtium conſolationum copia in eius mentem dimanabat, vt alimento corporeo ſtomachus non modò nõ indigeret, ſed neque ſine graui tormẽto illud poſſet percipere. Quòd ſi vim ſibi facere vellet, cibum ſtomacho recuſanti ingerendo, patiebatur duriſſimè, nec tamen ſequebatur concoctio, ſed rurſus per os violenter cibus omnis reiiciebatur. Multa propter hoc propè incredibile Dei donũ paſſa eſt ſancta virgo, ab ipſis etiam domeſticis, vt initiò non niſi tentatio & impoſtura diaboli putaretur. Erat per id tempus eius confeſſarius Thomas Dominicanus, iſque ſuſpicatus eam illudi ab angelo Satanæ, transfigurante ſe in Angelum lucis, cogebat eam quotidie cibum capere. Dicente autem ſancta virgine, ſe re ipſa experiri, meliùs ſe valere cùm cibo omni abſtineret; porrò eo ſumpto, ſe languere & debilitari: ille perſeuerabat in ſententia. Itaque, vt ſe veram ſanctæ obedientiæ filiam declararet, totis viribus conata eſt facere quod ille iubebat: ſed in tantum corpus omne defecit, vt parum abeſſet à morte. Tum illi ad ſe accerſito ait: Nónne, Pater, ieiunio mi hi interdiceres, ſi me illo confici &

enecari videres? Illo respondente, se planè interdicturum; subintulit virgo: Cùm ergo iam toties expertus sis, me sumẽdo cibo in præsens mortis discrimen adduci, cur non etiam prohibes ne cibum accipiam? Hic ille victus, cernensq́. certa mortis indicia in virgine, respondit: Fac sicut Christi Spiritus te docebit: video enim illum in te grandia operari. Nemo neque dicendo, neque scribendo possit consequi, quantum perpessa sit etiam à familiaribus propter eiusmodi rara Dei dona; quæ cùm illi capere non possent, carpere malebant & lacerare, quàm admirari & venerari. Murmurabant, obtrectabant, mordebant: ipsum etiam Thomam cõfessarium eò adigebant inuitum, vt eam reprehenderet. Hinc incredibiles in animo religiosæ virginis angustiæ nascebantur. Non enim illa aut præcepta sui confessarij negligere, aut proximis præbere offendiculum audebat. Solum ei solatium supererat in orationis refugio. Flebat corã Domino, & rogabat, vt suam voluntatem dignaretur tum aliis, tum in primis Thomæ confessario indicare. Et sæpe audiebat eam Dominus, & effecit vt confessarius sentẽtiam mutaret. Vbi autem ad omniũ notitiam peruenit, eam nullo cibo corporeo, nullo nisi aquæ frigidæ potu vti; omnes penè in eam commoti sunt, & religiosi & seculares; iactabanturque multa in illam temerè, impellente liuido Satana.

Porrò autem sancta virgo interrogata ab aliis cur non instar aliorum cibo vesceretur; mirabili humilitate Dei eximiam gratiam, quasi vltionem peccatorum suorum, interpretari solebat, ita respondens: Deus propter peccata mea raro quodam morbo me percussit, ita vt, quamuis libentissimè velim edere, non possim tamen. Quæso, precamini illum pro me, vt det veniam peccatis meis, quæ sunt causa malorum omnium quæ patior. Ecce vnde suppetebat non vulgaris sese efferendi materia, inde sancta virgo occasionem cepit de se viliùs sentiendi. Cæterùm vt omnem infirmis scandali ansam præriperet, statuit quotidie semel cum aliis ad mẽsam accedere, & modis omnibus periculum facere, num posset cibũ corpori ingerere; sed reuera ipse sumendi cibi conatus, nedum sumptio ipsa, tãtum eius corpori tormentum & molestiã afferebat, vt etiam crudelissimus quisque non posset nõ ei ex animo condolere, si coràm esset intuitus. Nam quidquid ingerebat corpori, aut per os reiici necesse erat, aut atrocissimè eam discruciabat, & penè totius corporis inflationes efficiebat. Et quamuis nihil eorum quæ dẽtibus terebat, præter succum solum, in stomachum delaberetur (nam crassam omnem substantiam exspuebat) & caueri vix poterat quin aliquid succi deglutiret, tum etiam ob refrigerãdas fauces & guttur libẽter aquam sorbillaret; attamẽ quicquid hoc pacto sumpsisset,

sumpsisset, cogebatur quotidie violenter ex imo stomacho exhaurire, fœniculi, aut alterius herbę virgula per os ad stomachũ vsq. depręssa: quæ res ei summos pariebat cruciatus. Atque hac viuendi ratione vsa est vsque ad mortem, propter eos qui eius ieiunio offendebantur. Cùm autẽ reuerendus Pater Raymundus cerneret quandoque eiusmodi carnificinam quam sancta virgo subibat, ne infirmis esset scandalo, miseratus eius vicem, hortabatur ne ita se crudeliter affligeret, sed potiùs murmurare sineret, quibus ita liberet; illa subridẽs, lęta respondit: Pręstátne, Pater, me hoc momentaneo tempore luere pœnas peccatorum meorum, quàm dare pœnas sempiternas? Murmuratores isti valde mihi vtiles sunt; quia illorum causa ego pendo creatori meo supplicia temporaria, cùm debeam æterna. An verò par est diuinæ me iustitiæ subducere? Minimè sanè. Magni beneficij loco ego pono, cùm iustitia exercetur in me in hac vita. Ad hæc nihil habebat Pater ille quod responderet: sed qui hæc audit, nisi planè truncus sit, facilè animaduertet, ad quam sublimem perfectionis gradum hæc virgo Christi perducta fuerit. Et solebat illa, itura ad mensam, dicere sociabus: Eamus ad sumẽda iusta supplicia de hac miserrima peccatrice. Ita nimirum illa ex omnibus tum dæmonum infestationibus, tũ hominum persecutionibus, aliquid ad sua lucra, & spiritales profectus adijciebat: estque hęc eius valde memorabilis sententia: Si quis rectè sciret vti gratia Dei, ex omnibus quæ ipsi eueniunt, posset aliquid capere emolumenti.

Nunc igitur ad vos, fratres. Finem principio iungamus. His virgini sanctissimæ priuilegiis à Domino concessis, facilè intelligere potuistis, quantæ sint diuinæ bonitatis opes; quàm mira ac planè stupenda erga suos charitas, quos tam magnis mirisq. beneficiis atque muneribus cumulat & ornat. Hæc igitur causa (vt nihil esset aliud) ad eius nos amorem sic inflammare deberet, vt, si mille mortes propter illius gloriam obeundæ nobis essent, libenter essent amplectendæ. Hæc itẽ nos ad spem in eius benignitate & misericordia collocandam excitare debet; cuius præsidio freti, nõ solùm in omnibus calamitatibus, quibus hæc vita referta est; sed in periculosissimo mortis tempore (in quo de tota æternitate ferenda sententia est) animum resumere, & fiduciã concipere possimus. Hac enim spe confirmatus D. Ambrosius in mortis limine constitutus, cùm ab eo quidam sancti sacerdotes postularent, vt propter aliorũ salutẽ lõgioris vitæ inducias à Domino peteret, respondit: Non sic inter vos vixi, vt me vixisse pœniteat; nec mori timeo, quia bonũ habemus Dominum. Felix planè qui hoc verè dicere potuit: & nos quoq. felices, si, immensæ huius bonitatis amore incensi, sic vitam institua-

Ambros.

stituamus, vt in extremo illo mortis agone, qui necessariò nobis subeundus est, idem dicere valeamus. Quæ quidem spes, facibus præsertim amoris inflammata, quandoquidem non pudefacit, nos rectà (nisi quid priùs purgatorio igne luendum sit) ad sempiternæ felicitatis, & diuinæ visionis gloriam (quæ bonorum omnium summam continet) felici cursu perducet.

IN EODEM FESTO B. CATHARINÆ SENENSIS, CONCIO QVARTA: IN QVA

variæ S. virginis virtutes, & eximia priuilegia atque miracula referũtur, quibus immensa Dei bonitas & charitas erga Sanctos suos apertè cognoscitur; cuius cognitio ad eius nos amorem vehementer accēdit. Est autem idem argumentũ quod superioris concionis, quamuis aliæ hîc virginis virtutes, priuilegia, & dona gratiæ referantur.

THEMA. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te!* Psal. 30.

IN his quæ proposui verbis, dilectissimi, dulcedinis nomine diuinam bonitatem intelligi debere, testis est D. Hieronymus; qui, vbicunque vulgata editio dulcedinis verbo vtitur, ipse ad Hebraicam veritatem, bonitatem, vertit. sic hoc in loco: Quàm magna, inquit, bonitas tua Domine, quam abscondisti, &c. sic alibi; Domine præuenisti eum in benedictionibus bonitatis: vbi nos legimus, dulcedinis. sic & aliis in locis. In his ergo quæ proposui verbis, dulcedinis nomine diuinam bonitatem intelligo; ad quam, quæ dicturus hodie de beata virgine Catharina sum, vos referre omnia vellem. Hanc enim bonitatem singularia virginis huius priuilegia atque miracula maximè testantur, atque ad eius nos amorē magnopere incendunt, qui totius vitæ Christianæ finis est, ad quem omnia, quæ dicimus, referre debemus, nisi officio nostro abuti velimus.

Hieron.

Psal. 20.

Sunt tamen quidam, qui in Sanctorum diebus festis, nō miracula, sed eorum virtutes & præclara facta prædicanda esse dicant; propterea quòd hæc nos vel ad eorū imitationē inducunt, vel certè tarditatē & socordiam nostram arguunt, qui tam longo interuallo ab eorum imitatione distamus; at miraculorum comme-

cōmemoratio magis ad Sanctorum gloriam declarādam, quàm ad vitam nostram instituendam pertinere videtur. Cæterùm si in miraculis Sanctorum philosophari sciamus, non minùs ea nos ad Dei amorē, & pietatis studium, quā eorum virtutes, excitare poterāt. Si enim perspecta diuinæ bonitatis & charitatis magnitudo, qua Sanctos suos prosequitur, ad eius nos amorem vehementer incendit; quantū, quæso, miracula immensam Dei erga suos bonitatem & charitatis viscera prædicant atq. testantur! Quid enim sunt miracula, nisi certissima diuinitatis testimonia, & clarissimæ voces, quibus Dominus eorū laudes & gloriam testatissimam mundo esse cupit; vt mortales omnes summis honoribus eos afficerent, qui, dum in viuis agerēt, solā Dei laudem & gloriam quæsierunt? Quibus enim facultatē patrādi miracula contulit, eos planè ad diuinitatis suæ consortium extulit. Cùm enim omnipotentiæ diuinæ proprium sit, miracula edere (solus enim qui stabiles naturæ leges fixit, eas quocunque voluerit, flectere potest) efficitur sanè, vt eos, quibus faciēdi miracula potestatē contulit, omnipotentiæ & gloriæ suæ quodammodo participes effecerit. Quam quidem potestatem non ipsis solùm dum viuerent, sed ossibus etiam ac cineribus eorū (quod passim cernimus) contulit. Nec cineribus solùm, sed frustulis quoq. vestimentorum eorum eandē potestatem donauit. Quis enim se à diuinæ bonitatis laude contineat, cùm videat insanabiles morbos, hoc est, inuiolabiles naturæ leges semicinctiis Pauli, & sudariis, quibus narium sordes emungebat, cedere, & eorum dignitatem revereri? Quodque omnem superat admirationem, iis etiam rebus, quæ Sanctorum cadauera attigerunt, similem potestatem concedere sæpe solet. Hoc autē (vt aliorum Sanctorum exempla silentio prætereā) Catharinæ nostræ contulit. Vt enim in eo diplomate, quo sācta virgo in Diuos relata est, legimus, multis ea saluti fuēre, quæ sacrum eius corpus attigerunt. Inter quos femina quædam graui morbo oppressa, cùm propter astantium multitudinem ad sacrum eius corpus, antequam humaretur, accedere non posset, linteolum astātibus dedit, quo virginis corpus tangerent: quod vbi recepit, capitiq. admouit, perfectam confestim sanitatem est adepta. Quanta ergo diuinæ bonitatis significatio est, sic bonos honorare! Quantus etiam virtutis amor, talibus eam præmiis afficere & commendare! Quanta denique erga sanctos suos Dñi charitas, quando summum illud imperium, & potestatem quam ipse diuinitatis iure supra omnes conditæ naturæ leges habet, non modò ipsis contulit, sed eorum etiam ossibus & cineribus, nec his modò, sed eorum sudariolis & semicinctiis: quodque iis omnibus mirabilius est, iis etiam rebus quæ eorum ossa

Act. 10.

ossa & cineres attigerũt? Expendite nunc,quæso,quibus eos in cælo honoribus afficit,qui tantum sudariolis huiusmodi honorem cõtulit. Si igitur nihil est quod mẽtes nostras magis ad dilectionem inflammat,quàm eximia bonitatis species in oculis & aspectu proposita:quid,quæso,nos magis in conditoris nostri amorem accẽdere debeat,quàm immensa eius bonitas his clarissimis argumentis declarata? Quid præterea nos ad virtutis amorem excitare magis potest, quàm quòd eam videmus tãtis ab altissimo rerum omnium Dñó præmiis honorari? Hæc autẽ fratres,eo à me consilio dicta sunt,vt,quoniam nõnulla B. Catharinæ virginis miracula mihi hodie recitanda sunt, intelligatis quónam modo in iis philosophandũ sit; Non enim hoc agimus,vt virginis huius eximiã sanctitatẽ agnoscamus,sed vt immẽsa Dei nostri bonitate,& in suos charitate his argumẽtis perspecta,in eius amorẽ magis accẽdamur. Ad hoc enim nos diuinus Vates inuitat,cùm in Sanctis suis laudare Dominum iubet. Quod vt nos piè & religiosè pręstare possimus,cęlestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu,suppliciter imploremus.

Psal. 150.

AVE MARIA.

Cùm omnia Christianæ fidei dogmata (quæ ab inexhausto diuinæ sapientiæ fonte manarunt) omnẽ humanæ intelligentiæ vim superent, tũ nihil est quod minùs à nobis cõprehendi possit, quàm immensa illa bonitas & charitas, quam erga Sanctos & electos suos Dominus ostendit,& summum illud odium,quo & impium,& impietatem eius detestatur. Cuius rei cùm multa & maxima sint argumẽta,tum nullũ maius est, quàm incarnationis & passionis Dominicæ sacramentũ. Si enim quæras, qua de causa immensa illa maiestas (quæ lucẽ habitat inaccessibilẽ) carnẽ sumere,& se ad abiectissimum crucis suppliciũ demittere dignata sit; Apostolus tibi respõdet, cùm ait: Dedit semetipsum pro nobis,vt nos redimeret ab omni iniquitate,& mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operũ. Nihil cogitari maius Dei Filio potest: is autem dedit semetipsum; hoc est,vitã suam acerbissimę & ignominiosissimæ morti obtulit,vt peccatum è mundo eliminaret,& iustitiam ac pietatem stabiliret: atque hac ratione declarauit, quàm immani odio impium & impietatẽ eius detestaretur,& quo dilectionis affectu pium & pietatem eius amplecteretur. Idem etiam illa eiusdem Apostoli verba testantur,quibus viros ad vxorum suarum dilectionem hortatur,his verbis: Viri,diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiã, & tradidit semetipsum pro ea, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam. Ruga, quæ in senibus carne & sanguine destitutis inuęnitur, delicta insinuat, quæ vocamus omissionis; macula verò,

Tit. 2.

Ephes. 5.

quæ deformitate sua corpus dehonestat, peccata designat commissionis. Significat ergo Apostolus, tam acerbo odio omnis generis lethalia peccata Christum Dominum prosecutum fuisse, tantoque amore animæ pulchritudinem, quæ his deformitatibus vacaret, quæque cunctis virtutum coloribus ornata esset, dilexisse, vt non dubitauerit vitam & sanguinem in cruce profundere, vt hoc spirituali sanguinis sui purpurisso animarũ pulchritudinem decoraret. Quemadmodum ergo sanctus patriarcha Iacob, vbi Rachaëlis pulchritudinem contẽplatus est, libẽter annorum septem labores perferre voluit (quin etiam videbãtur illi anni pauci præ amoris magnitudine) sic noster Iacob iustissimus veræ pulchritudinis æstimator, tanto eius amore captus fuit, vt non solùm quam pertulit crucem, sed multo etiam acerbiorẽ subire paratus fuerit, vt animas nostras hac spirituali pulchritudine decoraret. In huius autem rei argumentum, quid Dominus Catharinæ Senensi dixerit, hoc in loco referam. Cùm enim sancta virgo magna vi precum cuidam feminæ, animo & corpore ęgrotanti, peccatorum veniam impetrasset, vidissetque sancta virgo eius animam post mortem inæstimabili decore fulgentem; dixit Dominus ad virginem: Quis non omnem meritò proferat laborem, vt possit lucrari tantæ pulchritudinis creaturam? Si ego tanto animarum amore captus fui, vt pro illis redimendis homo fieri, & sanguinem fundere voluerim; quanto magis vos debetis in eam curam incumbere, ne pereant tam speciosæ creaturæ!

Simile.
Genes. 29

Huius autem charitatis magnitudinem Dominus declarauit, cùm ad discipulos dixit: Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Qua enim alia ratione magis huius dilectionis suæ magnitudinem patefacere potuit, quàm cùm eam immensæ illi dilectioni, qua Pater æternus Vnigenitum suum diligit, cõparauit? Quamuis enim multum inter vtramque dilectionem intersit, magna tamen eius laus & commendatio est, quòd cum immensa illa dilectione comparetur. Hoc est igitur primum diuinæ dilectionis argumentum, quod ex diuinæ dilectionis sacramento sumitur.

Ioan. 15.

Est aliud, quod tum ex diuinarum promissionum, tum ex beneficiorum quæ in Sanctos suos Dominus contulit, magnitudine colligitur: quorũ illud sacræ litteræ; hoc Sanctorum historiæ vbiq. prædicãt. Vt enim amor quo nos Deum diligimus, auctore Gregorio, otiosus non est (operatur enim magna vbi est) ita, ac multo etiã minùs Dei erga nos amor otiosus esse potest, sed amplissimis promissis & beneficiis declaratur. Qualis enim illa promissio est, Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparauit Deus diligentibus se? Et quidem

Gregor.
1. Cor. 2.

quidem hæc promissio ad futurã præcipuè vitã spectare videtur. Sunt aliæ ad hanc etiã vitam pertinentes, quæ inæstimabilẽ diuinæ erga pios charitatis significationem præbẽt. Quid enim illa promissione maius, Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint; quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis? Magna quidem hæc promissio; sed illa tamen adhuc maior: Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horũ faciet; quia ego ad Patrem vado. Et, Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. His verbis nihil planè humanæ auaritiæ relictum est, quo vlteriùs tendere posset. Iam verò quoties idem Dñs petitionum nostrarum vim & efficaciam, qua, quicquid petierimus, impetremus, promittit? Tunc, inquit, inuocabis, & Dominus exaudiet; clamabis, & dicet, Ecce adsum. Et quasi hoc parum esset, adeò se promptum atque paratum ad suorum vota implenda pollicetur, vt alibi per eundem Prophetam dicat, Eritque, antequam clament ad me, exaudiam eos, adhuc ipsis loquentibus ego audiam.

Ioan 15. | Ioan. 14. | Esaiæ 58. | Esaiæ 65.

Cæterùm inter magnificentissima Dei promissa, paterna illa cura & prouidẽtia, quam piorũ gerit, præcipuè numeratur; quæ flagratissimã erga illos charitatem & bonitatem ostendit. Qualis enim illa prouidentia est quæ ait; Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei? Qualis & illa: Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum? Qualis & illa, quæ viro iusto promittitur: Cùm ceciderit, non collidetur; quia Dñs supponit manum suam? Quid illud quod Saluator ipse discipulis in Euangelio ait, omnes eorum capillos à Deo esse numeratos?

Zach. 1. | Psal. 90. | Psal. 36. | Matth. 10 | Lucæ 12.

Quæ sit autem harum promissionum dignitas & maiestas, nemo planè assequi poterit, nisi qui earum in se vim fuerit expertus: vel certè qui in Vitis Sanctorum earundẽ promissionum veritatem diligẽter fuerit contẽplatus. Nulla enim ratione meliùs hæc tam ampla & magnifica promissa, quàm in his fauoribus & beneficiis, quibus Sanctos suos Dominus ornare dignatus est, intelliguntur. Quocirca Sanctorum vitę harum promissionum velut interpretes quidam & commentarij sunt. In illis enim lõgè clariùs Dei dona videmus, quæ in literis sanctis promissa legimus. Sumamus, exempli gratia, suauissima illa increatæ sapientiæ verba, quibus ait, delicias suas esse cum filiis hominum. Quis nostrûm, quales hæ delicię sint, & quousque pertingant, assequi plenè potest? At quisquis legerit quàm mirabili ratione, quibusq́; testibus Christus Dominus Catharinam nostram, interueniente piissima genitrice sua, sibi despõsauerit, & dato annulo subarrhauerit, & cor deinde ab ea extraxerit, & apud se triduo retinuerit, ac postremò tam familiariter cũ sacra

Prou. 8.

virgine

virgine versatus fuerit, vt in cellula sua deambulans, Dauidicos cum ea Psalmos recitaret; is planè intelliget, quales illæ deliciæ sint, & quousque tãdem perueniant; ideoq. non temere à nobis dictum esse iudicabit, Sanctorum vitas esse clarissima diuinarum promissionum commentaria. Quamuis autem multa ex his talia sint, quę communem hominum fidem superare videntur: siquis tamen in summum illud redemptionis & amoris opus (de quo superiùs meminimus) oculos coniiciat, facilè videbit, longè minus esse quicquid beneficiorum in Sanctos suos Dñs contulit, quàm quod pro illis perpeti dignatus est. Quid enim propter eos non faciet, qui, vt eos sanctitatis gratia decoraret, capi, ligari, colaphis & alapis cædi, sputis illini, flagellis verberari, irrisionis purpura vestiri, spinis coronari, arundine percuti, crucem fractis humeris baiulare, & in ea tandem inter maleficos crucifigi passus est? Quid ergo pro suis non faciet, qui hæc omnia in eorum gratiam pertulit? Quomodo nunc manus contrahet à muneribus largiendis, qui, vt ea largiretur, manus clauis configi passus est? Quid negabit, cùm dando nihil amittit; qui, vt daret, vitam ipsam amittere non dubitauit?

Hæc ideo à me tam multis dicta sunt, fratres, partim vt summam hãc piorum dignitatem & gloriam vobis ante oculos ponerem, quo vos ad eius amorem inflammarem; partim vt credibilia vobis facerem, quę de hac sanctissima virgine Catharina litteris prodita sunt, quæ multis alioqui incredibilia videntur. Nam & eius confessarij, qui ipsius innocẽtissimam vitam, & incorruptos mores propiùs cõtemplabantur, sæpe, propter rerum magnitudinẽ & nouitatem, de ipsarũ veritate & fide dubitabãt. Qua de re quid venerabili eius cõfessario Raymũdo acciderit, idẽ ipse declarauit. Ait enim, se initiò, cùm venisset ad eius familiaritatem, multis modis de incredulitate fuisse tentatũ, diuq. quadam fluctuatione iactatum, num ea, quæ virgo referebat, à bono vel malo spiritu proficiscerentur. Orabat autẽ anxiè Dominũ, qui nec fallere potest, nec falli, vt ab ipso dirigeretur. Interim subitò ei venit in mẽtem, si sanctæ virginis precibus obtineret à Domino insolitam quandam, & qualem nũquam esset expertus, ob admissa peccata cõtritionem, id ipsum fore signum euidentissimũ, à Spiritu sancto omnia illius facta proficisci: nemo enim nisi à Spiritu sancto hunc habere dolorẽ potest. Itaq. accessit ad virginem, & eam impensè rogauit, vt sibi à Domino impetraret veniam peccatorum. Illa hilariter respondit, se id libentissimè facturam. Addente autem Raymundo, se non posse frui quiete, nisi eius veniæ ac remissionis certũ obtineret signum, nempe magnam quandã & insolitam cõtritionem: mox sacra virgo annuit se eam illi impetraturam. Abiit is deinde domum,

domum,& altera die morbo laborans decubuit. Eodem tẽpore etiam sancta virgo febribus afflictata decumbebat, aitq. ad sociam: Eamus visum Patrem Raymundum, quia malè habet. Illa respondente, non esse necesse, & si maximè foret, se peiùs illo valere: mox præter morem celeriter cum socia abiit ad illum, aitq. illi, Quid habes Pater? Ille verò præ debilitate ægrè quippiam loqui poterat, sed tamen abhibita vi ait, Cur domina huc venisti? peiùs tibi est, quàm mihi. Illa incipiente suo more loqui de Deo, & nostra ingratitudine; nonnihil confortatus Raymundus assedit, nihil iam memor hesternæ petitionis suæ, aut sponsionis virginis: cumque illa loqui pergeret; oblata est menti Raymundi quædam insolita cõsideratio peccatorum suorũ, & quàm esset eorum causa sine dubio reus mortis; è diuerso autem subiit eius mentem cognitio bonitatis diuinæ, quæ eum gratuita bonitate ab ea morte liberaret, ipsamque mortem in vitam, & ignominiam cõmutaret in gloriam. Sub hac contemplatione ille præ multo cordis dolore tantam vim lacrymarum effudit, in eumq. rugitum prorupit, vt timeret etiam cor ipsum & pectus disruptũ iri. Id vt vidit sacra virgo, quæ ea sola causa venerat, conticuit, vt ille vbertim fleret & singultiret. Interim Raymundo renouata est memoria petitionis suæ, & promissionis virginis, vertensque se ad eam dixit: Estne hæc bulla quam heri petiui? (bullam enim vocauerat certum signum obtentæ veniæ) illa respondit, Ipsa est: addiditque vt memor esset gratiæ Dei, & abscessit, illo spei atque lætitiæ pleno. Hæc igitur hoc in loco referre, fratres, volui, ad eorum fidem faciendam quæ de hac virgine sanctissima partim in aliis concionibus dicta sunt, partim in hac etiam dicentur.

I.

Atque vt ab eius familiari cum Deo consuetudine exordium capiamus; tota eius vita perpetua quædam oratio fuit. Duas enim horas noctu & interdiu somno dabat, reliquas diuinis colloquiis, & orationis studio impendebat: in qua miris deliciis, spiritualique gaudio cum Sponso suo ita fruebatur, vt ipsa confessario suo secretò dixerit; Tantum gaudiũ obtinet cor meum, vt vehementer admirer, posse animam meam diu in corpore durare: addebatque, Tantum in corde meo ardorem sentio, vt hic corporeus ignis frigere mihi magis, quàm vrere videatur. Denique tanta huius gaudij & ardoris vis erat, vt frequẽtissimè omnem illi sentiendi vim adimeret. Cuius gloriæ humani generis hostis inuidens, sæpe mortem illi hac occasione machinatus est. Accidit enim sanctam virginem quandoque sedere ad multas prunas, & veru cum carnibus assandis versare. Interim cogitabat illa de Sponso Christo, cuius amore intus ardebat,

& ecsta-

& ecstasim passa, non amplius mouere se potuit. Vidit hoc Lysa, vxor fratris eius, & intelligens quid pateretur, cœpit ipsa versare veru, ac deinde omnia alia eius officia exequi. Durauit autem ea ecstasis diu, donec iam omnes cubitum iuissent. Lysa autem vigilare decreuit, vt eius rei finem videret: egressaque post longam moram, vt exploraret num sibi esset reddita, vidit toto corpore eam in prunas corruisse. Exclamauit ergo eiulans: Heu, Catharina planè est combusta: accurrensq. velociter, & ab igne eam extrahens, inuenit neque corpus, neque vestes vlla ex parte læsas ab igne, imò nec odorem ignis extare in illis: cùm tamen aliquot horis in illo igne iacuisse crederetur. Solebat autem tartareus dæmon, nimis acerbè ferens lucra animarum quę per eam in diuersis regionibus crebrò fiebant, sæpe eam, multis aspectantibus, Deoque permittente, toto corpore iactare in ignem. Cunctis verò eiulantibus, illa subridens, prorsus illæsa exibat ab igne, dicens: Nolite timere; mala tascha hoc fecit: sic enim appellabat diabolum.

Illud verò in hac virgine mirabilius, quòd non modò præ amoris & gaudij magnitudine omnem sentiendi vsum amittebat, sed interdum etiam vi spiritus sacrum eius corpus à terra eleuatum, in aëre pendulum manebat. Quæ res non vulgari aliquo testimonio, sed ipsius diplomatis, quo virgo in Diuos relata est, constat: sic enim in eo legimus: Rapiebatur sæpe sancta virgo à spiritu, & in aëre suspensa diuinis cõtemplationibus pascebatur; adeò extra se acta, vt expuncta percussaq. nihil omnino sentiret: idque frequentissimè illi contingebat, cùm diuinissima reficeretur Eucharistia. Hactenus diplomatis verba.

Quia verò sancta virgo hunc cælestem cibum auidissimè frequentabat, multos passa est obtrectatores, qui indignum esse dictitarent, mulierculam adeò frequẽter ad sacrã Eucharistiam accedere. Veruntamen reuerendus P. Raymundus, sciens eius feruens desiderium, pro viribus dabat operam, vt illa tanto bono, quoties vellet, frueretur. Quãdo autem mens eius eiusmodi inflammabatur ardore, dicere consueuerat Patri Raymundo, Pater, ego esurio: propter Deum porrige mihi cibum animæ meæ. Hac etiam ex causa Gregorius XI. Romanus Pontifex in eius gratiam Pontificio diplomate permisit ei, vt posset apud se habere aliquem quotidie, qui eam absolueret, & sacrosanctam Eucharistiã ministraret; imò etiam vt liceret ei altare portatile habere, sicque posset vbique Missam audire, & illud eximium Sacramẽtum sumere. Narrat autem idem Pater Raymundus, sacram virginem sibi hora Tertiarũ ab itinere quodã reuertenti dixisse; O si scires, Pater, quantum ego nunc esurio: ipsum autem facilè intellexisse quid ipsa vellet, sed excusasse se à sacrificãdo, tum temporis importunitate, tum itineris defatigatione.

Ea verò iterum dicente, se vehementer esurire, accessisse ipsum ad sacrificandum illa præsente: cumque illi sub finem esset præbiturus Eucharistiam, faciē illius instar Angelicæ splenduisse: tum verò se mente ita dixisse, Veni Dñe ad sponsam tuā: moxque sacram hostiam, priusquam eam contingeret, ad ipsam vltrò accessisse spatio latitudinis digitorum trium & eo amplius. Quid igitur hac diuina benignitate mirabilius? Quantum puritatis amator in illud purissimum pectus ingredi cupiebat, qui non modò tantum sui desiderium in illo excitauit, sed ipse per se ex sacerdotis manibus ad illud ire properabat?

Alio quidem tempore sancta virgo magno tenebatur sacræ communionis desiderio, sed nimis afflicta iliacis, aliisq. doloribus, misit ad Patrem Raymundum, sociam suam, quæ rogaret, vt differret nonnihil Missæ celebrationem: Ille libens annuit: sed morbis se non remittentibus, iterum misit sociam, quæ diceret, se non posse præ doloribus sacram communionem percipere. Interim nihilominus, Raymundo nesciente, ipsa venit ad templum vbi ille sacrificium offerebat, & se in extrema ferè templi parte reponens, preces feruentes ad Christum fudit, vt, sicut ipse sacræ cōmunionis desiderio eam affecisset, ita etiam per se ipsum illud perficere dignaretur. Pergit Raymūdus lōgo ab ipsa interuallo offerre sacrificium: vbi autem ventum est ad sacram hostiam frangendam, quædam pars magnitudine ferè vnius fabæ, diligēter aduertente Raymundo, exiliit vltra calicem in corporale, sed eam ille nulla ratione, cùm diu multumque postea quæsisset, inuenire potuit. Quamobrem valde anxius tandem ad sanctā virginem peruenit, & ab illa didicit, eam particulā ex ipsius Christi sacrosanctis manibus sese percepisse. Quid hoc in loco priùs mirari debeam, fratres, prorsus ignoro: an immensam illam Domini Saluatoris benignitatem, qui hac tam noua & insolita ratione se ipse suis manibus sponsæ suæ tradere, & Sacramenti sui minister effici dignatus est; (cùm præsertim non deesset sacerdos, qui illud ministraret) an tantam illam virginis de eius immensa bonitate fiduciam (ne audaciam dicam) quæ hanc nouam communionis gratiam petere ausa est? Quantum ergo sancta virgo sibi de diuina bonitate pollicebatur? Quos diuinæ familiaritatis & suauitatis obsides intra se receperat, quæ hoc tantum ab ea petere non dubitauit! Quid indulgentius, imò verò quid audacius creatura à Creatore suo poterat postulare? Verùm hoc tantum munus ad immensam Dei bonitatem atq. suauitatem reuocandum est, quæ hanc virgini mentem immisit, vt fidenter ab ipso tantum hoc donum postularet. Qui enim fieri poterat, vt mens humana hanc tantam de summo illo rerum omnium Conditore fiduciam, nisi ab ipso præuenta & excitata, conciperet? Summus

ergo

ergo ille puritatis & sanctitatis amator hac mirabili ratione incomparabilem erga puras & simplices mentes bonitatem atq. dulcedinem voluit demonstrare; quæ tanta est, vt nulla ratione comprehēdi, ac multo minùs vlla oratione possit explicari. Ingenuè fateor tarditatem & infantiam meam: nulla enim verba prorsus inuenio, quibus hanc tantam diuinæ bonitatis & charitatis dulcedinem patefacere valeam. Quicquid enim lingua profert, aut calamus scribit, longè minus est quàm quod cogitatione animus comprehendit. In rebus quidem humanis cùm videmus homines ob flagrantissimum alicuius creaturæ amorem propè ad insaniam redigi, dicere solemus, eos veneficiis & philtro esse de mente deductos; atque ita vim amoris, quo insaniunt, explicamus. At cùm nefas sit, tale aliquid de immensa illa bonitate cogitare, quam tamen videmus incomparabili dilectione, mirisque fauoribus puras suorum mentes prosequi; nihil habemus quod dicere valeamus, nisi quòd ille, qui infinitè bonus, imò ipsissima infinita bonitas est, inæstimabili amore castas mentes prosequatur, quas bonitatis & sanctitatis suæ imagine, ipsius manu perpolitas & decoratas cernit: seipsum enim in illis diligit. Quam dilectionis vim (vt initiò diximus) acerbissimæ mortis supplicio declarauit: quo minùs mirandum est, si manibus suis Catharinæ sponsæ seipsum prębuit, qui sanctissimas manus suas pro illa clauis configi passus est. Quis igitur, cùm hæc audit, non cum Propheta clamet; Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te! Psal. 39.

Quanta verò luce, quo spiritus gaudio, quo charitatis ardore sanctæ virginis mens compleretur, cùm sacram sumeret Eucharistiam, cælestique Sponso per huius Sacramenti virtutem coniungeretur; illud argumento est, quòd (quemadmodum paulò antè diximus) vbi eam accepisset, ecstasim mentis duabus, & interdum tribus horis patiebatur. Ecstasim autē Theologi fieri dicunt, cùm mens adeò potenter diuinis rebus intenta est, adeoque in Deum suspensa, vt omnes inferiorum virium actiones ab officiis suis ferientur & cessent; adeò vt nec vegetandi corporis, aut mouendi, aut etiam sentiendi vis suis officiis fungatur, & neque adhibitum etiam ferrum aut ignē sentiant. Verùm vt hoc ipsum, quanta sit illa amoris vis, qua mens in Deum absorbetur, declarat; ita contrà, quanta sit illa diuinæ pulchritudinis, bonitatis, & suauitatis immensitas apparet: quæ adeò potenter superiores animæ vires post se rapit, vt inferiores omnibus his officiis destituantur, quibus à natura donatæ sunt. Vtrumque enim hac vna coniectura vtcunque colligere licet, & fruentis animæ iucunditatem, & diuinæ pulchritudinis & bonitatis magnitudinem, quæ tanta vi post se mentem

trahit, vt naturæ suæ oblita, in Deum quodammodo transferatur. Quia verò animales homines ea quæ sunt Spiritus Dei non assequuntur, variis modis, dum sic virgo raperetur, eam affligebant. Nam & quibus cura claudendi Ecclesiæ fores commissa erat, vi eam ab Ecclesia expellebant, sociis eam velut exanime corpus deferentibus, & sub dio extra Ecclesiam sub Sole frequenter expectantibus, donec sancta virgo ad se rediret. Nec defuit sceleratus quidam homo, qui impressis in virginem calcibus, dum ecstasim pateretur, atrociter in eam desæuiret; qui tamen hoc non impunè tulit, Christo sponsæ suæ iniuriam vindicante. Paucis enim pòst diebus miserrimus homo laqueo sibi vitam eripuit.

II.

Ex hac autem virginis charitate, tanta vitæ puritas & innocentia in ea orta est, vt R. P. F. Stephanus Carthusiensis Prior, qui virginis amanuensis extitit, & longo tempore cum ea versatus fuit, post alia clarissima eius præconia, iureiurando confirmet, se nullum otiosum verbum tam longo temporis spatio ab ea prolatum audiuisse. Sed quoniam sine aliquo leui lapsu hæc tam periculosæ vitæ spatia (quæ tota tentatio esse dicitur) trãsigi non possunt; quibus gemitibus ac lamentis, quo doloris aculeo virgo sauciata fuerit, si quid tale ei obtigisset, hoc exemplo intelligi poterit. Quodam die festo Conuersionis sancti Pauli, quem virgo sancta vehementer amabat, tam sublimiter spiritus eius in Deũ raptus fuit, vt tres integros dies & noctes immota manserit, nullisq. corporis sensibus vsa fuerit. Tandem reddita sibi, videbatur quasi dormitare, nec tamẽ dormire penitus; adeò ægrè spiritus ab illa cælesti visione ad hanc vitam redibat. Cùm autem ea sic haberet, venerunt ad eam duo Patres Dominicani, sciscitabanturque num vellet cum ipsis ire ad inuisendum quendam insignem virum in eremo degentem. Illa quasi dormitans respondit se velle. Sed simul atque id protulit, tanta ei iniecta religio est, tamque acerbus conscientiæ dolor, quòd non esset ex animo locuta, sed quasi iocosum dixisset mendacium, vt præ dolore animi tres dies atque noctes sine intermissione tenuissimam illam culpam luxerit, in quam illam Deus cadere permisit, ne reuelationis illius magnitudine extolleretur. Nam re vera sub hac triduana ecstasi ea viderat, quæ nullis possent verbis explicari. Quæret fortasse aliquis; cur hæc sancta virgo, imò cur Sancti omnes, leuissimos lapsus (qualis hic extitit) tam acerbo luctu lamentabantur, cùm præsertim humana natura etiam in viris sanctissimis, his labeculis carere non possit? Ad quod planè respondemus, viros sanctissimos non tam culparum pondus, quàm diuinorum beneficiorum magnitudinẽ attendere solitos. Cùm enim tot se diuinis beneficiis velut obru-

tos

tos animaduerterent, quo plura debebāt, hoc se arctioribus vinculis ad benefactoris sui obsequium & amorē adstrictos intelligebant : ideoque si qua in re, vel leuissima, tam benignissimi atque indulgentissimi parentis oculos offendissent, acutissimi doloris gladio sauciabātur. Magnus ergo amor & beneficiorum magnitudo, magni huius doloris causa erat. Hoc attendant, qui pluribus à Dño beneficiis præuenti atq. ornati sunt: aliter enim hi, aliter alij dolere debent, qui minora receperunt, si quando fortè lapsi sunt. Quid nos ad hæc dicemus, fratres, qui tot flagitiis & sceleribus inquinati (quibus tremendam illam maiestatem nobis infensam reddidimus) non tamen tot admissis criminibus vllo doloris sensu tāgimur, nullas lacrymas fundimus; qui tamen quauis vel leuissima rerum terrenarum iactura discruciamur ac rumpimur? Vnde, quęso, tantus illic stupor, tantus verò hìc dolor? Non est difficile huius rei causam diuinare. Necesse est enim, vt, quæ cū amore possidemus, cum dolore amittamus. Hic igitur dolor facilè declarat, quanto ardentiùs terrenum puluerem, quàm summum illud & infinitum bonum diligamus. Quo quid esse indignius, quid iniustius, quid execrabilius potest? Fulminat contra hos diuinæ maiestatis contemptores Apostolus, cùm ait: Si quis non amat Dominū Iesum, sit anathema maranatha. At hęc sancta virgo, quæ eximio Christi amore flagrabat, grauissimo cruciabatur dolore, cùm vel leuissima in re se illum offendisse putabat, propter cuius amorē mille mortes perpeti parata erat. Gladius igitur amoris, vim illam doloris vehementer acuebat. Multùm enim doluit, quæ multùm dilexit; nos, quia non diligimus, non dolemus.

1. Cor. 16

Ex eodem autem charitatis fonte, & familiari cum Deo amicitia, diuinorum secretorum communionem oriri, Saluator in Euangelio docet, cùm ad discipulos ait: Iam non dicam vos seruos; quia seruus nescit quid faciat dominus eius; vos autem dixi amicos; quia omnia, quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Hoc enim veræ amicitiæ proprium est, vt nihil amicus ab amico vellet habere seiunctum. Hanc autem gratiam tāta plenitudine huic virgini puritatis amator Dominus contulit, vt cogitationum arcana, & secreta diuina, & futura multa (quæ tum ad priuatas personas, tum ad totam Ecclesiam pertinebāt) cùm ea velut amicus cum amico, quo familiariter vtitur, communicare soleret. Nihil enim amico dulcius atque iucundius, quàm amico conuiuere, & dulces cum eo miscere sermones, & pectoris sui arcana illi patefacere: hoc enim est velut intra pectus suum illū admittere. Qua in re nescio quid priùs mirari debeā, an quòd immensa illa maiestas sic se ad homines demittere dignetur, vt, qui Seraphicis spiritibus se mirabilē præbet, adeò se familiarem humili cuidam feminæ exhibeat; an quòd humilis

Ioan. 15.

femina ad tantum dignitatis gradum euecta fuerit, vt tam familiariter cum rerum omnium Domino quasi cum dilectissimo sponso versaretur, & ab ipso omnibus in rebus erudiretur? Cuius cùm multa afferre exempla possem (quæ plures conciones desiderarent) vnum solummodo proferam, quòd in Pij Papæ II. diplonate superius citato continetur his verbis: Pro pace Florentinorum, qui cum Ecclesia diffidebant, & interdicto suppositi erant Ecclesiastico, Apenninum & Alpes trāsire, atq. vsque in Auinionem ad Gregorium vndecimum Pontificem Maximum, antecessorem nostrum, proficisci nō dubitauit. Cui votum suum de petenda vrbe Roma in occulto factum, sibi soli ac Deo notum, sese diuinitus cognouisse monstrauit. Fuit enim in ea spiritus prophetiæ: multa prædixit, antequā fierent, & occultissima reuelauit. Quid verò illud, quòd ab hoc cælesti præceptore erudita, non modò futura prædixit & occulta cordium patefecit, sed mirabili etiam sapientia donata fuit, qua & libros & epistolas mirabili doctrina refertas composuit: quodque omnem superat admirationem, mulier omnis generis disciplinarum ignara, sæpe duobus, sæpe tribus, interdum etiam quatuor scriptoribus epistolas sine vlla cunctatione dictabat. Erat quippe lingua eius calamus scribæ velociter scribentis, Patrisque cælestis Spiritus, qui in purissima eius mente sibi domicilium elegerat, in ea loquebatur.

In Bulla Canon.

Psal. 44.

Nec minùs illud mirabile, quòd ab eodem magistro legendi facultatem diuinitus accepit. Cùm enim litterarum ignara Dauidicos Psalmos recitare concupisset, & à quadam socia alphabetum sibi describi postulasset, atque dies aliquot huic studio impendisset, nec posset tamen, propter altissimam illam mentis in Deum eleuationem, plenam docenti mentem præbere, frustraque secum laborem sumere intelligeret, minori compendio hanc legendi facultatem adipisci voluit. Sponsi namque sui charitate freta, deque eius benignitate & familiari amicitia certa; ad illum confugit, & hanc legendi gratiam petiit. Qui sponsæ voluntati annuens, sine vlla mora contulit quod postulauit. Stupebat ad eam rem Pater Raymundus, videns eam expeditissimè legere, quam nec syllabatim quidem antea pronunciare, ne dum literas nouisse sciret. An non igitur hęc adeò magnifica Dei dona, quæ in puras mentes nihil aliud quàm ipsum sitientes cōfert, nos clamare compellent: Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Dñe, quam abscondisti timentibus te! Hęc enim non ideo dicimus, vt Sanctorum dignitatem & gloriam agnoscamus, sed vt immensam Dei bonitatem & charitatem, qua pios prosequitur, perspectissimam habeamus, atq. in tantæ bonitatis amorem rapiamur, quæ non minùs nobis (si piè illum coluerimus) quàm præteriti temporis Sanctis exposita est, quando

Psal. 30.

quando personarum acceptio in illum cadere non potest.

III.

Sed quoniam inter singularia Sanctorum priuilegia vim orationum & efficaciam præcipuè numerauimus, de hac etiam nonnihil breuiter perstringemus, si priùs tamen illud admonuerimus, perfectam orationem, quæ cælos penetrat, quæ diuinæ misericordiæ aures pulsat, quæ nunquam vacua recedit, quę postremò vincit inuincibilem, & omnipotentem ligat, eam esse quæ non sterilis & ieiuna, sed quæ fide, spe, charitate, & bonorum operum societate fecunda est. Hæc enim ideo vacua non recedit, quia bonis operibus plena, ad misericordiæ fontem accedit. Talis fuit beatissimæ huius virginis oratio, quæ à dilectissimo Sponso, quicquid voluit, siue in morbis depellendis, siue in quibusuis aliis rebus, impetrauit: quodque mirabilius est, non solùm orando, sed morbis etiam imperando, eos ab ægrotantium corporibus depellebat. Vt vera enim ac legitima omnipotentis Dei sponsa, Sponsi sui in hac parte potestatem referebat; quemadmodum sequentia exempla testantur.

Anno salutis 1374. plus minùs, pestis inguinaria vastauit Senas. Accidit autem vt virum venerabilem, Matthęum nomine, qui domui sanctæ Mariæ De misericordia præerat, ea pestis corriperet; & iam medicus insignis de eius vita propè desperaret. Perlatum est hoc ad sanctam virginem (quam Matthæus ob eius sanctitatem impensè amabat) & fęstina ad illum accessit: & priusquam ad eum appropinquaret, eminus clamauit: Surge, Domine Matthæe, surge: non est iam tempus in lecto molliter cubandi. Vix illa verba compleuerat, & momẽto temporis pestis & apostema dolorque omnis ita euanuêre, vt iis nunquam Matthæus laborasse videretur: lætusque & alacer à lecto consurgens, paulo pòst cum Patre Raymundo, non ęgrotorum, sed fortium hominum solidos cibos ederet. Cuius præclari miraculi permulti testes fuere.

Per id autem tempus, quo illa pestis grassabatur Senis, Pater Raymundus fidissimam nauabat operam cunctis quibus adesse poterat; nec vllos sibi vitandos putabat, licet morbus ille & aërem, & corpora aliorum sua contagione inficeret: animabat verò etiam illum sancta virgo; sed quia solus propè erat in tam magna vrbe, vix vllum aut cibi aut somni capiẽdi habebat spatium: tot ad eum peste laborantium nuncij confluebant. Sed dum solus ferè, vt dixi, in tam sancto opere esset occupatus, ipse quoq. sensit se apostemate pestifero affectũ: accedebat etiã febris, & dolor capitis, vt solet in eo morbo. Tum verò, vt potuit, cum socio iuit ad ædes sanctæ virginis: quam cùm nõ inuenisset, in quodam se reposuit lectulo, donec illa veniret. Venit illa,

admonet manus suas Raymundi capiti, flexisque genibus orat Dominum; & inter orandum videt Raymundus, vt sæpe aliàs, eam mentis excessum pati. Cùm ergo sic ad dimidiam ferè horam permansisset, sensit Raymundus ex corporis sui extremis partibus tanquam violenter quippiam extrahi, sensimq. se meliùs habere, adeò vt antequam sacra virgo sibi esset restituta, planè curatum se experiretur: interim cibo sumpto, voluit, vt paulisper quiesceret. Quieuit ille, surrexit paulo pòst ita incolumis, ac si nihil mali passus esset; rediitque ad pristinos labores.

F. Bartholomæus Dominici, socius Raymundi Patris, eadem peste & acriùs & diutiùs oppressus, sanctæ virginis precibus itidem restitutus est.

Aderant autem virgini duo piissimi adolescentes, patria Senenses, ambo amanuenses eius; quorum alter Nerius, alter Stephanus vocabatur. Ex iis Nerius postea solitariã & propè anachoreticam duxit vitam: Stephanus, iubẽte sub mortem sancta virgine, cùm nihil minùs cogitaret (vt ipse de se scribit) quã de monastico suscipiẽdo habitu, Carthusianus factus est celebris, & valde religiosus. Cùm autẽ esset sancta virgo Genuæ, Nerius horribili correptus est ægritudine, & præ nimio dolore viscerum miserabiles edebat voces & eiulatus, reptabatq. manibus & pedibus de lectulo in lectulum, tanquam aliquod leuamẽtum perpetuis illis cruciatibus reperturus. Indicantur hæc sanctæ virgini: illa iubet acciri medicos. Veniunt duo medici, fiunt omnia quæ illi præscribunt: sed miser ille non modò nihilo meliùs, sed peiùs etiam habere cœpit, ita vt medici eius vitæ spem omnem abiicerent. Quod cùm Stephanus audiuisset, ad virginem sanctam se confert; eius pedibus lacrymabundus aduoluitur; orat, ne sinat socium suũ in peregrino solo miserabiliter ex hac vita migrare. At illa, Cur sic, inquit, doles fili, si Deo visum est fratrẽ tuum ad suum regnũ euocare? Stephanus perseuerat in precibus suis; dicit, se nihil ambigere, quin, si velit, possit Nerio salutem obtinere. Tum illa, non ferens hominis summã afflictionem, Vbi cras, inquit, me ad sacram communionem abire conspexeris, reduc mihi isthuc in memoriam, & ego offeram Deo preces: tu verò rogabis Dominum, vt illas admittat. Abit Stephanus fiducia plenus, & altera luce virgini ad Missam eũti inculcat preces suas. Percepit ea sacram Eucharistiam, & more solito extra se rapta est: vbi autẽ ad se rediit, Stephanũ illic exspectantẽ subridens ita alloquitur, Dñs nobis restituit Nerium. Stephanus celeriter abiit ad Nerium, eumque in Domino consolatur. Deinde paulatim remittitur morbi acerbitas, & Nerius totus reualescit. Ecce autem Stephanus, qui ei ministrauerat ægrotanti, ex multis corporis & animi molestiis, quas eius causa pertulerat, febres acres cũ vomitu & intolerabili capitis dolore

patitur:

patitur: & quia omnibus præcipuè charus erat, omnes sanctæ virginis socij ei decumbenti assistunt. Sed virgo sacra nō ferens eius afflictionem, ad decumbentem accedens, Præcipio, inquit, tibi in virtute sanctæ obedientiæ, vt has febres deinceps minimè patiaris. Abscessit febris, & Stephanus totus surrexit incolumis. Hoc ita ferè recitat Pater Raymundus, & ipse quoq. Stephanus in Epistola ad F. Thomam Dominicanū, quam scripsit cùm esset Prior Carthusiæ Ticinensis. Quis igitur, cùm tam magnifica Dei opera in hac virgine contemplatur, non admirabundus illa Prophetæ verba repetat, Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te! Psal. 30.

Sed longè tamen mirabilius est quod modò subiiciam. Senis duo flagitiosi latrones capti, atrocissimis suppliciis addicti sunt propter facinorum immanitatem. Iam ducebātur ad mortem; & curribus impositi, ignitis fuscinulis discerpebantur. Nemo autē illos vlla ratione adducere potuit, vt salutifuæ confessionis Sacramento cōsulerent: quin potiùs (quod dictu quoq. horribile est) in Deum voces blasphemas palàm iactabant. Eo autem tēpore erat sancta virgo apud Alexiā sociam & discipulā suam, cuius ædes præteribant miserrimi illi. Vbi autem id sensit Alexia, celeriter indicat sanctæ virgini. Illa se totam confert ad deprecandam clementiam Saluatoris pro salute desperatorum: cumq. vidisset per fenestram ingentem turbam dæmonum, qui obstinatos illos miserè exagitabant, impetrat à Dño, vt possit spiritu illis se adiungere, & cum eis ad portam vsque proficisci. Vt autem eam viderunt dæmones, palàm clamitabant: Si non cessaueris, dæmoniacam te efficiemus. Illa contemnens minas procaces, perstitit in precibus. Vbi ad portam vrbis ventum est, ecce clementissimus Saluator apparet obstinatis illis totus vulneribus cōfectus, & sanguine madidus; inuitat ad pœnitētiam, promittit veniam. Illi mox mutati, instāter petunt sacerdotem; peccata sua valde dolenter confitentur: facta confessione, blasphemiæ mutantur in laudes Dei, dignos se etiā maioribus tormentis fatentur. Stupent omnes repentinam illam confessionem: carnifices quoque mitescunt, nec audent noua imprimere stigmata, dum vident tantam eorum pietatem ac religionem. Denique illi ad mortem haud secùs atq. ad epulas festināt, spe bona freti, se per supplicia momentanea citiùs vēturos ad gaudia sempiterna. Quod multo etiam magis mirandum est, quàm si horum extincta corpora ad vitā essent reuocata. Quis igitur in hoc opere immensam Dei nostri misericordiam, bonitatem, placabilitatem; & in suos charitatem non miretur, non obstupescat, nō summis laudibus & præconiis efferat? Homines maleficiis & facinoribus adeò insignes, qui tam immani & atroci supplicio per leges plectebantur, quique adeò in malo obstinati

erant,adeoq. in ipſam etiam diuinitatis gloriam contumelioſi atque blaſphemi, vt in ipſo mortis agone cõſtituti,ſacrilegas & execrandas in Deum voces iactarent, à quibus nec gehennæ memoria,quę illos iamiã velut hiante ore erat exceptura,reuocabat, vna ſola,eaq. breuiſſima virginis oratione ex ipſis inferni faucibus, atque adeò ex ipſo draconis ore erepti ſunt: idque tam nouo & ſtupendo miraculo, vt idem ipſe iudex, qui penè iam damnationis in eos ſententiam tulerat, in miſericordiam ita flecteretur,vt, ſeueriſſima iudicis imagine poſita,iterum pro illis in crucem quodammodo agi,& in ea ſe ſpecie illis oſtẽdere dignatus fuerit,& blaſphemas atque ſacrilegas eorum voces in veræ pœnitentiæ lamentationes & lacrymas commutauerit. Quid igitur hîc dicemus?Quid,quæſo,hoc aliud fuit,quàm cæleſtis regni claues (quæ vni Petro conceſſæ ſunt) huic virgini quodammodo tradidiſſe;vt,quod ille facit auctoritate & imperio, mulier faceret orationis ſuffragio? Quis igitur hoc argumento immẽſam (vt diximus) Dei noſtri bonitatem, & in ſuos dilectionem non miretur,non obſtupeſcat, nón adoret? quæ ſic illis adeſt,ſic piis eorum ſe deſideriis & voluntati accommodat, ſic earum preces & vota exaudit,vt non ſolùm eos felicitatis & gloriæ ſuæ conſortes efficere dignetur, verùm infames etiam & facinoroſos homines, (nullis iuſtitiæ atque pietatis operibus in anteacta vita commendatos) vnica eorum prece ad electorum ſuorum gloriam perducat; & quod ſancti viri totius vitæ laboribus promeriti ſunt,iſtis momento temporis ſine vllo ſuo labore cõcedat. Quid his amplius humana cupiditas optare poteſt? Quanta ergo virtutis & ſanctitatis dignitas eſt, quam Dominus tam magnificis beneficiis illuſtrat & ornat! Quanta rurſus orationis virtus & potentia, per quam hæc tanta mirabilia patrantur! Hoc enim exemplo intelligimus,veriſſimè à Propheta dictum eſſe: Propè eſt Dominus omnibus inuocantibus eum; omnibus inuocantibus eum in veritate. Voluntatem timẽtium ſe faciet, & deprecationẽ eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos: nec eos ſolùm,ſed illos etiam frequenter, pro quibus ipſi preces fundunt. Cùm autem mirabilem hanc orationis vim & efficaciam prædicamus,immenſam Domini bonitatem & miſericordiam commendamus: cuius tanta benignitas & charitas erga ſuos eſt,vt facilè eorum precibus,quocunque illi voluerint,flectatur,& à ſeueritate ad gratiam deducatur. Si enim is implacabilis & inexorabilis eſſet, non erat cur tantopere virtutis huius dignitatem & potentiam commendaremus: at immenſa eius bonitas & placabilitas facit, vt oratio, quæ cum illo miſericordiarum parente agit, eiuſque opem & auxilium implorat, adeò ſit orantibus vtilis & ſalutaris. Quæ cùm ita ſint, fratres; quid reliquum eſt, niſi vt, perſpecta virtutis dignitate, quam

Pſal. 144.

tantis

tantis Dominus miraculis & honoribus commēdat,eam rebus omnibus anteferamus: ſimilique ratione immenſa Dei noſtri bonitate & charitate erga ſuos cognita, ipſam flagrantiſſima dilectione proſequamur,ac de illorum numero eſſe ſtudeamus, quos Dominus tantis donis ac muneribus cumulat: & (quod caput eſt)ſummo illum amore complectamur, qui ſummum bonum eſt;ideoque ſummo & infinito amore(ſi is per nos præſtari poſſet) digniſſimus. Cùm enim humana voluntas ſic à Conditore ſuo inſtituta ſit, vt nihil,niſi aut quod bonum eſt, aut quod boni ſpeciem referat, amare poſſit;quid, quæſo, dignius, quid iuſtius,quid ſalutarius,quid iucundius,quid magis ſecundùm naturam, quàm ſummum illud & infinitum bonum (cui fruendo ficti atque formati ſumus) toto affectu, totis viribus,totaque mente diligere,& in illius obſequium,quam ipſe contulit vitam, vireſque omnes, & opes expendere? Sic enim fiet,vt qui ſe totos illius obſequio in hac mortali vita tradiderint,eundem ipſum, laborum ſuorum præmium atque mercedem,in ſempiterna illa vita percipiant.

IN NATIVITATE SANCTI IOANNIS BAPTISTÆ, CONCIO PRIMA: IN QVA lectio Euangelica explanatur.

THEMA. *Erit magnus coram Domino: vinum & ſiceram non bibet.* Lucæ 1.

HODIE, dilectiſſimi, Eccleſia præcurſoris Domini natalē diem feſtis laudibus, & communi populorum alacritate & lætitia celebrat;natalē, inquam diem, non quo ad immortalitatem,melioris vitæ conditione natus eſt, ſed quo ex vtero matris in hanc ærumnoſam vitam editus eſt. Quapropter inquiſitione dignum eſſe videtur, cur Eccleſia maiori ſolemnitate diē hunc celebret,quo Ioannes in hanc vitam, infinitis penè miſeriis curiſque refertam, eſt natus; quàm illum, in quo per glorioſam mortē ad immortalē & beatam vitā feliciſſimè eſt renatus:præſertim cùm Eccleſia in feſtis Sanctorum,nō dies quibus in hāc vitam ingreſſi ſunt, ſed quibus in alterā demigrarunt, ſolemni ritu honorare ſolita ſit,eoſque natales eorum appellare. Ad hoc igitur reſpondemus, Eccleſiam in Ioannis feſto non illud inſpexiſſe quod illi commodius & glorioſius fuit, ſed quod vniuerſo orbi ſalutarius & iucundius erat. At Ioannis natiuitas, Chriſti natiuitatem, cuius ipſe præcurſor erat, mundo nunciauit;quo nuncio nihil mundo fauſtius atq.feliciu s poterat nunciari.

Maximus in Serm. tiari. Hac igitur de causa (vt B. Maximus ait) rectissimè toto hodie orbe Christi Ecclesia Ioannis primordia lætissima festiuitate concelebrat, qui æterna mortalibus adesse gaudia, stupenti mundo testis fidelissimus reuelauit. Quid enim salutarius aut iucundius annunciari mundo potuit, quàm quòd is conspecto Domino Saluatore dixit: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi? Qua ergo deuotione eius festum celebrare par est, qui Agni cælestis aduentum (vt idem Maximus ait) post sacrã Virginem & primus agnouit, & solus ostendit? Hoc enim vno verbo malorum omnium remedium, & bonorum omnium cumulum mundo allatum esse testatus est. Per peccatũ enim, & mala omnia in mundũ importata, & omnia gratiæ bona sublata sunt: vnde Esaias, Iniquitates, inquit, vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum; & peccata vestra abscondérunt faciem eius à vobis, ne exaudiret. Peccata regnũ cæleste claudunt, & gehennam peccantibus aperiunt. Peccata diuinum numen nobis infensum reddunt, mentem sauciant, vitam inquinant, in seruitutem adducunt; & ex Dei filiis & hæredibus, dæmonum filios constituunt. Quid ergo iucundius mundo nũciari potuit, quàm aduenisse Agnum illũ sine peccato, qui tolleret peccata mundi? Nec sola hac voce nunciauit, sed etiam nasciturum Dñm Prophetici spiritus illuminatione præuidit. Vsque adeò enim in eo singularis præfulsit electio, vt antè mereretur annunciare Dominum, quàm nascẽdi caperet initiũ, vel linguã, qua enunciare posset, acciperet. Intra materna quippe adhuc viscera cõclusus, adesse Saluatorem mundi, quia necdum sermone poterat, Prophetico gaudio reuelauit. Hoc igitur gaudium, futurum mundi gaudium de eius natiuitate & legatione prælusit: ideoque non temere Angelus Domini ad Zachariã ait, multos in natiuitate Ioannis gauisuros. Quamuis autem cuncti mortales, nõ fideles modò, sed infideles etiam, hoc est, Turcę & Mahometani, hodie communi alacritate gaudeant, non tamẽ omnes ea lætitia gaudent quam Angelus insinuauit. Qui igitur ita gaudent? Illi nimirum, qui peccatum summum malum esse statuunt; qui peccatum morte peiùs oderunt; qui peccati horrorem & deformitatem agnoscunt; qui, si quando (quæ est humana infirmitas) in peccatum labantur, ita anguntur & mœrent, vt cum Propheta dicere possint, Miser factus sum, & curuatus sum vsq. in finem; tota die cõtristatus ingrediebar. Et, Rugiebam à gemitu cordis mei. Et, Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Qui ergo tanta cordis amaritudine, tantoque lacrymarum imbre peccata deflent, vt penè oculorum lumen amittant; qua animi alacritate, quo plausu hoc felicissimum Ioannis nuncium excipient; Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi? Tales igitur hoc felici nuncio præ lætitia

Margin notes: Ioan. 1. — Idem. — Esaiæ 59 — Psal. 37. — Psal. 6. — Ioan. 1.

titia gestire sibi videntur, quòd adsit iam cælestis medicus, qui lethalia eorum vulnera sanet. At qui bibunt quasi aquam iniquitatem, qui lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis, qui omnia peccatorũ vulnera contemnunt, & pro nihilo ducunt, quid habent, si tales esse pergant, cur hoc præconio lætari debeant? Liquidò ergo constat, non omnes hoc Angeli gaudio affici. Ideoq. prudenter Angelus non omnes, sed multos dixit futuros huius sanctæ lætitiæ participes. Vt nos igitur, fratres, in horũ numero computari mereamur, qui, vt peccati morbum agnoscũt, ita de peccati remedio gaudent, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

Iob 15. Prou. 7.

AVE MARIA.

Inter omnes præcursoris laudes non postrema illa est, quòd Prophetas, quòd Angelos, quòd Euangelistas, quòd ipsum Dominum habere meruerit laudatorem. Prophetæ illum appellãt Angelum; Angeli magnũ coram Dño prædicant; Christus Dominus maximũ inter natos mulierũ testatur, Euangelistæ verò gesta eius, & mirabilem vitæ sanctitatem sacris litteris cõmendarunt. Neque enim inferiores meritorum suorum præcones, quàm ipsos virtutũ Dñi scriptores, habuit; quos diuina dispensatio sic inspirauit, vt cũ gestis Dñi Saluatoris, gesta quoq. præcursoris Euangelica auctoritate cõprobarent. Aiũt medici, pulmonem in corpore animalis instar flabelli cuiusdam esse, quod nimiũ cordis calorem temperet atq. refrigeret, ne eius magnitudine suffocetur: quod beneficium, naturæ auctore sic disponente, cor ita remunerat, vt non venarum sanguine, quo cætera mẽbra sustentãtur, sed arteriali, qui in ipso cordis sinu cõcoquitur, alat atq. sustẽtet, vt videlicet regio cibo Regi proximus minister alatur. Simile quiddã fecisse Dñs videtur, cùm sacros Euangelistas, quibus virtutum suarum historiam scribẽdam commisit, virtutum quoque Ioannis scriptores esse voluit. Quid autem de illo scripserint, iam nunc expendere incipiamus.

Malach. 3 Matth. 11

Simile.

I.

Fuit, inquit, *in diebus Herodis Regis Iudææ sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia, & vxor illius de filiabus Aaron. Erant autem ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.* Hæc prima præcursoris laus, à iustis parentibus esse prognatum. Adulterinę namque plantationes non dabunt radices altas, nec stabile fundamentum collocabunt. Ab iniquo enim thoro semen exterminabitur. Felix itaque Ioannes parentum meritis, sed felicior suis:

Lucæ 1.

Sap. 4.

Nam genus & proauos (vt ille ait) *& quæ non fecimus ipsi,*
Vix ea nostra puto.

Ouidius 13. Met.

Sed non alienum erit, paulisper in huius sacræ lectionis exordio subsistere. Expendamus igitur primo loco quod ait: *Erant*

autem

autẽ ambo iusti ante Deum. Magna planè sanctitatis cõmendatio, iustos esse ante Deum, iustos videlicet ante illum de quo scriptum est, Spirituum põderator est Dominus. Iustos ante illum, qui est discretor cogitationum & intentionum cordis, qui solus incorrupta lance veram ac falsam iustitiam discernere potest. Est enim via quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducunt ad mortem. Quocirca Paulus aiebat: Mihi autem pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die, sed neque me ipsum iudico. Et mox: Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscõdita tenebrarũ, & manifestabit cõsilia cordiũ, & tunc laus erit vnicuiq. à Deo. Ante huius ergo incorrupti iudicis conspectum coniuges isti iusti erant. Non erant autem hoc modo iusti illi quibus Dñs ait, Vos estis, qui iustificatis vos corã hominibus, Deus autem nouit corda vestra: quia quod hominibus altũ est, abominatio est ante Deum. Nec hoc modo Pharisæus ille iustus erat, quãuis sibi esse videretur, qui orãs aiebat: Deus, gratias ago tibi, quia nõ sum sicut cæteri hominum, raptores, adulteri, & iniusti. Omnes isti ante Deum iusti non erãt: quia, quãuis aliqua iustitiæ opera ederent, non tamẽ Dei, sed sui amore inducti ea faciebant. Nec enim Dñs quid homines faciant, sed qua mente, quo affectu faciãt, præcipuè animaduertere solet. Qua de causa per Zachariã populo suo improperat, quòd religionis opera, quæ aliquando edebat, nõ ad Dei gloriã, sed ad suã cupiditatẽ referebat. Cũ ieiunaretis, inquit, & plãgeretis in quinto & septimo per hos septuaginta annos, nũquid ieiuniũ ieiunastis mihi? & cũ comedistis & bibistis (quãdo videlicet festa vestra celebrabatis) nũquid nõ vobis comedistis & bibistis? Improperat ergo illis Dñs, quòd recta nõ rectè faciebant, quãdo bona opera nõ ad Dei gloriam, sed ad suam cõmoditatem referebant. Multos autẽ hoc eodem morbo apud nos laborare arbitror. Amor enim sui vehementer omnia ad suã cõmoditatem trahere nititur. Multi vel honoris cupiditate, vel ignominiæ metu inducti, pudicitiã seruãt: multi auctoritatis & dignitatis prætextu, diuino Missarum sacrificio quotidie intersunt. Multi in Paschate Ecclesiæ Sacramenta, vi magis coacti, quã spõte, accedunt. Multi in officiis & Magistratibus, quos administrant, à maleficio abstinẽt, nõ vt Dñm promereantur, sed vt ad maiores promoueãtur. At sancti isti cõiuges iusti ante Deũ erãt, quia illud Apostoli præceptũ implere satagebant. Omnia vestra in charitate fiãt. Quod quidẽ verbũ idẽ exposuit, cũ ait: Siue comeditis, siue bibitis, siue quid aliud facitis, omnia in Dei gloriã facite. Sicut igitur nihil erat in Salomonis tẽplo, quod nõ auro tegeretur; ita nihil in spirituali Dei tẽplo, hoc est, in viri iusti anima, esse deberet, quod nõ charitatis auro vestiretur. Bona quippe opera tanto maioris meriti esse perhi-

Prou. 16.
Hebr. 4.
1. Cor. 4.
Lucæ 16.
Lucæ 18.
Zachar. 7
1. Cor 16
1. Cor. 10

perhibẽtur, quãto puriùs & sinceriùs ad Dei gloriã cõferuntur.

Addit etiam Euangelista, *Incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.* Arbitror nonnihil inter has duas voces, mãdata & iustificationes, discriminis esse. Quamuis enim omnes diuinæ leges his nominibus designentur (quia enim à Domino præcipiuntur, mandata; quia verò hominem iustificant, iustificationes appellantur) iustificationis tamen nomen ea præcipuè mandata mihi significare videtur, quæ, præterquam quòd mandata diuina sunt, ad aliorum etiam mandatorum obedientiã plurimùm adiuuant. Exempli gratia: Mandatum Domini est, vt Sacramenta statis tẽporibus percipiamus: at Sacramentorum perceptio non solùm obedientiam continet, sed etiam ad parandam & retinendam iustitiam plurimum iuuat, quando per ea cælestis virtus & gratia dignè suscipientibus tribuitur. Oratio quoq. virtus est, in sacris litteris plurimùm commendata; quæ si piè & religiosè fiat, deuotionis gratiam promeretur, quæ ad omnia virtutis & religionis officia stimulos & calcar addit. Idem etiam illis euenit, qui sacris lectionibus & concionibus deuotè & humiliter audiendis operam dant: hæc enim mentem muniunt & armant, intellectum cælesti lumine complent, & pios in anima motus & affectus excitant. Quocirca meritò has similesque virtutes iustificationis nomine appellamus, quòd vehementer nos ad iustitiã cæteraq. virtutum officia adiuuent. Quæ ideo à me dicta sunt, fratres, vt huiusmodi virtutes commendatissimas vobis redderem, sine quarum præsidio iustitiæ cultus periclitari solet. Sũt inter aues, ac præcipuè inter perdices, quædam, quibus aucupes vti solent, vt earũ cantu alias illaqueare possint: quæ quidem duplici nomine in pretio habentur; & quòd ad vescendum aptæ sint, & quòd earum adminiculo alias captent. Simile quiddam in virtutum aucupio inuenire licet; quarum illæ quidem plurimi faciendæ sunt, quæ nos ad alias adipiscendas plurimùm iuuant. Inter has autẽ principem sibi locum vindicat charitas, quæ patiẽs est, benigna est, quæ non æmulatur, non cogitat malũ, quæ omnia sustinet, omnia credit, omnia sperat; quam hoc ipso nomine virtutibus cunctis anteponimus. Hi ergo B. Ioannis parentes vtrasq. virtutes studiosissimè colebant, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.

Simile.

1 Cor. 13

Nec hoc quidem postremum verbum, Sine querela, otiosum puto. Sic enim beati isti vitam suam instituebant, vt nõ solùm ante Deum, sed ante homines etiam iusti essent; prouidẽtes scilicet bona nõ solùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus: illud videlicet diligẽtissimè curantes, ne cui, verbo aut facto, offendiculo esse possent: hoc est enim quod Paulus ad Rom. & Corinth. magna vi orationis commendat: Bonũm est, inquit,

Rom. 14.

inquit, non manducare carnes, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus scandalizatur. Et rursum: Si esca scãdalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Nemo ergo nostrûm solo conscientiæ suæ testimonio contentus sit: oportet enim habere bonum testimonium & ab his qui foris sunt, ne cuiquam offensionis occasionem præbeamus, ne illud Apostoli contra nos obiici possit; Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam infirmam, in Christum peccatis. Non potuit Apostolus hoc peccati genus magis augere, quàm vt fratris offendiculum ad Christi Domini offensionem referret. Ob hoc autem fortis illa mulier, quam Salomon in fine Prouerbiorum omnibus virtutum numeris ornatam describit, inter cætera laudum eius insignia hoc quoque adiecit: Quæsiuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum. Ex lino quidem interior vestis, quæ carni adhæret; ex lana verò, exterior texi solet, quæ corpus tegat. Hac autem metaphora insinuare Salomon voluit, hanc sanctam feminam interni cultus, qui in animo latet; & externi, qui humanis oculis patet, diligentem curam habuisse; illud, quo placeret Deo; hoc, vt homines non offenderet. Quo nomine insignis illa vidua Iudith in litteris sanctis commendatur, quę sic omnem offendiculi materiam vitabat, vt non esset qui de ea loqueretur malum verbum. Talis autem horum beatorum coniugum erat vita, qui in omnibus mandatis Domini sine querela incedebant. Addit deinde Euangelista:

1.Cor. 8.

Prou. 31.

Et non erat illis filius, eo quòd esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis. Inquisitione dignum est, cur Dñs, qui ex his parentibus procreari Ioannem definierat, infecũdos esse voluerit: nec id in his solùm, sed in multis aliis quæri meritò potest. Sic enim Abrahæ filiũ Isaac, & huius filiũ Iacob, & huius item Ioseph (qui inter sanctos Patriarchas maximè illustres extitêre) ex sterilibus parẽtibus nasci voluit. Quid verò Samuel fidelis Propheta Dñi? quid Samson? quodq. maius est, quid beatissima Mater Dei? an non horũ quoq. parẽtes infecundi erãt? Quo igitur consilio Dñs hoc ita decreuit? Multæ sunt causæ, sed illa tamen præcipua est, quòd cùm electos suos Dominus insigni aliquo munere afficere vult, eo tempore atque eo modo afficit, quo apertè liqueat, diuinum illud beneficium, non humanum opus extitisse. Ita fit, vt collata dignitas & gratia, nõ superbiendi, aut inaniter sese efferendi, sed magis Dominum laudandi & gratias agendi, ipsumque benefactorem impensiùs diligendi materiam illis præbeat. Duplicata enim gratia est, sic beneficia conferre, vt benefactorem, pro eo atq. meretur, debito honore prosequaris. Quòd autem hoc ipsum Dñs in muneribus suis captare soleat, vnico Gedeonis exẽplo cõprobabimus: cuius copias Domi-

Dominus (quæ triginta & duo millia hominum continebant) paulatim ad eam paucitatem redigi mandauit, vt ex tam numeroso exercitu trecenti solùm milites relinquerentur; quibus stipatus Gedeon, innumerabiles hostium copias fudit atque fugauit. Cur autem hoc voluerit, apertè eidem Duci exposuit, cùm ait: Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manus eius, ne glorietur contra me Israël, & dicat, Meis manibus liberatus sum. Hac igitur de causa, quibus Dñs beneficia sua non ad ruinam, sed ad salutem confert, eo tempore atque eodē modo confert, quo homines perceptis beneficijs in se quidem humiles, Deo verò deuoti & grati existant. O si quicunq. diuites, nobiles & potentes nati sunt, cuius beneficio tales nati fuerint, agnoscerent! non vtiq. animis efferentur, non insolescerēt, non infimos quosque despicerent, non in luxum & fastum pauperibus eroganda consumerent, sed in horum bonorum largitorem fideles & grati, in alios autem benigni & liberales existerent: intelligentes, se non tam dominos, quàm dispensatores diuinorum donorum esse; nec solis sibi, sed alijs etiam eadem percepisse. Felices profectò quibus vtrumq. Dñs donauit: infelices verò, quibus hoc datum non est, quibus diuina dona & beneficia in malum suum vitio suo versa sunt. Sequitur deinde:

Iudic. 7.

Factum est autē cùm sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ, sorte exijt vt incensum poneret super altare. Sciendū hoc in loco est, in tabernaculo Dñi, extra velum (quo Sancta sanctorum tegebantur) altare aureum ex præcepto Dñi constitutum fuisse: à dextera verò læuaque altaris huius candelabrum aureum, & mensam quæ Propositionis panes continebat. In hoc autem altari bis in die soli sacerdotes thus Domino, siue thymiama adolebant. Semel autem in anno, septimo mēse, in die qui Expiationis vocabatur (quo videlicet Israelitici populi peccata expiabantur) solus summus sacerdos, vel qui eius vices gereret, ingrediebatur, vt pro peccatis populi Dñm precaretur. Quo tempore nequaquam populo licebat in atrijs templi orare (quod alijs tamen temporibus licebat) ideoque hoc in loco dicitur, populum foris ad orandum stare. Cùm ergo Zacharias, vices summi sacerdotis gerens, in Sancta sanctorū esset ingressus, *apparuit ei Angelus Gabriel stans à dextris altaris incensi.* Ex qua quidem figura & loco facilè liquet, in humana specie Angelū apparuisse. Stare enim, & à dextris stare, ad humani corporis figuram pertinent. Eius verò conspectu vehementer sacerdos perterrefactus est. Sic etiam pastores illi, quibus Domini natiuitas ab Angelo nunciata est, timuisse dicuntur timore magno. Hoc eodem modo Daniel Angelici fulgoris conspectu sic exanimatus est, vt, in terram corruens, respirare vix posset: vsque adeò

Leuit. 22.

Lucæ 2.

Dan. 10.

Angelicæ dignitatis sublimitas humanæ naturæ conditionem superat. Iubet tamen illum Angelus Domini bono esse animo, dicens: *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est oratio tua, & Elisabeth vxor tua pariet tibi filium.* Nemo putet hoc in loco Zachariam pro impetranda sobole orationem Dño fudisse: quandoquidem publicus minister publicam illo expiationis die populi causam agebat. Quod cùm alij interpretes, tum Euseb. Emiss. testatur his verbis: Nunquid credendum est, quòd in templo tanti populi sacerdos hoc petierit, vt filius nasceretur? Nunquid credendum est, quòd senex iuuentutis vota præsumpserit? Nunquid credendum est, quòd pro hac tantopere inuigilarit publici intercessoris oratio, vt, intermissis suorum necessitatibus, donare sibi à Deo posceret desperatum nomen parentis, & alienæ munus ætatis? Non ita est: sed dum ille solicitus pro salute populi supplicat, promissus est ei talis filius, per quem populus saluaretur. In tantum verò pro suscipiendo filio nõ orauit, vt hoc fieri posse Angelo promittenti non crederet. Addit deinde Angelus nascituri filij nomen: *Et habebit*, inquit, *nomen Ioannes*: quod interpretatur, donum Dei & gratia. Cur tanta Deo nominis electorum suorum cura fuit? Certè vt hac ratione & donorũ suorum magnitudinem declararet, & donorum memoriam commendaret, vt, si quando humana illis obliuio obreperet, ipsa nominis appellatio & parentes & filios ad recolendam Domini beneficentiam inuitaret, atque ita magis in benefactoris dilectione proficerent, maioribusque donis digni haberentur.

Euseb. Emiss.

Incipit deinde cælestis legatus nascituri filij laudes explicare. *Erit*, inquit, *magnus coram Domino; vinum & siceram non bibet.* Alij coram hominibus, alij coram Domino magni esse perhibentur: horum autem vera magnitudo; illorum verò, si priori conferatur, magna non est. Hæc enim magnitudo constat ingenti patrimonio, ampla domo, magna familia, splendida mensa, molli strato, cæterisque corporis delicijs; at verò coram Deo magnitudo diuersa ratione in horum omnium contemptione, cælestiumque bonorum possessione, cõsistit. Talis erat Ioannis magnitudo, qui, his omnibus fortunæ opibus destitutus, deserto pro domo, solitudine pro familia, cilicio pro vestibus, & locustis melleque siluestri pro varijs ciborum delicijs vtebatur. Nullus ibi locus, nullus arte paratus cibus, nullus ibi famulus, nihil prorsus eorum quibus humana vita alitur & recreatur. Ad eam quippe vir sanctus parcimoniã redactus erat, vt, quomodo terra pecoribus alimẽta sine vllo cultu & arte præstat, ita & illi præstaret; & qui in vita similis erat Angelis, in victu & vitæ cultu se ipsum mirabili quadam parcimonia ad vilitatem pecorum deijceret. Nam locustæ, de quibus hîc sermo est, herbarum radices esse

esse à multis creduntur, quæ nec ignis vsu, nec vlla conditura egent. Qui autem hoc tam vili cultu & victu vtuntur, magni quidem illi, non tamen apud homines, sed apud Deum sunt. Cuius autem virtutis sit hoc modo victitare, breuiter ex vno D. Hieronymi verbo colligere licet, qui, ad Eustochium scribens, de se ipso sic ait: Cùm post multos annos domo, parentibus, sorore, cognatis, & (quod his est difficilius) consuetudine lautioris cibi propter regna cælorum me castrassem, Hierosolymam militaturus perrexi. Quem locum vbi legissem, demiratus sum, virum sanctum difficilius sibi esse dixisse, à cultioris cibi consuetudine abstinere, quàm omnia quæ in mundo charissima habentur, domum, parentes, sororem, cognatos & natale solum reliquisse. Verùm hoc nemini mirum videri debet; quoniam aliud est semel in vita his omnibus renunciasse, aliud singulis per omnem vitam diebus crucem abstinentiæ ferre, & corpori, delicias suas auidissimè exquirenti, pro dulcibus epulis amara fercula ministrare.

Hieron. ad Eusto-chium.

Quęret autem aliquis, cur Ioannes, qui Spiritu sancto plenus, & in gratia confirmatus, lethaliter peccare non poterat, innocentissimum corpus suum tanta asperitate macerauerit? Nec de illo solùm, sed de omnibus ferè Sanctis, ac præcipuè de Anachoritis illis idem quæri meritò potest. Si quis enim Sanctorum historias, atque illorum pręcipuè quas Palladius & Theodoretus litteris consignarunt, attentiùs legerit, vix aliud in eis quàm mirabiles abstinentias & continuum orandi studium deprehendet. Huius rei cùm multas alio in loco causas assignauerim, duas modò afferam, quæ mihi pręcipuæ fuisse videntur. Quarum altera est, quòd hac ratione viri sancti omnium peccatorum occasiones velut vno ictu abscindere volebant. Constat enim ex Apostoli sententia, malorum omnium radicem esse cupiditatem. Dum enim terrenas opes aut parare, aut augere, aut ab iniuria tueri volumus, dum aut alijs ipsi hac de causa negotium exhibemus, vel nobis alij exhibent, fieri vix potest, vt non frequenter multis criminibus irretiamur. Cùm igitur viri sancti hoc malorum omnium seminarium vitare decreuissent, vili cultu, & modico cibo, eoque parabili, contenti erant; ne occasione lautiora quærendi, in huiusmodi laqueos inciderent. Qua in re canes è Nilo bibentes imitati esse videntur, quos ferunt currentes aquam paulatim attingere magis quàm bibere: ne videlicet, si aliquam in bibendo morã fecerint, à crocodilis, cæterisque serpentibus, qui in eo flumine abundant, dilacerentur. Ad hunc ergo modum viri sancti humanę vitæ subsidia parcissimè ex venenato huius mundi flumine carpebant; ne, si plenius eo sese ingurgitare vellent, commercium cum eo habere

Palladius Theod.

1. Tim. 6.

Simile.

cogerentur, & lethali ſerpentum morſu, qui in eo plurimi degunt, ſauciarentur. Hæc igitur prior huius tantę aſperitatis cauſa extitit. Vt autem alteram intelligere faciliùs poſſitis, ſcire oportet ex D. Dionyſij ſententia, hunc in rebus ordinem à Deo ſapientiſſimè fuiſſe præfixum, vt, quod ſummum eſt in aliquo rerum genere, id, quod eſt in ſuperiori genere infimum, attingeret; quò rerum conditarum ſeries, & veluti catena, hoc mutuo nexu continuaretur, & inter ſeſe cohęreret. Hunc autem ordinem videmus inter elementa mundi ſeruari: inferiora namque elemēta, ſuperiorum naturam altera qualitate attingunt. Idem autem in alijs rerū generibus animaduertere licet. At in propoſito noſtro ſanctorum hominum mentes, beatis illis mentibus, quæ in cælo reſident, vitæ puritate ac moribus proximæ eſſe ſtudent; ideoq. obnixè dant operam, quantum humanę imbecillitati fas eſt, vt ſupernarum mentium aliqua ſaltem ex parte perfectionem attingant; earumque & in vita puritatem, & in officio aſſiduitatem & perſeuerantiam imitentur. Supernarum autem mentium officium eſt, quoniam corpore carent, omnibus corporeis functionibus & officijs relictis, ſolius Conditoris amori & contemplationi inhærere, nec vnquam ab hoc opere feriari: hoc eſt enim quod Ioannes ait, eas requiem die ac nocte non habere, dicentes, Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus Sabaoth. Requiem autem ab hoc officio non habere, eſt, omnem ipſarum requiem & felicitatē in hoc vno poſitam eſſe. Ad hanc ergo adeò ſublimem gloriam ſancti viri eodem Spiritu acti aſpirabant; in hoc vnum neruos omnes intendebant, vt fixam mentis aciem in vno Deo ſemper haberent, nec ab eo, quatenus fieri poſſet, oculos vſquam deflecterent. Hoc igitur omnibus viris ſanctis propoſitum eſt, vt omne tempus quò de Deo non cogitant, vel diuina præcepta non exequuntur, reputent ſe perdidiſſe. Quia verò in corpore agentes, corporeis neceſſitatibus ſubijciuntur, dant operam, quātum poſſunt, vt corporis neceſſitatibus nō ſeruiāt, ſed prouideant; nō delicijs illud foueant, ſed ſobriè alant: non quid eius cupiditas, ſed quid arctiſſima neceſſitas exigat, cōſiderantes. Vnde quemadmodum Mathematici dicunt, ſphæricum corpus in indiuiduo puncto planum corpus attingere; ita ipſi velut in puncto terram atque terrena bona contingunt, vt protinus à terrenis curis liberi atque ſoluti in ſublimia ferantur. Itaque aquilarum naturam imitantur, quæ ſemper in ſublime volant, nec ad terram deprimuntur, niſi cùm fame vrgentur; quam cùm expleuerint, protinus ſupera loca repetunt. Talis fuit beatus Franciſcus, paupertatis exemplar atq. magiſter, qui penè nudus in hoc ſeculo vixit. Tales omnes antiqui eremi Patres; tales filij Prophetarū, qui (vt D. Hieron. ait) veteris

Dionyſ. — Apoc. 4. — Simile. — Simile. — Hieron.

veteris Testamenti monachi fuerunt. Hi namque turbis vrbium derelictis, & prope fluenta Iordanis casulas ædificantes, in polenta & herbis agrestibus victitabant. Talis denique Prophetarum maximus, & Anachoritarum velut antistes, Ioannes Baptista fuit: qui, vt cæteris dignitate superior, ita in victu & cultu parcior extitit. Quæ quidem virtus tanto in illo fuit mirabilior, quanto mens eius diuinis muneribus erat plenior. Sciuit enim (vt Euseb. Emiss. ait) quòd non sufficeret eligentis gratia, nisi inuigilaret collaborantis industria: sanctificatus quidem est, nec tamen de sola Dei dilectione securus, agonibus ieiuniorum, & laboribus abstinentiæ atque iustitiæ diuina in se vota seruare contendit. Hactenus ille. Quid ad hæc dicemus, fratres, qui tantopere ab hoc spiritu & gratia distamus? qui non in solitudine, vt Ioannes, sed in medio laqueorum positi sumus, & tamen sic vitam instituimus, vt omnes curas & cogitationes nostras ad terrena bona, & cultum corporis conferamus? Quanto aliter viri sancti, de quibus scriptum est; In paucis vexati, in multis bene disponentur? At contrà periculum est, ne nobis accidat, vt in paucis oblectati, huius vitæ vsuram & voluptatem pœnarum æternitate commutemus. Hoc enim illa Saluatoris verba comminantur: Væ vobis diuitibus, qui habetis hîc consolationem vestram. & illa item Iacobi Apostoli: Agite nunc diuites, plorate, vlulantes in miserijs vestris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt; aurum & argentum vestrum æruginauit: & ærugo eorum erit vobis in testimonium, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus. Epulati estis super terram, & in luxurijs enutristis corda vestra.

Euseb. Emiss.

Sapien. 3

Lucæ 6.
Iacob. 5.

Sed ad finem properantes, cùm hanc abstinentiæ laudem, multasque alias Zachariæ Angelus enunciasset; ille, tantarum rerum magnitudine stupefactus, hæsitare de Angelica promissione cœpit. Quam is culpam nouem mensium silentio castigauit: quod tamen in filij natiuitate solutum est. Tunc enim laxatum est vinculum linguæ eius, & loquebatur benedicens Deum. Qua ex re diuinæ misericordiæ lenitatem D. Ambrosius colligit his verbis: Vide quàm bonus Deus, & facilis indulgere peccatis. Non solùm ablata restituit, sed etiam non sperata concedit. Nemo ergo diffidat; nemo, veterum conscius delictorum, præmia diuina desperet. Nouit Dominus mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum.

Ambros.

Quia verò Zacharias sacerdos sacerdotij & legis veteris typum gerit; non sine mysterio is ante Ioannis natiuitatem mutus, in Ioannis verò, id est gratiæ natiuitate, eloquens factus est. Hac enim imagine intelligimus, legem ante Ioannis aduentum

elinguem & mutam, hoc eſt, obſcuram & inacceſſam fuiſſe, quæ tamen poſt eius aduentum in Euangelij luce patefacta eſt. Eius autem obſcuritatem Iſaias declarat his verbis: Erit omnis viſio quaſi verba libri ſignati, quem cùm dederint ſcienti litteras, dicent, Lege iſtum; & reſpõdebit, Non poſſum, ſignatus eſt enim. Et dabitur liber neſciẽti litteras, diceturq. ei, Lege; & reſpondebit, Neſcio litteras. Hac enim de cauſa Apoſtolus ſuper corda Iudæorum velamen poſitum eſſe ait: quia videlicet lex illis obducta, quoniam elinguis & muta erat. Quid enim in lege & Prophetis Chriſti morte & paſſione apertius? At tantum abeſt vt hoc Iudæi intelligerent, vt dicerent, Nos audiuimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum. Quid item tam multis in locis apertius, quàm Gentium vocatio prędicta fuerat? At cùm fideles, qui ex circumciſione crediderant, Spiritus ſancti gratiam in nationes effuſam viderunt, obſtupuiſſe perhibentur, quòd in nationes Spiritus ſancti gratia effuſa eſſet, quæ res ab eorum cogitatione longiſſimè aberat. Muta enim illis erat eo tempore lex, quæ deinceps in manifeſtatione gratiæ loqui cœpit. Quia enim legis & Prophetarũ vaticinia per Chriſtum impleta ſunt; ipſa rerum adimpletio, vaticiniorum manifeſtatio fuit. Quid verò abſtruſæ legis figuræ atque vmbræ? An non ipſæ quoque adueniente corpore & veritate patefactæ ſunt? Vbi enim innocentiſſimi agni ſanguine & ſacrificio à diaboli ſeruitute & poteſtate mundus eſt liberatus, & peccata hominum expiata; tunc apertè fideles intellexerunt, quid ſibi omnia illa veteris legis ſacrificia, effuſuſque pecorum ſanguis deſignaret.

Iſai. 29.

1. Cor. 3.

Ioan. 12.

Sed operæpretium erit animaduertere, quidnam muta olim lex nunc apertè loquatur. Certè vix aliud quàm quod idem Zacharias in Cantico ſuo declarauit, cùm dixit; Benedictus Dñs Deus Iſrael; quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ. Vbique enim lex ſummũ Chriſti Seruatoris noſtri beneficium loquitur, Chriſtum prædicat, Chriſtum reſonat, quem omnia ſacramenta, ſacrificia, & cerimoniæ veteris legis varijs modis adumbrabant. Cùm enim humani generis redemptio omnium diuinorum beneficiorum maximum ſit, voluit illud cæleſtis Pater in omnibus ferè ſanctarum litterarum paginis adumbrari, ne vnquã tanti beneficij memoria animis noſtris elaberetur. Si enim idem Dominus liberationem ab Aegyptiaca ſeruitute Iudæorum animis adeò infixam eſſe voluit, vt diceret, Erit hoc quaſi ſignum in manu tua, & quaſi appenſum quid ob recordationem ante oculos tuos; quid pro liberatione à diaboli poteſtate, & æterna captiuitate, à nobis exiget? Hoc æſtimari vtcunq. poteſt, verbis explicari nõ poteſt. Hæc ergo tanta Seruatoris noſtri charitas, fratres, tanta bonitas & miſericordia, tantæ-

Exod. 13.

tantæque salutis exhibitio acerrimos nobis stimulos addere debet, vt tantæ salutis auctorem colamus, illum veneremur, illius laudes perpetuò decantemus, illius gloriam ardentissimè sitiamus, illum toto pectore, totisque viribus diligamus, ad illiusque dilectionem omnes homines incendere studeamus; vt hac pietate & religione summi huius beneficij memoriam recolentes, eiusdem beneficij fructum, hoc est, cælestis hæreditatis patrimonium percipere mereamur.

IN EODEM FESTO BEATI IOANNIS BAPTISTÆ, CONCIO SECVNDA: IN QVA, post Euangelicæ lectionis enarrationem, quinque præcipuè sancti Ioannis virtutes & laudes explicantur.

THEMA. *Erit magnus coram Domino.* Lucæ 1.

HOc discrimen inter Ioannis Baptistæ prædicationem & nostram Guerricus Abbas esse testatur; quòd nos quidem perfectiùs loquimur quàm viuimus; ille verò multo perfectiùs viuebat quàm loquebatur, quamuis perfectissimè loqueretur. Nos quippe frequenter de perfectionis virtute loquimur, cùm simus ipsi imperfecti; ille contrà, qui perfectissimus erat, ad humanæ se infirmitatis captum accommodās, non quæ ipse faciebat, sed quæ infirmi auditores sustinere poterant, edocebat. Militibus ergo ad eius doctrinam confluentibus aiebat; Neminem concutiatis, neq. calumniam faciatis, & estote contenti stipendijs vestris. Turbis autem ad eum venientibus, Qui habet, inquit, duas tunicas, det non habenti; & qui habet escas, similiter faciat. Itaq; iustitiæ & misericordię operibus salutem hominum definiebat, alios ab iniuria deterrens, alijs misericordiam commendans. Sic igitur summus ille vir se infirmis aptabat. Idem in Paulo exemplum habemus; qui se eadem de causa infirmis tanquam infirmū exhibere curabat: idemq; alibi, Siue, inquit, mēte excedimus, Deo; siue sobrij sumus, vobis: hoc est, si quando humanæ naturæ fines, diuino Spiritu elati, transcendimus, hoc, solo Deo teste, ad eius gloriam facimus: siue ab hoc culmine ad humanæ infirmitatis mensuram nos accomodamus, hoc ad vestram salutem agimus. Hæc est, fratres, regula, quæ cunctis concionatoribus seruanda proponitur: quam nos tamen in hodierna concione non vsquequaque seruare possumus.

Guerric.

Lucæ 3.

Ibidem.

1. Cor. 9.

2. Cor. 5.

Cùm enim suscepti officij ratio, & præsentis diei sollemnitas à nobis exigat, vt altissimas beati Ioannis virtutes prædicare debeamus; necessariò faciendum est, vt multa dicamus, quę facultatis nostræ mensuram longè superent. Ea verò dicemus, non vt sciatis Ioannem fuisse sanctissimum (quid enim ad me pertinet, si, cùm ipse perditè viuam, illum fuisse sanctissimum credam?) sed vt vos ad virtutum eius imitationem (quatenus cuique licet) accendam. Hac enim de causa nobis Ecclesia Sanctorum festa proponit, non modò vt illos sanctissimos fuisse sciamus, sed vt præcipuas eorum virtutes imitari studeamus, cùm idem nobis omnibus sit Dominus, qui neminem à se excludit, nulliq. gratiæ suæ opem denegat; paratus omnibus dare, si non desit qui suppliciter velit petere. Quòd si ad singularem Ioannis sanctitatem nemo nostrûm peruenturus sit; satis erit, vt, quemadmodum quidam Ciceronis saltem vmbram in dicendo assequi cupiebant, sic nos, si non solidam & expressam Ioannis virtutem, at eius vmbram & effigiem aliqua ex parte referamus. Nam & qui pueros scribere & formare litteras docent, absolutissima illis litterarum exemplaria proponunt: quæ si illi talia reddere nequeant, ad illa tamen exprimenda, quantum per ætatem licet, adspirent. Magna ergo & excelsa exempla nobis ad imitandum proponere debemus: quoniam (vt rectè Fabius dixit) altiùs ibunt qui ad summa nitentur, quàm qui præsumpta desperatione, quò velint, euadendi, protinus circa ima substiterunt. Vt igitur hoc affectu atque animo sanctissimi huius præcursoris virtutes tractare possimus, cælestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

Simile. *Quintil.*

AVE MARIA.

Primo loco lectio sancti Euangelij breuiter explananda est, quo postea in commemorandis beatissimi Ioannis virtutibus longiores esse valeamus: *Elisabeth* (inquit Euangelista) *impletum est tempus pariendi.* Cùm hi beati cõiuges, Elisabeth & Zacharias, in confinio vtriusque legis, veteris scilicet ac nouæ, vixerint; nihil mirum, si vterque nobis aliquid vtriusque termini repræsentent. Hæc enim earum rerum natura est, quæ in medio aliarum constitutæ sunt. Sic enim aurora, quæ inter diem & noctem media est, partem quidem diurnæ lucis, partem verò tenebrarum & noctis continet. Elisabeth ergo dum sterilis est, veterem legem designat; dum verò Ioannem, id est gratiã, parit, Euangelicæ vbertatis gratiam repræsentat. Sterilis enim erat lex, quæ literam occidentẽ, non Spiritum viuificantem habebat: ideoq. (vt Apostolus ait) neminem ad perfectum adduxit. Nondum enim de Spiritu sancto pleniùs conceperat, vt spirituales filios pareret: siquidem nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum

Simile. *Hebr. 7.*

dum erat glorificatus. Grauida tamen Christo erat, quia legibus & sacrificijs, varijsque figuris, intra se Christum Dominum inclusum tenebat. Hanc tamen sterilem legem adueniens Christus Dominus nouo partu fecundauit, eiusque sterilitatem in fecunditatem commutauit. Ille enim qui in nuptijs aquam mutauit in vinum (quo significare voluit, se aduentu suo frigidam legis litteram in spirituale diuinæ gratię vinum cõmutaturum) is etiam, vbi aduentu suo fecunditatem sterili feminæ concessit, sterilem legis litteram in Euangelij gratiam transtulit. Nec mysterio vacat, quòd sancta femina, cùm se partui vicinam esse videret, intra domus suæ penetralia delitescens aiebat; Quia sic fecit mihi Dominus in diebus, in quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines. Quibus verbis sterilitatis infamiam, quæ eo tempore probro dabatur, singulari Dei beneficio à se ablatam gratulabatur. Quæ quidem res mirè quadrat in legem, cuius Dominus opprobrium aduentus sui beneficio sustulit. Imperiti enim & infideles homines multa, quæ varijs sacrificijs, & legalibus cęrimonijs lex pręcipiebat, superstitionis magis quàm religionis speciem referre dictitabant. Quod (vt alia prætermittam) exemplo sacrificij, quod leprosis indicebatur, confirmabant. In eo namque duo passeres offerendi erant; quorum alter in vase fictili erat immolandus, eiusque sanguine leprosus hyssopo (quæ ligno cedrino, coccoque bis tincto alligari debebat) aspergendus; alter verò ad volandum liberè dimittendus. At si in hoc sacrificio duplicem Christi Domini naturam consideres (quarum altera ab omni passione & morte libera; altera in cruce immolata, pretioso sanguinis sui cruore mundi lepram sustulit) an non tibi legis illius opprobrium, redemptionis humanæ sacramentum videbitur? Quid verò illa ligni cedrini cum hyssopo coniunctio (quę cocco bis tincto ligabatur) nisi altissimæ diuinitatis cum sacra humanitate vnionem designat? quam ardens atque incensa diuinæ gloriæ, & humanæ salutis charitas (quæ cocco illo bis tincto adumbrabatur) effecit. Talis enim hyssopus, hoc est, Dei Filius humana carne circundatus, peccatorum omnium lepram emundat. Ideoque Regius Propheta hac se hyssopo aspergi postulabat, vt post atram peccati nigredinem niue candidior appareret. Quid igitur hoc mysterio gloriosius; quod tamen sub humili legis littera latitabat? Hoc est igitur illud legis opprobrium, quod aduentu suo Christus sustulit. Sed ad historiam redeamus.

Ioan. 4. | Lucæ 1. | Leuit. 14. | Psal. 50.

Et audierunt (ait Euangelista) *vicini & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabãtur ei.* Apertè homines hunc partum diuinæ misericordiæ tribuebant, quia in eo duplex fecunditatis impedimẽtum, senectutis videli-

cet ac sterilitatis, diuina virtute sublatum est. Atque hac potissimum de causa in desperata parentum ætate Ioannem Dñs & concipi, & nasci voluit; vt liquidò homines eam sobolem non humanæ virtutis, sed diuinæ gratiæ beneficium esse agnoscerēt; atque hoc argumento & Deo in rebus etiam desperatis fidere, & beneficijs eius grati esse addiscerent. Qua de re sic Rauennas: Sterilitas senectute exaggeratur extrema; & ab spe generandi totum subducitur quicquid est corporis & naturę: & ne vel cogitatio sobolis vlla remaneret, ad id peruentum est temporis & ætatis, quo, transacto calore vitali, mortale frigus sterilis iam viscera possidebat: vt genitor ipse cognosceret, inde iam per hominē non posse nasci hominem, vnde abscesserāt res humanæ. Sic, sic fratres, duris hominum pręcordijs credulitas asseritur, & inseritur fides; & tunc totum diuinum creditur, cùm fuerit nihil humanum. Hactenus Rauennas. Sequitur deinde: *Et factum est in die octauo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater eius, ait: Nequaquam, sed vocabitur Ioannes. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine.* Verè ita est: quia cum Ioannis nomen gratiam significet, quamuis multi essent qui hoc nomine vocarentur, pauci tamen erant in quos nominis huius ratio caderet; donec ille veniret, de cuius plenitudine omnes acciperent gratiam pro gratia; hoc est, propter singularem aduentus sui gratiam ipsi quoque gratiam acciperent, quæ illos Deo gratos efficeret. Hanc autem de Ioannis nomine controuersiam Zacharias pater diremit, qui rogatus filij nomen, postulatis pugillaribus, cum piæ vxoris voluntate consentiens, scripsit, Ioannes est nomen eius.

Rauen.

Ioan. 1.

Imposito ergo à patre nomine, *apertū est illico os eius, & lingua eius, & loquebatur, benedicens Deum.* Quibus verbis benedicebat? *Benedictus*, ait, *Dominus Deus Israel: quia visitauit, & fecit redemptionē plebis suæ.* Dum ergo Ioannes nascitur, diuturnū patris silentium soluitur: nec soluitur modò, sed etiam Prophetico spiritu loquētis pectus impletur. Vt enim vtero matris inclusus, gaudio suo matrem & Spiritu sancto impleuit; ita cùm in lucem fuit editus, patrem eodem Spiritu repleuit. Quo Spiritu actus, pulcherrimum illud carmen edidit, quo humanæ redemptionis beneficium celebrauit. Sic enim ait, *Benedictus Dominus Deus Israel: quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ.* Qua in re non parua admiratione dignum est, quòd cùm sanctus hic sacerdos tam nouis atque miris à Deo beneficijs, tali præstito filio, fuerit ornatus, sic tamen summi huius beneficij magnitudine stupefactus est, vt eorum omnium quodammodo oblitus, hoc solum prædicet, hoc decantet, hoc miris in cęlum laudibus efferat,

& pro

& pro hoc vno deuotissimas Dño gratias agat. Et quidem amissam loquendi facultatem recepit; Spiritu sancto & Prophetico lumine repletus fuit; Euangelij arcanum, & incarnationis Dominicæ sacramentum, Spiritu docente, cognouit ac cecinit; filium desideratissimum, tot titulis insignem, recepit; nec filium modò, sed Prophetam, & plus quàm Prophetam, sterilitatis macula è domo sua, cunctis admirantibus & gaudentibus, deleta; & tamen tot beneficiorum, quæ illius animum mirè exhilarare atque afficere poterant, velut oblitus, pro hoc ineffabili communis salutis beneficio gratias agit, dicens:

Benedictus Dominus Deus Israel: quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ. Visitauit enim nos apparens in carne Dñs, & longiùs à se recedentes ineffabili benignitate quæsiuit. Visitauit quasi medicus ægrotos, qui, vt inueteratum superbiæ nostræ morbum sanaret, nouum nobis stupendæ humilitatis suæ exemplum, velut antidotum salutare, adhibuit. Fecit verò redemptionẽ plebis suæ, qui venundatos homines sub peccato, & antiqui hostis seruituti addictos, oblato sanguinis sui pretio redemit. Vnde opportunè nos hortatur Apostolus, dicens: Empti estis pretio magno; glorificate & portate Deũ in corpore vestro. Plebem autem suam appellat, non vtiq. quam veniens plebem suam reperit, sed quam visitando & redimẽdo suam fecit. Vultis enim audire qualem eam inuenerit, qualemque reddiderit? Hoc nos idem Zacharias in huius Cantici fine docet, *Visitauit* inquiens, *nos Dominus, oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedẽt, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Inuenit ergo nos sedẽtes in tenebris, & in vmbra mortis, hoc est, longa peccatorum & ignorantiæ nocte depressos, atque hostis antiqui fraude circumuentos, & infinitis propè errorum tenebris & obscura caligine circumfusos. At verò splendidissimus ille iustitiæ Sol, discussis errorum tenebris, veritatis cognitione animos nostros imbuit, & doctrinæ suæ luce certum nobis iter in beatas illas æternitatis oras aperuit. *Erexit* præterea *cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui*: quia humanæ salutis auctorem atque propugnatorem ex Dauidis familia suscitauit; quia oracula omnia Prophetarum impleuit; quia iuramentum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, feliciter & clementer præstitit, in cuius semine vniuersas cognationes terræ seruandas promisit. Quam eius promissionem, velut in luce iam Euangelij positus, apertissimè declarauit, cùm dixit: *Vt sine timore, de manu inimicorũ nostrorum liberati, seruiamus illi, in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris.* Quod perinde est ac si diceret: Iam non est cur diaboli, mundi, aut carnis, potentissimorũ hostium nostrorũ metu à Dei seruitute abducamur, cùm

1.Cor.6.

ea gratiæ plenitudo per Christum omnibus proposita sit, vt per eam tota inimicorum nostrorum vis & potentia comprimatur. Iam verò quod in fine cantici, nati pueri mentionem facit, non sibi hoc nomine gratulatur, quòd noua prole fuerit auctus, sed quòd is videlicet huius tanti mysterij nuncius & præco futurus esset. Vsque adeò enim huius tanti beneficij fulgor mentis eius oculos perstrinxerat, vt omnia alia, quamlibet maxima, beneficia, obscura ei & exigua viderentur. Et quidem nisi incredulitatem eius sanctus Euangelista amissę vocis causam fuisse docuisset, meritò existimare possemus, stuporem tanti mysterij mutum eum & elinguem reddidisse.

Ex hac gratiarum actione colligitur, quid in oratione sua vir sanctus à Domino postulauerit, cùm illi Angelus dixit: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est oratio tua. Pro eo igitur nunc gratias agit, quòd eius oratio esset exaudita. Cùm ergo non pro nato filio, sed pro mundo redempto gratias agat; consequens est, illum antea non pro filij natiuitate, sed pro mundi redemptione preces ad Dn̄m fudisse. Hoc autem apertè docet Petrus Chrysol. his verbis: Putásne sacerdos tantus sic est populi, sic vniuersitatis oblitus, vt de conceptu veteranæ coniugis, de partu desperatę sterilis rogaret, vt sibi soli legatus omnium tunc adesset, vt aduocatus omnium pro se singulariter oraret, vt tantum pontificatus officium intra domesticas aptaret curas, inter familiares clauderet & occuparet angustias, & incensum totius plebis in solum desiderium proprij pignoris addiceret veteranus antistes, ac tali desiderio grandæuus, & ipsum tempus iam respiciens ad partum succēderetur intempestiuum? Absit, fratres, absit vt hoc de sancto Zacharia fidelis anima suspicetur. Et quidem Angelus in hoc fuisse refert totius supplicationis effectum, dicens: Exaudita est deprecatio tua; & vxor tua Elisabeth pariet tibi filium. Si Angelus ad petita respondit, sacerdos pro solo pignore supplicauit: si pro omnibus egit supplicatio sacerdotis, cur Angelus de solo pignore retulit impetrata? Quid tenemus, quid diu suspendimus animos auditorum? Quàm non sibi soli, sed omnibus affuerit iste venerandus antistes; quàm responderit Angelus vniuersis; apparet ex officio Ioannis, qui in hoc destinatus à Deo est, vt esset vox Christi, ad Christum sua reseruatus ad tempora, esset præco iudicis præsentiam clamaturus, esset pœnitentiæ, populos Christi vocaturus ad veniam; quàm sacerdos ergo iste iam sui nescius, iam sibi mortuus, extraneus coniugi, soboli iam negatus, egerit omnibus, omnibus impetrarit, mox Angelo referente discamus. Et multi, inquit, in natiuitate eius gaudebunt. Non est vnigenitus, qui est cunctorum creatus ad gaudium. Hactenus Rauennas.

Chrysol.

Quid

Quid igitur ex his ſequitur, fratres, niſi vt nos quoque, quorum gratia hæc myſteria celebrantur, tam magnificis diuinæ pietatis beneficijs donati, cum eodem Zacharia immortales tantorum donorum largitori gratias agamus, dicentes: *Benedictus Dominus Deus Iſrael; quia viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ.* Hęc breuiter de Euangelica lectione; nunc ad eximias pręcurſoris laudes & virtutes veniamus.

I.

Cùm inter cætera laudum inſignia, in quibus beatiſſimus præcurſor eluxit, hæc etiam numeretur, quòd Ioannis nomen illi inditum fuerit (quod gratiam ſignificat, & diuinæ gratiæ magnitudinem, quæ in illum conferenda erat, declarat) ab ipſo gratiæ nomine exordiendum nobis eſt, vt, qua ratione hoc illi ſplendidiſſimum nomen conueniat, explicemus. Duplex eſſe genus gratiæ, Theologi definiunt: alteram operantem, alteram cooperantem: hoc eſt, alteram qua Deus nos ob immenſam bonitatem ſuam ante omne meritum gratuitò pręuenit (qualis eſt eorum gratia, qui in vtero ſanctificantur;) alteram qua ab eo excitati & adiuti, nos cum illo, & ille nobiſcum operatur. Cùm autem Ioannes gratiæ nomen obtineat, vtroque gratiæ genere mirum in modum excelluit. Nam & magna atque miranda illi dona ante omne meritum collata ſunt; & magna atque miranda idem, diuina gratia adiutus, operatus eſt. De priori genere gratiæ in præcedenti concione diſſeruimus, cùm magnifica dona, quæ à Deo percepit (quibus Chriſti Domini ſimilitudinem in vita ſua expreſſit) enumerauimus: nunc de ſecundo gratiæ genere nonnulla dicamus; hoc eſt, de virtutibus, in quibus beatiſſimus Ioannes, cooperante Dei gratia, potiſſimùm emicuit.

Inter quas prima ſe nobis eius ſolitudo offert; quę tanto in eo mirabilior extitit, quanto is per ætatem imbecillior ad eremiticæ vitæ labores perferendos erat: ſic enim Lucas de illo refert: Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu, & erat in deſertis vſque in diem oſtenſionis ſuæ in Iſrael. Puer igitur in tenera adhuc ætate conſtitutus, eremiticam vitam agebat. Quæ res quàm ſit admiratione digna, ex illa D. Hieron. ſententia colligi poteſt, qui ad Ruſticum monachũ de hoc vitę genere ſcribens ait: De ludo monaſteriorũ volumus huiuſmodi egredi milites, quos dura eremi rudimenta non frangant, qui ſpecimen conuerſationis multo tempore dederint, qui omnium fuerint minimi. Si igitur hoc vitæ genus non tironibus, ſed veteranis militibus conuenit; qua admiratione dignũ eſt, paruulũ Ioannem hoc vitæ genus elegiſſe, illudque perpetuò retinuiſſe! Miramur Paulum primum eremitã, & Hilarionem; quorum ille ſedecim annos natus, iſte quindecim, eremiticã vitam elegerunt: quanto

verò

verò mirabilius eſt, puerulum adhuc teneris ſub annis hanc viuendi rationem elegiſſe! Adde etiam, quod natura hominem (quem inermem, nudum, & rerum omnium inopem genuit) quo eius inopiæ prouideret, animal politicum & ſociale fecit, vt multorum artibus & officijs, quod inopi naturæ deerat, ſuppleretur. Quidquid enim opificum eſt in magna ciuitate, vni ferè homini neceſſarium eſt. Quo autem vel ſexus, vel ætas eſt infirmior, hoc plurium rerum adminiculis fulcienda atq. ſuſtinenda eſt. Qua ergo ratione ſanctus hic puer in tam infirma teneraq. ætate deſerti ſolitudinem atque inopiam perferre potuit? Sed operæ pretium erit, huius imaginem vobis ob oculos ponere. Si quis in deſerto errans, puerum hunc in vaſta illa eremi ſolitudine inueniſſet, an non mirabundus illum interrogaſſet, Quis te, ſancte puer, huc aduexit? quid hîc agis? quid moliris? Cæteri pueri in ętate iſta aut pręceptoribus operam dant, aut cum contubernalibus in platea ludunt, aut in aliquo officio domi rurive exercentur. Tu ergo, ſancte puer, qui in hoc ſqualenti deſerto, ſine præceptore, ſine litterarum ſtudio, ſine coæuis pueris verſaris, quid hîc negotij geris? quomodo vitam hanc, rerũ omnium indigam, ferre potes? vbi habitas? vbi cubas? vbi ab iniurijs & inclementia cæli defenderis? vnde tibi cibum, vnde veſtem, vnde reliqua ad vſum vitæ neceſſaria paras? Quænam hæc eſt profeſſio & religio quam profiteris? Cur tam rigidum vitæ propoſitum arripuiſti? quod ſcelus tuum? quæ crimina in tam tenera ætate admittere potuiſti, quæ tam aſpera vitæ inſtitutione luenda ſint? Ad hęc quid ille reſpondere potuiſſet, niſi ſe à Spiritu ſancto in illam ſolitudinẽ aduectum, illius ductum ſponte ſecutum fuiſſe? nec mirum eſſe, puerum in deſerto ſolitariam vitam agere, qui in viſceribus matris deliteſcẽs, auctorem ſuum diligere, colere, & venerari iam pridem cœpiſſet?

Inquiſitione autem dignum eſt, cur Spiritus ſanctus, qui huius beati pueri mentem ſibi in domicilium, viuumque templum, antè etiam quàm naſceretur, elegerat, voluerit illum non modò in hac ætate, ſed tota etiam vita in eremo commorari. Multæ ſunt huius diuini conſilij cauſæ, ſed illa non poſtrema eſt, quam huius diei hymnus, laudibus eius dicatus, memorat: quòd videlicet ea ætate mundum fugerit, ne leui ſaltem maculare vitam famine poſſet. Sancti enim viri maxima cura, leuiſſima etiam peccata vitare conantur: partim quòd ex Saluatoris doctrina ſciant, de omni etiam verbo otioſo, reddendam eſſe rationem: partim etiam, quòd delicatiſſima ſit piorum hominum mens, quæ vel minimis etiam delictis perturbatur, atque ita minùs apta atq. idonea diuinis illuminationibus percipiendis efficitur. Eſt enim iuſti viri anima inſtar puriſſimi ſpeculi, quod leuiſſimo

Simile.

letissimo etiam puluere, atque oris etiam anhelitu ita fœdatur & obscuratur, vt nec aspiciẽtis faciem reddat, neč luci obiectum splendorem emittat. Quocirca vir iustus summo studio mentem suam ab omni terrenæ fæcis contagio puram illibatamque seruare contendit, quo ad diuina cõtemplanda aptior puriorq. sit. Constat auten solitudinem ad vitæ puritatem & innocentiam consequendam plurimùm iuuare. Ferè enim peccata omnia aditum sibi in animam nostram per sensuũ fenestras patefaciũt: alia enim per oculos, alia per aures, alia per alios corporis sensus ad nos ingrediuntur: vnde est illa Prophetæ querimonia; Intrauit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras. Per oculorum enim fenestras in Dauidis animam ingressa est mors, dum alienam vxorem vidit & concupiuit. Hoc igitur summum oculorum periculum Ecclesiasticus animaduertens, dicere nõ dubitauit: Nequius oculo quid creatũ est? Hinc in Vitis Sanctorum legimus, pium quẽdam sacerdotem oculis captum ad cuiusdam sancti tumulum multis precibus cõtendisse, vt illi vidẽdi facultatem restitueret. Quod cùm impetrasset, Missamq. de more celebrasset, vbi postea vidẽdi periculum expertus esset, saluti magis animæ quàm corporis, & interno magis lumini quàm externo prospiciens, ab eodem sancto pristinæ cæcitatis remedium petijt & impetrauit. Ab huius igitur sensus periculo, imò & à multis alijs liber est, quisquis in solitudine vitam agit. Nihil enim ibi est quod cum periculo videre, vel audire, vel etiam loqui possit. Quis autem ea, quæ per linguam delinquimus, enumerare valeat, cùm illam Iacobus Apostolus vniuersitatẽ iniquitatis appellet? Ab hac ergo malorũ colluuione tutus est qui in solitudine viuit. Qua ex re liquet, puritatis & innocentiæ altricem atq. custodem esse solitudinem. Ideoque non frustra solitudinem Hieremias Propheta commendabat, cùm diceret: Bonum est viro cùm portauerit iugum ab adolescentia sua: sedebit solitarius, & tacebit. Quod quidem consilium idem sanctus Vates se secutum fuisse testatur, cùm ad Dominum ait: Sedebam solus; quia comminatione replesti me. Quòd si hanc commoditatem ad bene viuendum captabat, qui Spiritu sancto plenus, & cælestibus armis instructus erat; quid de nobis sperandum est, qui, his præsidijs destituti, inter tot laqueos versamur, vt Propheta dicat: Pluet super peccatores laqueos? Quàm multos enim laqueos esse intelligebat, quos pluuiæ guttis comparabat. Quòd si fortè quis dicat, se hos laqueos minimè cernere; hoc plane argumẽto laqueorum istorum vim atque subtilitatem agnoscet, quòd frequẽter illis indutus, neque illos videat, neque se ab illis expedire queat. Non enim illos Vulcanus struxit, qui à Poëtis fingitur subtilissimum rete, quod etiam

Hier. 9.
Eccli. 30.
Iacob. 3.
Thren. 3.
Hier. 15.
Psal. 10.

etiam oculorum aciem fugeret, fabricasse: sed illi tamen artifices exstruxerunt, de quibus scriptum est, Narrauerunt vt absconderent laqueos: dixerunt, Quis videbit eos? Quocirca quisquis ab his laqueis explicari optat, quamuis cum Ioanne solitudinem deserti non adeat; vrbium tamen solitudinem, quantum illi fas sit, amet & quærat. Fugiat sæpe publicum, fugiat celebritatem, fugiatque præcipuè conuentus maledicorum & prauorum hominum (corrumpunt enim bonos mores colloquia praua;) secum habitet, secum viuat, secum & cum Deo loquatur, si à tot laqueis liber esse desiderat. Hæc igitur prima Ioannis virtus & excellentia fuit.

Sequitur alia, nempe admiranda vitæ asperitas, & carnis maceratio. Erat enim (vt ait Euangelista) vestitus pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos eius, & locustas & mel siluestre edebat. Hanc autem victus cultusque rationem Dñs in Euangelio commendauit, cùm ait: Quid existis in desertum videre? hominem mollibus vestitum? Ecce, qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Hoc igitur vitæ cultu sanctus vir ad finem vsque vitæ in deserto perseuerauit. Quòd si quæras, quomodo fragilis natura carnis tam diu potuerit in hoc vitæ genere durare; ad hoc respondemus, continua paracleti Spiritus solatia, mirasque orationis diuinæque contemplationis delicias, seculi hominibus incognitas; hoc facilè præstare potuisse. Hæ namq; tanto sunt maiores, quanto vita ipsa asperior est. Hinc Diuus Hieronymus, posteaquã in Epistola ad Eustochium orandi studium, & certamina sua, acerrimosque cum dæmone conflictus commemorasset, tandem subdit: Sicubi aspera montium, concaua vallium, rupium prærupta cernebam, ibi meæ orationis locus. Et, vt mihi testis est Dñs, post multas lacrymas, post cælo inhærentes oculos, sæpe mihi videbar agminibus interesse Angelorum, & lætus gaudensque cantabam, Post te in odorem vnguentorum tuorum curremus. Quis igitur non libenter eremi solitudinem perferret, si se ita choris Angelorum sociatum frequenter cerneret? Si ergo sancti viri tantis in deserto delicijs fruebantur: quibus Ioannes frueretur, qui tanto maiorẽ à Deo perceperat gratiam? Gratiæ namque mensuram, charitatis magnitudo consequitur. Quo verò charitas maior, eo quoque spirituales deliciæ vberiores sunt, quæ ex dilecti præsentia, & intima vnione amantis cum re amata consequuntur. Quibus ergo delicijs frueretur, qui non solùm Ioannes, id est, gratia, sed amicus etiam sponsi appellatus est, qui gaudio gaudet propter vocem sponsi! Et qui materni vteri angustijs inclusus, gestire præ gaudio cœpit, cùm Seruatorem mundi adesse cognouit; quo gaudio, iam grandior, afficeretur, cùm mirabile Dominicæ incar-

Matth. 3.

Luc. 7.

Hieron.

incarnationis sacramentum (cuius ipse præcursor & nuncius in mundum venerat) cæteraque nouæ legis mysteria contemplabatur? Adde etiam verum esse quod Apostolus ait, nempe, pro mensura laborũ, quos religionis gratia suscipimus, diuinas consolationes pijs hominibus distribui. Quo nomine delicias sponsę Angeli mirantur in Canticis dicentes; Quæ est ista quę ascendit de deserto delicijs affluens? Constat enim, desertum, hoc in loco non secundùm litteram, sed secundùm spiritum accipi debere. Desertum verò spirituale est, cùm anima iusti eò deuenit, vt mundo mortua cum Propheta verè dicere possit: Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meũ, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternũ. Quoties igitur hæc fidelis anima terrenarum rerum desiderijs voluptatibusque renunciat, cùm secum habitans, & secum viuens, non modò solitariam, sed etiam pauperem & inopem vitam, propter rerum cælestium amorem ardenter diligit; tunc ipsa desertũ sibi sponte facit, cùm terrena deserit, & ab omnibus abstinet, quæ sensus oblectare, & à diuinæ contemplationis studio auocare possent. Quo tempore fidelis & pius Dominus tantò maioribus mentem delicijs reficit, quantò illa magis propter ipsum, omnes seculi voluptates à se abdicat. Paracletus enim Spiritus sanctus huc potissimũ diuertit, & has mentes fidei suæ commissas, miris modis consolatur. Quid enim magis immensam illam Dei erga fideles amicos suos fidem & charitatem decebat, quàm propter se mœrẽtes spiritualibus delicijs reficere & consolari? Meritò ergo mirantes Angeli dicunt: Quæ est ista quæ ascendit de deserto delicijs affluens: foris pauper, intus diues; foris mærens, intus gaudens; foris nuda, intus fimbrijs aureis ornata; foris vilis & abiecta, sed intus in oculis Domini pretiosa? Si igitur pro mensura piorum laborum, mentes suorum Dominus recreat & reficit; quibus, quæso, delicijs præcursoris & amici sui mentem oblectabat, qui tanta innocẽtissimum corpus suum asperitate & inedia ob illius amorem macerabat? Quomodo enim tamdiu dura illa eremi rudimenta, spretis omnibus seculi delicijs, ferre potuisset, nisi maiores ibi delicias quàm in sæculo reperisset? Quomodo seculo mortuus esset, nisi totus in Deo felicius viueret?

Cant. 8. *Psal. 72.* *Cant. 8.*

Quæret autem aliquis, cur innocentissimus Ioannes (qui tot diuinæ gratiæ præsidijs aduersus peccatum munitus erat) corpus suum tanta inedia castigaret; qui ob insignẽ illam gratiam qua fuerat donatus, ab omni lethali peccato se immunẽ seruare poterat? Sic enim de illo Euseb. Emiss. ait. Sicut vas plenũ oleo admixtionem liquoris alterius respuit; ita in eum nihil secularis maculæ introire iam poterat, in quo sanctificationis plenitudo

Euseb. Emiss. Simile.

regnabat. Cùm ergo vir sanctus sic aduersus peccatū instructus esset; cur tam asperum vitæ institutum amplecti, & ad finem vsque vitę retinere voluit? Multæ sunt causę; sed illa tamen non postrema est, quā Guerricus Abbas assignat his verbis: Sicut in vitijs, vt vincamus tētationes, corpus est castigandū, ne regnet in eo peccatum: sic etiam victis tentationibus in eodem est persistendum; non solo metu recidendi, sed etiam desiderio proficiendi; vt scilicet de mortificatione carnis spiritus vegetior fiat; & quanto leuius ac subtilius vinculū gestat, tanto ad spiritualia liberior surgat. Ioānes ergo, qui, antequā exiret de ventre, sanctificatus est, cui illud dicere competebat; Ab infantia mea creuit mecum sanctitas, & de ventre matris meæ egressa est mecum: quē nullus tentationis ventus agitare poterat; nec mollibus tamen vestiebatur, nec cibis suauibus vescebatur, sciens vtique, quia sicut peccatoribus vt sancti fiant, sic sanctis vt sanctiores fiant, necessaria est seueriùs viuendi disciplina. Hactenus Guerricus. Hæc autem abstinentiæ virtus adeò Ioannem mirabilem hominibus fecit, vt non Christi præcursorem, sed Christum ipsum, à Prophetis olim promissum, esse putarent. Hac etiam de causa natalis eius dies tanta hodie ab vniuerso mundo lætitia celebratur. Omnes enim incredibilem illam prę-cursoris parsimoniam & abstinentiam miro modo suspiciunt & venerantur. Quod cùm ita sit, meritò à nobis quærere possumus; cur, qui tantopere virtutem hanc in præcursore celebramus atque miramur, in nobis contrà fugimus ac detrectamus? Cur enim in te fugis, quod in illo tantopere laudas? Laudas enim Ioannis inediam, laudas inopiam, laudas cultus & victus asperitatem, & tamen si quis te ad easdem virtutes adhortari velit, non aliter ista, quàm supplicium & mortem horres. Quid igitur hoc esse dicam? Cur ea quæ in genere laudamus, cùm ad singulares actiones ventum est, adeò acriter à nobis reijcimus & repudiamus? Vt enim si aurum probas, & hoc aurum probare debes: ita si abstinentię virtutem laudandam esse statuis, in te quoque illam probare debebis. Euenit ergo nobis hac in re, quod de ea iustitiæ parte quæ sontes punit, dicere homines solent; quam & miris laudibus ornant, & veluti Reipub. animam esse dicunt; quam tamen intra domum suam admittere nemo velit. Ita ergo à nobis ipsis dissidemus, vt quod in alijs probamus, in nobis improbemus: & qui hodie clamoribus & lætitia mundum implemus, Ioannis parsimoniam commendantes, eamdem in moribus nostris repellimus ac detrectamus. Quo quid esse magis præposterum potest? Liquet igitur ex his verum esse quod Sapiens ille dixit: *Probitas laudatur, & alget.* Et illud item: *Video meliora, probeque, Deteriora sequor.*

Guerric.

Iob 31.

Simile.

Si ve-

Si verò minus nos hęc tanta mentis humanę peruersitas mouet, moueat saltem periculi nostri magnitudo. Si enim innocentissimus Ioannes hac ratione immortalitatis gloriā consecutus est: quid nobis sperandū erit, qui tot sceleribus inquinati, tamen in altissimo otio delicijsque vitam agimus. Quòd si spes hæc minimè nos fallat, agamus (vt Guerricus Abbas ait) gratias Deo, qui dedit nobis (si tamen dedit) sine pugna victoriam, sine pœnitentia veniam, sine opere iustitiam, sanctimoniam sine labore, delicijsq. carnalibus simul & spiritualibus affluere. Induimur purpura & bysso, & epulamur quotidie splendidè, & nihilominus distenti & ructantes crapulam, dormiemus cum Lazaro quondam paupere in sinu Abrahæ, vel potius in sinu Christi cum Ioanne. Planè si ita est, melius nobiscum actum est, quàm cum illis qui tantis emunt laboribus quod nos delicati gratuitò possidere volumus. Quod si ita est, ridenda est magis quàm prędicanda vita Ioannis; & omnem nationē filiorum Dei, qui dura & arcta via secuti sunt. Vnicum Patris reprobare magis expedit quàm imitari. At nequaquam ita est, cùm Veritas ipsa dicat: Quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Hac igitur carnis & mundi philosophia repudiata, fratres, per eam viam gradiamur, qua B. Ioannes, qua Sancti omnes, quaque Dux ipse noster Dei Filius ingressus est, vt hoc itinere gradientes, ad eorum tandem consortium peruenire mereamur, quorum vestigijs ingressi sumus.

Guerric.

Act. 14.

IN EADEM NATIVITATE SANCTI IOANNIS BAPTISTÆ, CONCIO TERTIA: in qua insignes eius excellentiæ declarantur.

THEMA. *Erit magnus coram Domino.* Lucæ 1.

VNIVERSA Christiana philosophia in duas præcipuè partes distributa est: quarum altera de fine, altera de ijs rebus quæ ad finem consequendum pertinent, differit. Et finem quidem esse charitatem, paucis Apostolus definit cùm ait: Finis præcepti charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Huc enim quæ in diuinæ legis siue præceptis siue consilijs traduntur, spectant; vt Deum quidem supra omnia, homines verò ad eius imaginem conditos, propter eum diligamus. Est enim (vt Theologi docent) vnicus charitatis habitus, à quo duo isti dilectionis actus quasi duo ab eodem

1. Tim. 3.

truncorami oriuntur. Ad hunc autem finem consequendū cùm multa requirantur, ferè tamen omnia ad vnam cupiditatem, siue immoderatum sui amorem superandum reuocantur. Dico autem, immoderatum; quia cùm is intra diuinæ legis terminos continetur, non est cur à nobis repudiādus sit. Hic enim amor sui ad tutelam atque custodiam vitæ nobis ab auctore naturæ datus est; qui si tamen modum excesserit, innumeros animæ morbos parit. Hic igitur sui amor, amori erga Deum ita aduersatur, vt eo in anima dominante, regnare charitas nullo modo possit. Amor quippe in Deum omnia ad illius gloriam refert. Contrà verò amor sui, & Deum, & cætera omnia ad corporis cōmoditatem & voluptatem reuocat. Hinc D. Augustinus duas illas insignes ciuitates, nempe Babylonem & Hierusalem hoc duplici amore ædificari ait: Babylonem quippe ædificat amor sui, perueniens vsque ad contemptum Dei; Hierusalem verò amor Dei, pertingens vsque ad contemptum sui. Et quidem in amore erga Deum adeò nullus labor est, vt nihil in vita neque dulcius neque iucundius sit. Totus tamen labor in ijs rebus positus est, quæ ad hunc amorem consequendum exiguntur. Sicut enim corporis sanitas hominibus gratissima & iucundissima est, medicamenta tamen quæ ad illam parandam destinantur, acerba frequenter & iniucunda sunt: ita charitas suauissima quidem est, ea verò quæ ad eam comparandam requiruntur, acerba sunt. Oportet enim (vt dixi) immoderatum corporis sui amorem expugnare, cæterosque noxios affectus, qui ab hoc fonte dimanant, rationis vi & imperio coërcere, atque illud implere quod Apostolus ait: Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs: & illud item Domini Saluatoris: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Quid autem difficilius, quàm carnem crucifigere, & seipsum abnegare, hoc est, seipsum non agnoscere, sed alienum & peregrinum, imò & hostem reputare, atque ita hostili odio quæ noxia sunt, quæq. charitati officiunt, abscindere?

August.

Galat. 5.

Mat. 16.

Quæretis igitur, qua ratione ad hæc duo Christianæ philosophiæ capita peruenire poterimus. Multa sunt quæ nos in hoc iuuare poterūt, sed illud in primis, si duos patronos nobis eligamus; quorum altero ad amorem in Deum, altero ad ea quę huic amori deseruiunt, consequenda, nobis meritis & precibus suis manum porrigāt. Ad prius autem illud cōmodissimus nobis erit Euangelista Ioannes, qui inter Apostolos adeò Christum Dñm dilexit, adeoq. ab ipso singulari amoris priuilegio dilectus fuit, vt proprio nomine suppresso, Discipulus quem diligebat Iesus, appelletur. A quo ergo magis amorem in Deum petemus,

quàm

quàm ab eo qui ſic & Deum dilexit,& ab eo dilectus eſt? Cęterùm quæ ad hunc amorem in Deum conſequendum pertinent, hoc eſt, ad amoris proprij expugnationem, ad corporis caſtigatione͂,ad crucis & mortificationis ſtudium,à quo rectiùs quàm à beatiſſimo Ioanne Baptiſta petemus,qui adeò ſeuerus & inexorabilis corporis ſui caſtigator extitit? Eas namq. virtutes à ſanctis poſtulare ſolemus, in quibus ipſi plurimũ excelluerunt. Sic enim à beatiſſima Virgine humilitate͂, virginitate͂, charitatem, cæteraſq. ſimiles virtutes poſcimus. Habemus igitur duos hos inſignes patronos, à quibus omnia quæ ad Chriſtianã philoſophiam ſpectant, petere valeamus. Quæ cùm ita ſint; nõ eſt cur alterum ab altero contentioſis affectibus ſeiungamus, cùm hi duo ſanctiſſimi viri ſic inter ſe cohæreant, vt vtriuſque patrocinium ad plenam ſalutem nobis (vt modò diximus) neceſſarium ſit. Neque enim aut amor Dei ſine amoris proprij abdicatione, neque huius amoris abdicatio ſine Dei amore exiſtere poteſt. Non enim ex odio amor,ſed magis ex amore odiũ oritur. Quia igitur hodie beati Ioannis Baptiſtæ feſtum diem celebramus, Euangeliſta prętermiſſo, de Baptiſta dicturi, cæleſtem opem, ſacratiſſimæ Virginis interuentu,ſuppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Erit magnus coram Domino. Quoniam hic dies beatiſſimi Ioannis laudibus eſt dicatus; hæc breuis ſententia, quæ eius nobis magnitudinem contemplandam proponit, paulo fuſiùs explicanda eſt: non modò vt illum ſanctitatis gloria magnum eſſe cognoſcamus,ſed vt diuinæ gratiæ (quæ talem illum fecit) magnitudinem admiremur,& quatenus infirmitati noſtrę licuerit, eundem imitari ſtudeamus. Quid enim nobis proderit, ſi illum coram Domino magnum eſſe ſciamus, ſi nos coram illo vel parui,vel etiam nulli ſimus?

Prima autem & ſumma eius magnitudo eſt,coram Deo magnum eſſe: in cuius oculis nihil magnũ, nihil (vt Eccleſiaſticus ait) mirabile eſt. Fuerũt apud Ge͂tiles multi, quibus hoc Magni nomen tributũ fuit. Sic enim Alexander Magnus,& Pompeius Magnus, & nonnulli etiã qui ter maximi ſunt appellati (qualis ille Mercurius extitit:) nemo tamen eorũ coram Deo magnus fuit: quod de beatiſſimo Ioanne ,non humano, ſed angelico teſtimonio pronunciatũ eſt. Quale ergo eſt magnũ eſſe apud illũ de quo ſcriptum eſt; Sicut momentũ ſtaterę,ſic eſt ante te orbis terrarũ, & quaſi gutta roris antelucani qui deſcendit in terram. Sed vt clariùs ſanctitatis huius magnitudine͂, & cauſam eius intelligatis,ſcire oportet, hũc eſſe diuinę prouide͂tię atq. ſapientię morem,vt quos homines ad munus aliquod elegerit,eos cunctis virtutibus quę ad illud perfectè exequendũ neceſſariæ ſint, cumulatiſ-

Eccleſ. 15

Sap. 10.

mulatissimè exornet. Sic Moysem, quem populi sui principem fecit; sic Apostolos, quos ad Euangelij prædicationem elegit; sic Prophetas, quos verbi sui ministros, & Euangelicæ gratiæ præcones instituit, omnibus virtutum & gratiarũ opibus plenissimè instruxit. Erit igitur nunc operæ pretium, ad quod officij genus Ioannem Dñs elegerit, diligenter inquirere. Hoc autẽ Euangelista Ioãnes apertè declarat, cùm ait; Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederẽt per illum: hoc est, electus à Deo est, vt testimonium perhiberet de re ad salutem hominum maximè necessaria, eademque ad credendum maximè difficili: nempe vt hominibus nunciaret, Deũ humana carne vestitũ è cælis ad terram descẽdisse; Deum inquam, cęlorum & Angelorum Dñm, qui Solem, Lunam, cæteraq. cæli astra condidit, dirigit & moderatur, inter homines versari, & in terra degentem cælos regere, & in pręsepio vagientem in nubibus tonare, & in cruce patientem supernas mentes immensæ pulchritudinis suæ specie beare, ac postremò hominem, qui pauperis fabri filius putabatur, totius mundi machinam solo nutu condidisse, & conditam sempiterno imperio gubernare. An potuit quidquam difficilius ad credendum humanæ menti proponi? Gentiles hanc stultitiam, Iudæi scandalum esse testabantur; hæretici verò qui postea secuti sunt, hanc fidei veritatem mille machinis labefactare conati sunt. Sed operæpretium erit, vnde hæc incredulitas occasionem arripuerit, indicare. Cùm Deus Opt. Max. res altissima & nobilissima, homo autem vilissima & abiectissima sit, facilè quidem humana mens inducitur, vt altissima de Deo, & abiectissima de homine credat: sed si rem tamen inuertas, vt videlicet de Deo abiectissima, de homine verò altissima illi credenda proponas, vtroque nomine veritati huius fidei acriter repugnabit. Vtrumq. autem in hoc incarnationis Dominicæ sacramento credere necesse est. Deum namque verum hominem, similem nobis, passibilem, eundemq. ab impijs vinctum, consputum, colaphis & alapis cęsum, ac denique in cruce inter latrones appensum, mortuum atque sepultum confitemur. Quid igitur his abiectius, humano sensu, de Deo potuit prædicari? Contrà verò de eodem homine sic in cruce abiecto & mortuo confitendum est, eundem ipsum esse cæli & terræ conditorem, principium & finem rerum, vniuersorum Dominum, atque totius vniuersitatis huius moderatorem & principẽ, ac postremò Deum deorum, Regem regum, & Dominum dominantium. Quis igitur hæc adeò sublimia de homine inter latrones crucifixo, nisi diuino Spiritu actus, credere velit? Huius ergo sacramenti fides vsq. adeò humanis mentibus quæ sola ratione ducuntur, difficilis erat, vt D. Bern. inter

Ioan. 1.

Bernard.

tria mirabilia, quæ natiuitatis Dñicæ tempore contigerunt, numerandā putet. Ea verò sunt, Deus & homo, mater & virgo, fides & cor humanum. Sicut enim ferrum & testa commisceri & conglutinari nequeunt; ita neque ista, nisi Deo auctore, coniungi poterant. Ad hanc igitur adeò arduam sublimemque veritatem hominibus persuadendam Ioannes à Deo missus est.

Simile.

Sed est in hac legatione aliud adhuc mirabilius, nempe qua potissimùm ratione Ioannes huius veritatis fidem facere deberet. Rebus enim quæ natura constant probandis, sola sufficit ratio; ijs verò quæ supra naturam sunt, non ratio, sed miracula fidem faciunt, vt videlicet rebus mirabilibus fidem præbeāt facta mirabilia. At de Ioanne scriptum est, quòd is nullum in vita signum ediderit. Quo ergo argumento statuis, Dñe, vt Ioannes ineffabile hoc & supernaturale arcanum hominibus persuadeat? O mirum diuinæ sapientiæ consilium! Non quidem miraculis; sed virtutibus; non signis, sed mirabili vitæ sanctitate huius tam abstrusę veritatis fides facienda erat. Qua in re Deus ipse hoc modo gloriari posset: Ego nouum quendam hominem ad homines legatum mittam, tanta vitæ sanctimonia, tanta puritate & innocentia pręcellentem, tam eximio virtutis splendore fulgentem, tantaque apud omnes sanctitatis opinione celebrem, vt si is digito hominem aliquem ostendens, dixerit: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: ac proinde hic est verus de Deo Deus, cælorum & siderum conditor: homines illi fidem habeant; sibique persuadeant, difficilius esse Ioannem falli atque mentiri, quàm Deum hominem fieri. Itaque (si dicere fas est) ad eam dignitatis magnitudinem Dominus Ioannem quodammodo euexit, quæ solius Dei est. Ei namq. quatenus sempiterna & constantissima veritas & vita est, debetur, vt soli eius testimonio, in rebus humano sensu incredibilibus, sine miraculorum attestatione credatur: quod Ioanni videmus diuina potestate concessum. Atque vt apertè videatis, non fuisse diuinæ sapientiæ cōsilium irritum, eam sanctitatis opinionem de ipso homines conceperunt, vt non modò Christi testis, sed etiam Christus ipse crederetur. Sic enim apud Euangelistam legimus: Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in corde suo de Ioanne, ne fortè ipse esset Christus, &c. Ab hoc autem errore Ioannes eos reuocauit, cùm dixit: Quem me esse arbitramini, non sum. Et, Venit fortior me pòst me, cuius ego non sum dignus calceamenta portare. Et, Illum oportet crescere; quia cùm homo tantummodo esse credatur, Deus est: me autem minui; quia cùm homo sim, Deus existimor. Vt igitur ad institutum redeamus, si quos Dñs ad insigne aliquod munus eligit, dignissimos eo munere facit, cùm Ioannem ad

Ioan. 10.

Ioan. 1.

Lucæ 3.

Ioan. 5.

altissimum hoc mysterium hominibus persuadendum destinauerit, idque non miraculis & prodigijs, sed insolito quodam & mirabili sanctitatis fulgore: qualem, quæso, sanctitatem illam fuisse credendum est, quæ ad huius arcani fidem faciendam instar clarissimorum miraculorum esset? Verè talem, qualem humana mens cogitatione comprehendere non poterit, ac postremò talem, quæ hoc æternæ veritatis elogio meruerit commendari: Inter natos mulierũ non surrexit maior Ioanne Baptista. Rectè igitur Euseb. Emiss. Quem, inquit, dignè extollere non possumus humanæ vocis officio, prædicemus eum Dominicæ attestationis oraculo. Agnosce ergo magnificentiam laudis ex dignitate laudantis. Dum enim nemo illo esse maior asseritur inter natos mulierum, datur intelligi, quòd Ioannes humanorum fugit mensuram meritorũ. Quæ cùm ita sint; cui nullum Dominus præposuit in præconio, vide si ei vllum prælaturus sit in præmio. Hactenus Emiss. Felix sanè qui talem habuit virtutis suæ præconem, taleque ab ipsius ore Veritatis percipere meruit testimonium. Cùm Alexander ad Achillis tumulum peruenisset (vt D. Hieron. in vita Hilarionis memorat) felicem appellauit Achillem qui tali frueretur pręcone meritorum; Homerum videlicet intelligens, qui Achillis res gestas immortali carmine celebrauit. Quanto ergo felicior, qui ipsum Dei Filium habere meruit laudatorem? Obiterque animaduertite, quàm ampla mensura Dominus rectè factis præmium reddat. Quia enim Ioannes fidelis Christi præco extitit, idem ipse Christus eius præco fieri dignatus est.

Mat 11. Euseb. Hieron.

I.

Sed quoniam hæc in communi de insigni Ioannis sanctitate dicta sunt; ratio postulat, vt ad singulares eius laudes prædicandas descendamus. Inter quas illa mihi summa esse videtur, quòd cùm Christus Dñs in absolutissimum dignitatis & sanctitatis exemplar nobis propositus sit, præcursorem suum pluribus in rebus sibi simillimum fecit.

Primùm enim singularis Christi Domini gloria fuit, quòd à Prophetis multo antè fuerit pręnunciatus: quam ipse gloriam præcursori suo non inuidit, quem eisdem testibus voluit mundo nunciari. Hunc enim per Malachiam promittit, cùm ait: Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam: idemque cap. 4. Ecce, ait Dominus, ego mittam vobis Eliam Prophetam. Appellat autem eum hoc nomine, quòd in spiritu & virtute Eliæ esset venturus: magis enim Dñs vnitatem spiritus, quàm corporis substantiam, & cognationem attendit. Hunc etiam Isaias in spiritu vidit, cùm de ipso dixit, Vox clamantis in deserto: Paratę viam Domini. Deinde etiam

Malac. 4. Idem.

sicut

sicut Gabriel Angelus beatissimæ Virgini Christi Domini conceptum, excellentiam, dignitatem, sanctitatem, & nomen quo erat appellandus, annunciauit: ita idem Angelus Zachariç patri Ioannis conceptũ, præcursoris officium, dignitatem, & sanctitatis atque abstinentię gloriam, & nomen quo erat appellãdus, longa oratione prædixit. Præterea sicut supra naturæ vim atq. ordinem Christus Dominus de Virgine conceptus & natus est; ita Ioannes de sterili & annosa matre duplici miraculo conceptus, & in lucem editus est. Vnde Euseb. Emiss. Venit, inquit, Ioannes desperata generatione per sterilem; Christus verò Dominus natura obstupescente per Virginem. Præterea, sicut Christi Dñi natiuitas miraculis illustrata est, cùm in cælis canunt Angeli, & pastores in terra cum Magis adorant: ita in Ioannis natiuitate mater à Spiritu sancto edocta, illi nomen imponit; Zachariæ verò patris lingua soluitur, & pectus Spiritu sancto repletum, redemptionis humanæ mysterium suauissimo hymno decantat. Ad hæc, sicut in natiuitate Domini commune gaudiũ, quod erit omni populo, pastoribus Angelus denunciat: ita Gabriel Angelus futurum huius diei gaudium prænunciauit, cùm ait, *Et in natiuitate eius multi gaudebunt.* Cuius prędictionis veritas totius mundi testimonio comprobatur; quando non modò Christiani, sed etiam Turcæ, & cæteri quoque Mahometanæ perfidiæ sectatores communi alacritate hunc Ioannis natalem diem celebrent.

Lucæ 1.

Ibidem.

Euseb.

Adde his mirabilem illam exultationẽ in vtero matris, in quo reclusus infans, ab originalis peccati labe purgatus, & Spiritu sancto repletus fuit. Quocirca licet nobis cum eodem Eusebio exclamare; Quis est iste, qui cùm nondũ nasceretur, iam in vtero sanctificabatur? Felix qui venturus in huius mundi labores, prius gratiam suscipere, quàm vitam; prius benedictionem meruit habere, quàm lucem! Maximę glorię loco vir nobilis duceret, si Rex peregrè profectus, in patriam rediens, in domum eius honoris gratia primùm diuerteret. Cuius igitur honoris fuit, quod cùm cælorum Rex in has oras mortalitatis nostræ diuertisset, & in sacro intemeratę Virginis pectore velut in aula regia consedisset, Ioannẽ protinus in maternis visceribus delitescentem inuisere, salutare, mũdare, & Spiritu sancto replere, & præsentia sua exhilarare voluerit? Hic, Dñe Iesu, quamuis Ioannis præconia referimus, tuas tamen præcipuè laudes decantamus, immensamq. bonitatem, benignitatem, magnificentiam & gratiã tuam prædicamus. Hæc enim tam præclara dona non ab humanis meritis, sed ab immẽso bonitatis & gratię tuę fonte manarũt, qui sic amas animas, sic de hominibus bene mereris, vt hęc tam magnifica beneficia illis gratuitò largiri dignatus sis.

Euseb.

Simile.

Quo exemplo discimus, quid nos quoque ab immensa eius clementia sperare debeamus.

II.

Hæc omnia laudum præconia, quæ de Ioanne nostro commemorauimus, Gabriel Angelus stupenti & pro rerum magnitudine non credenti Zachariæ pronunciauit. Inter quæ illud etiam adiecit, quòd multos filiorum Israel esset ad Dñm conuersurus: quod quidem opus miro vitæ exemplo, & doctrinæ tonitru perfecit. Ab eremo enim, in qua ad illam vsque ætatem à pueritia hominibus incognitus manserat, imperio Dñi egressus, vsque adeò omnium in se oculos animosque conuertit, vt ad illum omnium ordinum homines certatim confluerent; adeò vt milites etiam, Publicani & Pharisæi (hoc est, profligatissimum genus hominum) ad eum venirent, confitentes peccata sua, & ab eo quęrentes quid sibi facto opus esset vt à ventura ira & inextinguibili igne, quem Ioannes improbis minabatur, seruarentur: quam Dei iram diuinus præco non verbis solùm, sed multo magis ipso corporis cultu, & incredibili vitæ austeritate prædicabat. Hac enim docendi ratione dormientes in peccatis homines excitauit, & ad salutis suę curam agendam exstimulauit. Hoc enim illa Domini verba innuere videntur: A diebus autem Ioannis Baptistæ regnum cælorũ vim patitur. Et, Omnis iñ illud vim facit; quod perinde est ac si diceret: Antequam hic veritatis & iustitiæ doctor in mundum venisset, graui homines somno depressi, nullo adeundi cęlestis regni desiderio tenebantur; at vbi cælestis hæc tuba insonuit, homines futuri iudicij & gehennæ metu perterrefacti, clausos oculos ad manifestissimam veritatis lucem aperientes, omnem animi impetum in salutis suæ studium contulerunt: quod quidem Ioannis discipuli maximè præstiterunt.

Mat. 11. *Lucæ 16.*

His adde aliam quoque insignem veri concionatoris virtutem, quam Michæas Propheta se à Domino percepisse gloriabatur, cùm diceret; Ego autẽ repletus sum fortitudine Spiritus Domini, iudicio & virtute, vt annunciem Iacob scelus suum, & Israel peccatum suum. Hac autem fortitudine sic Ioannes noster erat animatus, vt nõ modò Pharisæos, qui religionis nomine insignes habebantur, genimina viperarum appellarit, sed Herodem quoq. Regẽ, non per parabolas, vt olim Nathan Propheta cum Dauide egit, sed aperta increpatione argueret, dicẽs: Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Non enim ad fulgorem purpuræ obstupescebat, neque sceptrum regiamq. dignitatem verebatur: non personã spectabat, sed culpam, quę illum ex Rege tyrannũ & supplicio dignum fecerat. Ideoq. tanquam mortis reum adeò constanter & liberè arguebat, vt ne periculo

Mich. 3. *Marc. 6.*

quidem

quidem capitis deterreri potuerit, quo minùs adulterij crimen illi acriter exprobraret. Quam eius constantiam Dñs in Euangelio commendauit, cùm ad populum dixit: Quid existis in desertum videre? arundinē vento agitatā? Non est (ait Guerricus Abbas) Ioannes arundo deserti, sed cedrus paradisi, sed columna cæli, gloria generis humani, miraculum mundi, virtute & merito vltra mensuram hominum, conditione citra naturam Angelorum. Non est arundo vento agitata, sed palma fortior omni procella, quam nullus turbo quatiat; aut certè cypressus, in monte Sion in ęternum plantata, altiùs scilicet quàm vt ventorum rabiem timeat. Non est obnoxius tempestatibus huius aëris, qui superior est omnibus cupiditatibus mundi. In cælo radicem fixit, quo nullus spiritus procellarum aspirat, vnde minas & bella ventorum, & cuncta in seculo aduersantia securus irrideat. Irascatur Herodes, insidietur Herodias, de interioribus illorum ebulliat tempestas, & nequam spiritus procellarum, qui in abyssis cordium eorum cubat, omnes vires suas, & argumenta malitiæ commoueat. Nihil illum terrebit, nihil à sententia commouebit, quo minùs nuptias eorum incestas arguat. Quo modo enim flecterent aduersa, quem emollire non potuerunt prospera? Flauerunt siquidem aliquando & molles & blandientes venti, auræ scilicet fauoris popularis, sed nec illis à rectitudine sua potuit inclinari. Hactenus Guerricus.

Mat. 11.

Guerric.

III.

Hæc sunt, fratres, magnifica Ioannis præconia, quæ cælestis nuncius Zachariæ patri ante eius ortum & conceptum retulit: quibus (vt alia prętercam) satis latè immensa Dei nostri bonitas & liberalitas mortalibus cunctis admirādā, laudanda, & amanda proponitur. Quis enim tantam hanc Dei nostri erga genus hominum charitatem non diligat, non miretur & obseruet? Sed quoniam hæc tanta gratia ad Ioannis prçcipuè gloriā pertinet; quas, quæso, is in cælo nunc gratias aget, quo dilectionis ardore tantorum bonorum largitorem prosequetur, à quo sic dilectus, sic ornatus, sic in benedictionibus dulcedinis præuentus fuit? Sed nos etiam, fratres, pro his cęlestibus donis debitores sumus. Cur ita? Quia hæc omnia saluti nostræ seruiebant. Decreuit enim immensa Dei nostri bonitas & sapientia, per incarnationis & passionis Dominicæ mysterium seruare mundum. Ad hoc autem necesse primùm fuit, Spiritu suo Prophetas implere, qui venturum Seruatorem nunciarent; & Præcursorem, qui digito ostenderet; & Apostolos, qui ipsum venisse iam mundo prædicarent. Quin etiam mirabilis fortitudo quæ Martyribus data est, ad nostram quoq. pertinet salutem. Si enim illi à fide defecissent; quomodo ad nos fides sinçera & integra peruenire potuisset?

fuiſſet? Harum igitur gratiarum omnium nos quoque debitores ſumus. Hinc Paulus: Omnia, inquit, veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura; omnia veſtra ſunt, id eſt, ad veſtram ſalutem deſtinata. Ideoque pro his omnibus quibus ſalus noſtra conſtituta eſt, tantorũ bonorum auctori gratias agere debemus. Sic enim filij parentibus acceptum ferunt quicquid beneficiorum in præceptores ſuos à parentibus collatum eſt, quòd hoc in ipſorum gratiam illis tributum fuerit.

1. Cor. 3.

Verùm poſtrema Ioannis gratia conſultò mihi ad huius concionis finẽ reſeruata eſt: ait enim de illo Zachariæ patri Angelus, quòd is ſpiritu Eliæ donatus, incredulos ad prudentiam iuſtorum eſſet traducturus. Cùm ergo cęleſtis interpres nõn prudentiam ſolùm, ſed iuſtorũ prudẽtiam dixerit; tacitè inſinuauit, aliam iuſtorum, aliam iniuſtorum prudentiam eſſe. Et quidem prudentiæ nomen latiùs patet, & multa complectitur; ſed illud in primis, vt verè prudens non pro corruptis hominum moribus atque iudicijs, ſed pro vera rerum conditione & dignitate iudicet. Omnis enim humanæ vitæ perturbatio ex falſa rerum æſtimatione, & iudiciorũ corruptela procedit. Hinc Seneca: In ſuperuacuũ præcepta iactabimus, niſi illud præceſſerit, qualem de quaque re habere debeamus opinionẽ, de paupertate, de diuitijs, de gloria, de ignominia, de patria, de exilio. Aeſtimemus ſingula fama remota, & quæramus quid ſint, non quid vocentur. Hęc ille. Vnde idẽ alibi, Quid, inquit, tam neceſſariũ, quàm pretia rebus imponere? Quę res quàm ſit neceſſaria, nõ obſcurè Dñs per Prophetam ſignificauit, cùm dixit: Si ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum eris. Cùm autem multa vilia, multaque item pretioſa ſint, quid futura vita pretioſius, quæ & beatiſſima & ſempiterna eſt? quid cõtrà hac præſenti vilius, quæ & miſerrima & breuiſſima eſt? Rurſum, quid mente noſtra pretioſius, quæ diuinæ felicitati fruendæ à Deo condita atque deſtinata eſt? Quid contrà corpore noſtro vilius, quod nunc ſaccus ſtercorum, poſtmodũ autem vermium eſca futurũ eſt? Hanc autem adeò diſparem vtriuſque partis noſtræ conditionem etiam ethnici auctores intellexerunt. Hinc Salluſtius alteram noſtri partem cum dijs, alteram cum belluis cõmunem eſſe ait. Non potuit alijs verbis diſparem vtriuſq. portionis noſtrę conditionẽ magis amplificare, quàm cùm alterã Dei, alteram beſtiarũ ſimilem eſſe dixit. Quid enim Deo maius? quid beſtiarũ conditione abiectius & vilius? Quæ cùm ita ſint, iuſtorũ prudentia eſt, hac præſenti vita neglecta, omnes curas & cogitationes ſuas ad futuram vitam promerendã conuertere: cõtrà verò iniuſtorũ prudentia eſt, ſempiterna vita neglecta, omne ſtudiũ

Seneca.

Idem.

Ierem. 15

Salluſtius

ſuum

suum ad caduca & interitura huius vitæ bona parãda & cumulãda traducere, similiq. ratione, animæ suæ, hoc est, diuinæ portionis cura in postremis habita, se totos ad corporis cultũ & obsequium transferre, illud fouere, illi indulgere, ad illius obsequium opes vndecunq. congerere, illius voluptates atq. delicias summo studio conquirere, proq. illis tuendis atq. parandis mari terraq. depugnare; quodque insanissimum est, pro corporis vita infinitis vitam periculis & morti offerre. Contrà verò iustorum prudentia est, immodica corporis sui cura abiecta, dies noctesq; in excolenda cũctis virtutum opibus anima insudare, eandemque cælestibus donis exornare. Hæc igitur iustorum prudentia, illa iniustorum ac ferè totius mundi est. Si enim oculos per cunctas terrarum oras circumduxeris, quàm paucos deprehendes qui animę suę curam pro dignitate agãt: quàm multos verò qui ventrem suum deum statuãt, quiq. omnia ad corporis cultum & indulgentiam referenda putent! Horum autem improbitatem non video quo exemplo acriùs accusare possim, quàm ethnici hominis, hoc est, Senecæ, cuius hæc sunt verba: Fateor insitam esse nobis corporis nostri charitatem. Fateor nos huius gerere tutelam: non nego indulgendum illi, seruiendum nego. Multis enim seruiet qui corpori seruit, qui pro illo nimiùm timet, qui ad illud omnia refert. Sic gerere nos debemus, nõ tanquam propter corpus viuere debeamus, sed tanquã non possimus sine corpore. Huius nos nimius amor timoribus inquietat, solicitudinibus onerat, contumelijs abijcit. Honestũ ei vile est, cui corpus nimis charum est. Agatur eius diligentissima cura: ita tamen, vt cùm exiget ratio, cùm dignitas, cùm fides, mittendũ in ignem sit. Maior sum, & ad maiora genitus, quàm vt mancipium sim mei corporis: quod equidem non aliter aspicio, quàm vinculum libertati meę circumdatũ. Hoc ita oppono fortunę, in quo resistat, nec per illud ad me vllum trãsire vulnus sino. Nunquã me caro ista cõpellet ad metum, nunquam ad indignam bono viro simulationem, nunquam in honorem huius corpusculi mẽtiar. Cùm visum fuerit, distraham cum illo societatẽ, & nunc tamen dum hæremus, non erimus æquis partibus socij: animus ad se omne ius ducet. Contemptus corporis sui certa libertas est. Hactenus Seneca. Cuius oratio magnũ nobis pudorem inijcere debet, qui fidei lumine illustrati non pręstamus quod ethnicus homo, fidei luce destitutus, adeò cumulatè se præstitisse confitetur.

Seneca.

Verùm hæc eadem philosophia vix vllo exemplo apertiùs, quàm beatissimi Præcursoris poterit demonstrari. Quæ enim oratio explicare poterit, quibus virtutũ ornamentis, quibus cælestium donorum opibus animam eius ab ipsis materni vteri præcordijs ad extremum vsque vitæ diem Spiritus sanctus excolendam

colendam atq. illustrandam curauerit? At corporis vitam quàm vili pretio tradi passus est! Inter extrema diuini furoris supplicia hoc vel maximè numeratur, quòd vendiderit populũ suum sine pretio. Quale ergo est, Ioãnis Baptistæ caput distrahi sine pretio? Saltauit enim puella, cuius saltationi leui aliquo obsonio satis fieri poterat; attamen huius obsonij loco sanctissimi viri caput abscissum, ipsiq. donatum fuit. Miratur vehementer, & iure miratur D. Chrysologus hanc tantam rei indignitatem. Hodie, inquit, cùm nobis Ioãnis virtus, & Herodis feritas refertur, confusa sunt viscera, corda tremuerunt, caligauit visus, hebuit intellectus, aufugit auditus. Quid enim cõstat in sensibus humanis, quando virtutum magnitudinem perdidit criminum magnitudo? Ioannes, schola virtutum, magisteriũ vitæ, sanctitatis forma, iustitiæ norma, virginitatis speculum, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, fidei disciplina: Ioannes maior homine, par Angelis; traditur incestui, datur adulteræ, addicitur saltatrici. Qui vincula soluerat peccatorum, peccatorum vinculis alligatur, vt vincta venia, locum veniæ non relinquat. Alligauit eum, & posuit in carcerem. Herodes, tu adulteriũ facis, & in carcerem vadit Ioannes? Rogo vbi rerum facies? vbi forma? vbi pudor? vbi existimatio publicæ cognitionis? vbi Deus? vbi homo? vbi fas? vbi lex? vbi ipsius iura naturæ? Simul omnia sunt, Herodes, te agente, te iubente, te iudicante confusa. Hactenus Rauennas. Ex cuius verbis intelligere licet, quàm dissimilem Dñs animæ Ioannis, & corporis eius curam gesserit. Eius quippe animam ab ipso matris vtero ad finem vsque vitę virtutum omniũ splendoribus mirificè exornauit. Eius autem corpus & vitam, post incredibilem carnis macerationem, saltatrici & adulteræ filiæ libidini permisit. Quid igitur hac duplici sorte dissimilius? Hæc est igitur vera prudentia, quam nos Ioannes non modò verbis, sed multò magis exemplo suo docet; vt videlicet quid animę nostrę dignitati, quid corporis vilitati debeamus, agnoscentes, vtriusq. curam pro dignitate geramus. Quisquis igitur ad felicitatem & gloriam Ioannis aspirat, Ioannis quoque mores & exempla sequatur. Hoc autem pręstabit, quisquis hoc mortalitatis corpore neglecto, & in seruitutem spiritus redacto, totum studium suum in omnia sua cunctis virtutum & gratiarum opibus excolenda posuerit. Quisquis autem hoc prudenter strenueq. pręstiterit, is vtique iustorum prudentiã, quæ Ioannis ministerio in mundum allata est, nactus erit. Qua duce & imperatrice, rectà per salutis iter gradiens, ad optatam iustorum hæreditatem (quam Christus Dominus sanguinis sui pretio nobis comparauit) felici cursu perueniet.

Psal. 43.

Petrus Rauen.

IN FESTO APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI, CONCIO PRIMA: in qua lectio Euangelica explanatur, atque in fine de Petri fide, & Pauli charitate disseritur.

THEMA. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Matth. 16.

HODIE, dilectissimi, beatorum Apostolorum Petri & Pauli natalitia celebramus: quorum alter singulari Dei beneficio ex piscatore doctor; alter ex persecutore fidei factus est propugnator eius atque defensor. His autem duobus ministris potissimum Dñs ad Ecclesiam suam erigendam & stabiliendam vti voluit; vt quo huius tanti operis ministri inferiores erant, eo eius gloria esset illustrior. Sicut enim Dauidis victoriam aduersus Philisthæum celebramus, quòd inermis puer armatum Gigantem solo fundæ ministerio prostrauerit; & Samsonis fortitudinem commendamus, quòd mandibula asini mille viros occiderit, & castra fuderit Philisthinorum: ita Dei nostri omnipotentiam prædicamus, quòd duodecim piscatorũ ministerio totam mundi potentiã fregerit, aras idolorũ euerterit, & Ecclesiam suam pro illis stabilierit. In quo quidẽ opere duo isti Apostolorum Principes supra cæteros desudarunt. Hi namque sunt duo luminaria magna, quę Dñs in Ecclesię suę firmamento posuit, vt eam tum doctrinę splendore, tum vitæ sanctitate illuminarent. Sunt item duæ cælestes tubæ, quibus Euangelij vox per vniuersum mundum insonuit; quod breuissimo temporis spatio (vt Apostolus ait) prædicatum est in omni creatura quæ sub cælo est. Sunt etiã duo magna flumina in medio paradisi manantia, quæ totam terræ superficiem salutaribus vndis irrigantes, pietatis & iustitiæ fructu compleuerunt. Deniq. sunt fortissimi Christi duces, quibus ipse mundũ sub imperium atque ditionem suam subiunxit. Cùm autem mundus in duos esset populos distinctus, alterum Iudæorum, alterum Gentium; ad hunc expugnandũ elegit Paulũ, qui hac de causa Doctor Gentiũ appellatur; ad illum autem destinauit Petrum, qui in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithynia, Christi Euangelium Iudæis, qui in his regionibus dispersi erant, prædicauit, eósque ad Christianæ fi-

Iudic. 15.

næ fidei confeſſione adduxit. Cùm ergo duo iſti fortiſſimi duces, ſubacto iam & deuicto mundo, cæleſtem Hieroſolymam ſanguine laureati ingreſſi eſſent, alter crucis, alter enſis inſignia in triumpho ſecum ferentes; qua, quæſo, cæleſtis curiæ alacritate hodierna die eos exceptos fuiſſe arbitrabimur? Quòd ſi Roma olim tanta hominum frequentia & communi lætitia Imperatorem aliquem è bello redeuntem excipiebat, qui prouinciam aliquam, aut amplum regnum populi Romani imperio adiunxiſſet: qua alacritate in cæleſti hodie regno recepti ſunt, qui tot prouincias, tot regna, à tyrannico principis huius mundi dominatu exempta, ad lucem veritatis attulerunt, & legitimo Chriſti Domini imperio ſubdiderunt? Si autem cęlum hodie ita gaudet, quid terram noſtram facere par eſt, quę ad hunc vſque diem eorum ſpirituali ſemine fecundata, fructus profert æternæ vitę? Qui enim modò Chriſtiani ſumus, & Chriſti fidem profitemur; illorum vtique beneficio profitemur: quandoquidem ipſi ante omnes alios primæ fidei noſtræ fundamenta iecerunt, & ab illis ad nos vſque per ipſorum ſucceſſores deriuata eſt. Quo fit, vt quemadmodum Hæreſiarchæ ſingulari quodam ſupplicio apud inferos torquentur, cùm eò deueniunt, qui impietatis eorum ſectatores extiterunt: ita glorioſi iſti principes ſingulari quodam gaudio in cælis afficiantur, quoties aliquos ex nobis eò peruenire cernunt: ita fit, vt eoſdem paterno affectu, tanquam amantiſſimos in Spiritu filios, amplectantur. Quocirca decet, nos, qui eorum filij ſumus, ſumma religione ac pietate eorum hodie gloriam celebrare. Quod vt dignè præſtare poſſimus, cæleſtem opem, ſacratiſſimæ Virginis interuentu, ſuppliciter imploremus.

Simile.

AVE MARIA.

Cùm Mediatoris & Seruatoris noſtri fides totius Chriſtianæ religionis & ſalutis noſtræ fundamentum ſit, hanc pręcipuè cæleſtis magiſter in diſcipulorum mentibus plantare & ſtabilire curauit. Ad hoc autem commodiſſima ratione vſus eſt. Vocatis enim ad ſe ait: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Hac interrogatione Dn̄s exemplo ſuò non ſolùm Eccleſiæ præfectos, ſed vnumquemque etiam noſtrûm admonet, vt fideles amicos, quid de nobis ſentiant, interrogemus, & ipſi etiam nos ipſos, ſepoſito noſtri amore, non ſemel aut iterum, ſed quotidie perſcrutemur, & apud nos ipſos cauſam dicamus, & à nobis ipſis, cùm opus ita fuerit, vapulemus, ſi quid præter decorum, aut modum deliquimus. Quiſquis enim hac ratione vitam ſuam expenderit, breui à vernaculis & conſuetis vitijs liber & immunis erit. Ad hoc autem ſtudium cùm multi ex ſanctis Patribus, tum præcipuè Euſebius Emiſſenus nos

Euſeb. Emiſſ.

nos adhortatur his verbis: Ipsi nosmetipsos quotidie castigemus, ipsi nobiscum rationem de quotidiana conuersatione faciamus: alloquatur se in secretis cordis vnaquæq. anima,& dicat: Videamus si hanc diem sine peccato, sine inuidia, sine obtrectatione, sine murmuratione transegi; videamus si hodie aliquid ad profectum meum, quod ad ædificationem aliorum pertineat, operatus sum: puto quòd hodie mentitus sum, peieraui, ira vel concupiscentia victus sum, nec alicui benę feci, nec prę timore ęternę mortis ingemui. Quis mihi reddet hanc diem, quam in vanis rebus perdidi, quam in cogitationibus noxijs pessimisque consumpsi? Hactenus ille. Quòd quidem viri sancti consilium adeò salutare est, vt cùm nihil in vita magis homini quàm diuinum iudicium formidandum sit, in quo de tota æternitate sententia ferenda est, huius tamen iudicij periculum euadat, quisquis hoc modo seipsum quotidie iudicat, Apostolo testante, qui ait: Si nosmetipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur. Quisquis enim hoc facit, ante iudicium parat iustitiam: atque ita dicere ad iudicem poterit; Non intres in iudicium cum seruo tuo, Domine, quia egò iam Apostoli tui voce monitus, iudicaui me. Quis autem ex nobis huius tanti periculi metu seipsum introspicit, vt sic tandem ante formidabile illud tribunal iudicatus appareat, non iudicandus?

1. Cor. 11

Cùm ergo Dñs ac Saluator noster hoc à discipulis quęsisset, illi varias vulgi hac de re sententias protulerunt: *Alij*, inquiūt, *Ioannem Baptistam, alij verò Eliam, alij Hieremiam, aut vnum ex Prophetis.* Credebant hi forsitan (vt Pythagorici Philosophi tradunt) animas in corpora demigrare. *Vos autem*, inquit, *quem me esse dicitis?* Magnam hæc prima vox emphasim habet. Perinde enim est ac si diceret: Populus, qui operum meorum virtutem non agnoscit, ista fabulatur; vos ergo, qui mihi perpetuò assistis, qui doctrinam meam quotidie auditis, miracula videtis, &, quod superat omnia miracula, meam vitam quotidie contemplamini, quem me esse dicitis? Videtis quomodo maiorē diuinitatis cognitionē exigebat ab ijs qui in sublimiori vitæ gradu positi erāt? Quia cui plus tribuitur, plus ab eo requiretur. Sic Dñs à discipulis plus exigebat, quàm à populo: sic etiam plus aliquid in extremo iudicio requiretur à sacerdotibus, quā ab alijs. Vos sacerdotes, qui de B. Petro ordinis vestri auctore atq. parente gloriamini; vos qui quotidie manibus Dei Filiū tractatis, vos qui ad mensam Dñi quotidie assidentes, vitulum saginatum editis; vos qui dispensatores estis gratię & sanguinis Christi; vos qui claues habetis regni cælestis; vos qui statis in domo Dñi, in atrijs domus Dei nostri; vos qui diuina eloquia diu noctuque in ore habetis, quique Angelorum officium in terra geritis; vos

Lucæ 12.

Hieron. qui clerici appellamini, id eſt, ſors Dñi, quia (vt D. Hieron. ait) vel Dominus ſors debet eſſe veſtra, vel vos Domini ſolius; vos qui velut Nazaræi noui Teſtamenti conſecraſtis vos Dño, & ei exhibuiſtis corpora veſtra voto caſtitatis, res veſtras voto paupertatis, voluntatem veſtram voto obedientiæ; vos qui eſtis lux mundi, ſal terræ, & duces populi Chriſtiani; denique vos qui publico ſtipendio conducti eſtis, vt virtutem & pietatem colatis; vos ergo tales dicite mihi, quantum iniuſtitiæ atque honeſtatis ſtudio populo ſuperiores eſtis, qui ab hac veſtra dignitate longiſſimè abeſt? Quid ſi in vos cadere Propheticum illud poſſit; Sicut populus, ſic ſacerdos? Quid ſi illud D. Bernardi, Vtinam vt populus, ſic & ſacerdos? Quid ſi extremo illo examine anus in medium prodeat, diligentior in bene operando, promptior in largiendo, fortior contra dæmones dimicando, ac poſtremò deuotior in orando Deum, quàm ſacerdos manibus quotidie Dñm tractans? Hæc ergo femina, multique ſeculi homines ſurgent in iudicio contra multos tum ſacerdotum, tum monachorum, qui deuotionis & virtutis ſuæ exemplo eos condemnent, qui tot nominibus ad pietatem & religionem adſtricti, negligenter ſe in vita geſſerunt. Sed ad Euangelicam lectionem redeamus.

Cùm ergo Dñs, quam de ſe opinionem diſcipuli haberent, interrogaſſet; Petrus corporea tranſcendens, & ſupra humanæ naturæ conditionē elatus, confitetur in Chriſto gloriā diuinitatis: quia non ad ſolā reſpexit ſubſtantiā carnis & ſanguinis. Cui Dñs, *Beatus es*, inquit, *Simon Bar-Iona: quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cælis. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* D. Chryſoſt. in his verbis ingens miraculum eſſe docet, quo fides Catholica mirificè confirmatur. Prędicere namq. futuram Eccleſiæ impugnationem, atque inſuperabilem eiuſdem Eccleſiæ virtutem & firmitatem, num facultatis humanæ eſſe videtur? Quis ſanę mentis hoc dicat? Nam prædicere Dñm quæ eſſet facturus, priuſquam ab ipſo fierent, mirum quidem ac prodigioſum: verùm prædicere quæ fiunt ab alijs, efficereque vt fides illis habeatur, ſintque cunctis perſpicua, multo maius eſt & mirabilius. Proinde quid hìc habet infidelis quod reprehendat atque redarguat? quid habet quo doceat hanc prędictionē eſſe mendacem? An non teſtimonium cum rebus conſentit, etiam ſi mille modis ipſe contendas in aduerſum? Quot enim bella aduerſus Eccleſiam concitata ſunt? quot exercitus inſtructi? quot arma mota? quod non afflictionum & vindictę genus excogitatū? ſartagines, catapultę, lebetes, fornaces, lacus & præcipitia, beſtiarum dentes, maria & proſcriptiones,

Chryſoſt.

ptiones, aliaq. innumera tormentorum genera, neq. dictis memoranda, neq. factis toleranda. Atq. hęc non tantùm ab extraneis, verùm etiam à nostris domesticis. Nam ciuile quoddam bellum occuparat omnia, vel quouis potiùs ciuili bello perniciosius. Neq. enim ciues modò cum ciuibus, verùm etiam cognati cum cognatis, domestici cum domesticis, amici cũ amicis cõflictabantur: nihil tamen horũ dissoluit Ecclesiã, ac ne inferiorem quidem reddidit. Atque id sanè mirum & incredibile, quòd hæc in ipsis statim primordijs mota sunt. Nam si tunc irruissent hęc acerba, posteaquã iam radices egerat, & per omnes mundi partes plantatũ esset Euangelium; haud perinde fuisset admirandũ non fuisse subuersam Ecclesiam: cęterùm cùm in ipso doctrinæ exordio, nuper iacto fidei semine, teneris etiamnum auditorum mentibus, tot procellæ bellorũ irruperint; res nostras non solùm nulla ex parte fuisse diminutas, verùm etiã multam accessionẽ adiunctã fuisse, hoc nimirum superat omne miraculũ. Ne quis autẽ dicere possit, quòd nunc Ecclesia ob pacem à Regibus prębitam cõstabilita sit; cùm esset minor, cũ videretur imbecillior, tunc illam oppugnari permisit: vti cognoscas, etiam quòd nunc in tuto est, non acceptũ esse ferendũ paci quam pręstant Reges, sed à potentia Dei proficisci. Hactenus D. Chrysost. verba, quibus illam Dñi promissionem explicuit, qua & Ecclesiæ propagationem, & inexpugnabilem fortitudinem, vaticinatus est.

Sed nequaquã tamen magnificentissima illa eiusdẽ promissio silentio prætereunda est, qua Petro regni cælorum claues tradidit. Quæ quidem potestas non solùm ad Petri gloriam, sed ad nostram quoq. salutem tradita est. Non enim soli sibi, sed nobis etiam has claues accepit. Hęc autẽ gratia non ad Legem, sed ad Euangelij dignitatem & gloriam maximè pertinet. Est autem latum inter Legem & Euangelium discrimen. Lex enim petit, Euangelium donat; Lex terret, Euangeliũ consolatur; Lex obedientiam imperat, Euangeliũ gratiam ad obediendum confert; Lex viam in cælum ostendit, Euangeliũ vires ad ingrediendum præbet; Lex litteram occidentem, Euangelium Spiritum continet viuificantem: deniq. Lex ab Apostolo ministerium mortis, Euangelium Spiritus administratio appellatur. Euangeliũ enim felix & faustum nuncium significat, quo Deus nos in gratiã & amicitiam suam per Christum recipit, ac meritorum eius participes efficit, & per illũ nobis Spiritus sancti gratiã, peccatorum veniam, adoptionẽ filiorum Dei, ius hęreditatis ęternę largitur, ac postremò Filij sui Spiritum in præcordia nostra transmittit. Hanc autem Euangelij dignitatem quotidie solenni quadam reuerentia in Ecclesia profitemur. Cùm enim ad Prophetarum & Apostolorum lectiones sedeamus, ad Euangelicam lectionem

2. Cor. 3.

assurgimus,capita nudamus,cereisq. accensis Euangelij lucem, qua è densissimis tenebris mundus emersit, designamus. Hæc igitur Dñi verba, quibus Petro claues cælorum tradidit, non ad legem, sed ad hoc felicissimum Euangelij nuntium spectant. His enim verbis non solùm Petro, sed omnibus etiam qui vices eius in Ecclesia gerunt,admiranda hæc facultas cõcessa est,qua & peccata remittũt, & Spiritus sancti gratiã tribuunt, & homines cum Deo reconciliant, & sordidis peccatorum maculis animas aſtris puriores efficiunt, ac postremò clausas illis cæli fores referant,& cæli ciues,atq. Angelorũ consortes faciunt, dum eas frequentissimè à statu æternæ damnationis in felicissimũ sempiternæ salutis statum transferunt; quando harum clauium virtute ex attritis contritos, hoc est, ex perditis saluos homines faciunt. Quanta igitur illa Dei nostri bonitas & clementia, quæ claues cæli homini in terra degenti tradidit! Quanta illa benignitas,quæ quod proprium diuinitatis erat (nempe delicta condonare) hominis potestati cõcessit! Itaq. si clausum tibi propter scelera tua fuerit cęlum, non necesse est aut maria transfretare, aut ad longinquas mundi oras peregrinari,aut animalium sanguinem (vt olim in lege) immolare; satis enim ad hoc est, si pœnitentia ductus,dolenter crimina tua Ecclesię ministro cõfiteri, eademque in futurum firmiter vitare proponas, vt peccatorum veniam, & gratiam, & amicitiam Dei consequaris. Hoc est igitur propriè Euangelium, hoc faustissimũ & felicissimum nuntium,hęc maxima & summa gratia,quę mundo pretiosi sanguinis Christi merito collata est: qui (vt Ioannes ait) dilexit nos,& lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Veruntamen hoc nuntiũ vt ijs qui hoc cælesti beneficio frequenter vtuntur, quo animas suas sanctificãt,atque ab omnibus peccatorum sordibus expurgant, felicissimum atq. sanctissimum est: ita ijs qui oblata salutis medicamẽta respuunt (dum illis nisi vi coacti vti nolunt) eorum quidem vitio infelicissimum est; quando in extremo illo iudicio (quod cuique in morte imminet) nihil habebunt quo socordiam & improbitatem suam tueantur: quandoquidem quod vnigenitus Dei Filius sanguinis & mortis suæ pretio nõ sibi,sed nobis emit, ipsi nec gratis quidem oblatum accipere voluerunt. Hactenus de Euangelica lectione: nunc ad beatissimorum Apostolorum laudes prædicandas orationem conuertamus.

Apoc. 1.

I.

Hodie namque, fratres, Ecclesia beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli agonem & mortẽ festiuis gaudijs celebrat. Gloriosi enim principes terræ quo modo in vita sua dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati. Morte autẽ, humano iudicio, nihil horribilius. Considerate, quęso, fratres (inquit Bernardus)

Ecclesiæ sanctæ iudicium, secundum fidem, non secundùm faciem iudicantis. Mortem siquidem Apostolorum in eorum recolit solemnitate præcipua. Hodie nimirum Petrus crucifixus est; hodie Paulus decollatus est. Hæc hodiernæ causa festiuitatis, hęc pręsentium materia gaudiorũ. In his igitur festum agens diem & lætum, sine dubio Spiritum Sponsi habet Ecclesia, Spiritum Dñi, in cuius conspectu (sicut habes in Psal.) pretiosa est mors Sanctorum. Visi enim sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. In paucis quidem vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se. Quomodo autem hi duo Ecclesiæ principes fuerint à mundo vexati, & qua animi fortitudine atque constantia eius infestationem pertulerint, breuiter exponere incipiamus.

Psal. 115.

Sapien. 7.

Primùm quidem Petrus ab Herode captus, & in carcerẽ coniectus, ac morti adiudicatus, populoque post Pascha producendus, vt sanguine suo inimicorum sitim atq; rabiem satiaret; tamen inter duos milites accubans, vinctus catenis duabus, placidissimũ somnũ captabat cũ ab Angelo excitatus est. Quis autẽ nostrûm in hoc tanto vitę discrimine constitutus, tot militibus, qui carcerẽ custodiebant, obsessus, somnũ oculis captare potuisset? Sed mitto agonem hunc, à quo per orationes Ecclesię liberatus est. Ad extremũ mortis certamen veniamus, cui se ipse sponte sua, nullo adigente, subiecit. Cùm enim ad importunas fidelium preces Roma egressus esset, vt mortis periculum effugeret, obuiam in itinere dilectissimum magistrum habuit. Rogatus autem ab amantissimo discipulo, quónam iret: Vade, inquit, Romam iterum crucifigi. Noluit enim dulcissimus præceptor charissimum discipulum martyrij gloria fraudare, ne nõ in omnibus, hoc est, in officij dignitate, & in passionis gloria sibi similem redderet. Cùm igitur voluntatis eius esse intellexisset, vt quam fidem viuens docuerat, mortę cõfirmaret, in Vrbem sponte reuersus, ad crucis suppliciũ damnatur, vt, quem in vita prædicauerat, morte quoque imitaretur. Quod ille supplicium adeò sibi gloriosum duxit, vt honoris partem refugiens, non sublimi capite, sed ad terrã depresso stipiti affigi postulauerit, ne parem cum Domino suo gloriam sortiri videretur. Quam eius humilitatem atque constantiam D. Maximus attollit his verbis: Hic est Petrus, qui cùm ad crucem tamquam crucifixi discipulus duceretur, verso se poscens corpore crucifigi, passionem nõ renuit, sed æqualitatem crucis Dominicę declinauit, vt ostenderet vniuersis, admirandę se humilitatis virtutem, nouique mysterij disciplinam & inter tormenta seruasse. Quàm securus, charissimi, perrexit Petrus ad crucem, qui, repulso timore mortis, moriẽdi ordinẽ tam acerba in passione quęsiuit! Hactenus ille. Sic igitur

Act. 12.

Petrus agonem suum felicissimè consummauit, admirabile humilitatis, charitatis, & constantiæ, atque patientiæ exemplum morte sua Ecclesiæ sponsę relinquens: quod vtinam ante oculos semper omnes haberemus.

II.

De eius verò coapostolo Paulo quid dicendum? quibus verbis & laudibus eius virtutes & certamina celebrabimus? Certè non alijs, quàm quibus eum Dominus commendauit. Ananiæ enim dicenti, Domine, audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Hierusalem, &c. Dominus respondit, Vade, quia vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filijs Israel: Ego enim ostendam ei, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Quibus verbis singularem Pauli patientiam, & laborum tolerantiam (prętermissis alijs eius laudibus atque virtutibus) extulit. Non enim dixit; Ego illum in tertium cælum atq. in paradisum rapui, ego illi arcana cælestia, quæ non licet homini loqui, declaraui; ego illum doctorem & magistrum Gentium, & Apostolum creaui: horum omnium nihil sapientissimus ille virtutum atque cælestium donorum æstimator dixit, sed solius tantùm patientiæ meminit: tantum in hac virtute dignitatis, tantum amplitudinis atque splendoris est.

Actor. 9.

Quo in loco non erit alienũ inuestigare, vnde hęc tanta Pauli patientia, & laborum tolerãtia ortum habuerit. Ad hoc igitur respondemus; Dei quidem opera perfecta esse, vtpote qui attingat à fine vsq. ad finẽ fortiter, & disponat omnia suauiter. Suauiter autẽ disponit, quando aptissimas causas rebus, quas efficere cupit, antecedere facit. Ad hunc enim modum cùm parentes voluerit filiorũ suorum curam gerere, educationisq. eorum graues curas & molestias sustinere, flagrantissimum illis pignorum suorũ amorem ingenerauit, vt nihil esset in hac educatione tam asperum, quod non illorũ gratia tolerarent. Sic igitur cùm hunc beatissimum virum Dñs ad Euangelij sui prædicationem, & hominum salutem parandam destinasset, tantam eius menti dilectionis vim erga illos impressit, tantã salutis eorũ sitim & desiderium accendit, vt nulli, quamlibet maximi labores, nulla rerum discrimina, nulli agones atq. certamina illũ deterrere possent, quo minus verè & ex animo diceret: Omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur. De huius autẽ charitatis magnitudine ipse ad Philip. sub iureiurando sic ait: Testis enim mihi est Deus, quomodo vos omnes cupiam in visceribus Iesu Christi: hoc est, in visceribus charitatis, quam mihi Christi gratia, non natura aut sanguinis communio donauit. Idemq. rursus ad Corinth. scribit: Non angustiamini in nobis, angu-

Deut. 32. Sapien. 8 1. Tim. 2. Philip. 1o 2. Cor. 6.

angustiamini autem in visceribus vestris, hoc est, Vnus ego vos omnes amplissimo charitatis sinu complector; cùm tamen vos vni mihi amoris huius vicem rependere nolitis.

Sed gratissimum vobis fore puto, fratres, si huius dilectionis opera & indicia, non alijs quàm ipsius Pauli verbis ostendero. Dilectio autem tum verbis, tum affectibus, tum etiam operibus manifestari solet. Et primùm quidem quod ad verba attinet, solent qui ardenter amant, amoris affectum verbis amantissimis prodere. Ex abundantia enim cordis os loquitur. Quibus autem verbis Paulus hunc hominibus amorem detexerit, in epistola ad Philip. quos paulo antè dixerat se in visceribus Christi diligere, sic ait: Itaque fratres mei charissimi & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea, sic state in Dño, charissimi. Quæ mater, quęso, amantissimũ infantem adeò blandis verbis & nominibus compellaret? Sed longè tamen blandius atq. suauius est quod ad Thessalon. in hæc verba scribit: Neq. enim fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritię, Deus testis est; nec quęrentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab alijs. Cùm possemus vobis oneri esse, vt Christi Apostoli: sed facti sumus paruuli in medio vestrûm, tanquam si nutrix foueat filios suos. Ita desiderantes vos cupidè, volebamus tradere vobis non solùm Euangeliũ Dei, sed etiam animas nostras: quoniam charissimi nobis facti estis. His quidẽ Apostoli verbis non video quid amantius dici potuerit. Sed huius tamen ignis flãmas atq. scintillas exteriùs emicantes videamus. Charitatis esse, gaudere cum gaudẽtibus, & flere cum flentibus, idem Apost. ait; hoc est, aliena commoda & incõmoda propter eandẽ amoris communionem sua reputare, sicq. vt suis, non vt alienis affici: quod ab inuidiæ liuore alienissimũ est. Paulus autẽ sic alienis bonis gaudebat, vt ad Thessalon. dixerit: Itaque nunc viuimus, si vos statis in Dño. Non enim aliam se habere vitam, quàm illorum salutem & firmitatem arbitrabatur. Aliena verò mala quo affectu vir diuinus se lugere testatur! Quis, inquit ad Corinth. infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Idemq. cùm multos ex Corinthijs grauiter deliquisse intellexisset, sic eorũ peccata lugebat, vt in 2. Epistola ad eos scripta hæc verba subijceret: Nam ex multa tribulatione & angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas; non vt contristemini, sed vt sciatis quam charitatem habeą abundantiùs in vobis. Et paulo inferiùs, Timeo, inquit, ne fortè cùm venero, non quales volo, inueniam vos; & ego inueniar à vobis qualem non vultis: ne fortè contentiones, ęmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos: ne iterùm, cùm venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam

Mat. 12.
Philip. 4.
1. Thes. 2.
Rom. 12.
1. Thes. 3.
2. Cor. 11
2. Cor. 2.
2. Cor. 12

multos ex ijs qui antè peccauerũt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia, fornicatione, & impudicitia, quã gesserunt. Quis igitur in his verbis plus quàm maternum Pauli animum non agnoscat, qui aliena peccata lugebat vt sua, & sic se alienis sceleribus vt suis humiliari à Dño prædicabat? Iam verò cùm Galatas à pseudoapostolis in fraudem coniectos esse, & ab Euangelij sinceritate ad Iudæorum dogmata desciuisse intellexisset, quo affectu illorum perfidiam lamentatur! qua verborum acrimonia in illos inuehitur! qua solicitudine atque angore dirumpitur! in quas se verborũ formas & facies vertit, modò illos iudicis more perterrefaciens, modò blanditijs materna charitate alliciens! Alibi enim velut paterna censura sęuiens ait: O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati? Alibi verò materno affectu saucius: Filioli, inquit, mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Vellem esse apud vos modò, & commutare vocem meam, quoniam cõfundor in vobis. Quibus sanè verbis graues animi sui mœrores atque æstus designauit. Qua de causa leue esse putabat illos litteris admonere, & perterrefacere: ideoque cupiebat eos coràm alloqui, & in omnes se dicendi figuras transformare, vt illos tandem hac ratione ad sanitatem perduceret. Nullus enim (vt D. Chrysost. ait) tanto affectu mala propria, quanto ille deflebat aliena.

Galat. 3.
Galat. 4.
Chrysost.

Est & aliud, præter ea quæ diximus, maximũ veræ atque germanę dilectionis argumentũ: nempe ijs, quos amore prosequimur, salutẽ & bona omnia ardentissimè desiderare. Cùm enim amare sit bene velle: quo quisq. ardẽtiùs maiora alicui bona expetit, hoc illum ardentiùs amare conuincitur. Quo autẽ Paulus alienæ salutis desiderio flagrauerit, certè non humano eloquio, sed angelico (si id quidem fieri posset) explicandum erat. Ipsum autem Paulum sub grauissimo iuramento hoc testificantem audiamus: Veritatem dico in Christo Iesu, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto: quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis. Animaduertitis hîc, fratres, quãtopere hic vir diuinus salutem populi Iudæorum sitiebat, qui ipsum quinquies verberauerant, qui catenis onerauerãt, qui vinculis sæpe cõstrinxerant, qui eius auidissimè sitiebant cruorem, qui illum discerpere gestiebant. Quia verò hęc tanta res communem hominum fidem superabat (nempe quòd pro aliorũ salute anathema à Christo, quem summè diligebat, fieri optaret; quibus verbis non quidem à gratia, sed à cęlestis glorię delicijs se excludi velle significauit) grauissimam asseuerationẽ & iusiurandũ interposuit, testemq. Spiritum sanctũ citauit: vt his duobus testimonijs incredibilem

Rom. 9.

animi

animi sui tristitiam, & desideriũ salutis alienę testatissimum faceret, quem cùm maxima illa iactura sua saluum esse cupiebat. Quid igitur hac tanta tristitia, quid hoc tali desiderio, quid hac tanta dilectione mirabilius, erga illos pręsertim, qui tanto ipsum odio prosequebantur? Nemo certè (vt D. Chrysost. ait) ita dilexit inimicos, nemo erga insidiatores suos tam beneficus fuit, nullus pro afflictoribus suis tanta perpessus est. Non enim ille quid patiebatur, sed naturę copulã cogitabat; quantoq. ampliùs efferebantur inimici, tanto eorũ magis miserabatur insaniam. Vt enim aliquis indulgẽtissimus pater afficitur erga filiũ phrenesi laborantem, cuius quanto magis conuicijs ictibusque pulsatur, tanto magis eum miseratur atque deflet: ita Paulus, qui de ipsa magnitudine passionum, eorum à quibus affligebatur, æstimabat furorem, maiora illis adhibebat fomenta pietatis.

Chrysost.

Simile.

Hanc igitur tantam dilectionis vim in mentem Pauli Dñs immisit, vt cælesti virtute roboratus, non famem & sitim, non æstus & frigora, non inopiam & nuditatem, non vlla terræ marísve pericula, & (quæ sunt his grauiora) nullas hominum insidias, nullas persecutiones, non carceres & vincula, non verbera & exilia, non gladios & ignes, non denique vllas vel hominum vel dæmonum infestationes & iniurias propter Euangelij gloriam, & hominum salutem, formidaret. Quæ autem huius officij gratia pertulerit, idem ipse fidissimus laborum suorum testis in priori ad Corinthios Epist. lõga oratione describit: Vsque ad hanc, inquit, horam esurimus, sitimus, & nudi sumus, &c. Sed acerbiora sunt, maximeq. mirabilia quæ posteriori ad eosdem Epistola enumerat. Vt enim Apostolatus sui dignitatẽ aduersus pseudoapostolos, qui ipsum contemnebãt, & ab Apostolico grege secernebant, tueretur, his verbis se illis anteferendum ostendit: Hebræi sunt, & ego: Israelitæ sunt, & ego: Ministri Christi sunt, & ego (vt minùs sapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies, quadragenas, vna minus, accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronũ, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore & ęrumna, in vigilijs multis, in fame & siti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate, præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarũ Dei. Hos igitur agones, hos labores, hæc tanta certamina Paulus salutis humanæ gratia, non solùm patientissimè, sed etiam libentissimè sustinuit, vt Christi oues ex diaboli faucibus extrahere.

1. Cor. 6.

2. Cor. 11

Hac igitur de causa ad iniurias, quas ob prædicandi munus sustinebat, magis quàm ad oblectamenta properabat, mortem potius quàm vitam appetens, paupertatem quàm opulentiam; & multo amplius laborem desiderans, quàm alij requiem post laborem; ac mœrorem magis eligens, quàm alij voluptatem; studiosius pro inimicis orans quàm alij aduersus inimicos. Quis igitur hoc tam inuictum animi robur non miretur, non obstupescat? Cui ergo rei (inquit D. Chrysost.) poterit quisquã Pauli pectus comparare, cui ferro, cui adamanti? Quidnam aliquis illam appellet animam, aureámne magis, an adamantinã? Nam & erat omni adamante fortior, & auro gemmisque pretiosior: & alteram quidem materiam firmitate, alteram pretiositate superabat. Cui ergo rei hæc anima comparabitur? Iis quidem qui sunt omnino nulli. Quòd si vel auro adamantis fortitudo, vel adamanti honor daretur auri, tamen fortè aliquo modo comparatio ea Pauli posset animæ cõuenire. Sed quid ego adamantem vel aurum ad similitudinem adduco Pauli? Mundum si è diuerso appendas omnem, tunc videbis à parte Pauli vergere pondus examinis.

Chrysost.

Quid igitur ex his quæ hactenus dicta sunt, fratres, colligere licebit? Primùm quidem ingentem diuinæ gratiæ vim, quæ homini in hoc mundo, & in hac fragili carnis materia degenti (nec enim Paulus aut alium mundum incoluit, aut in alio corpore militauit) tantum robur contulit: ne quisquam nostrûm aut carnis imbecillitatem, aut mundi prauitatem in socordiæ suæ excusationem prætexere valeat, cùm eadem gratia vnicuique illam studiosè quærenti atque postulanti præstò sit. Deinde hoc eodem argumento, quanta sit nostrarum animarum dignitas, intelligimus: propter quarum salutem tot labores atque certamina diuinus hic vir (qui paratam illis gloriam in paradiso viderat) subire non recusauit. Postremo cùm videamus inter cæteras Pauli virtutes, vnam patientiam, atque laborum tolerantiam à Domino fuisse commendatam; huic vni virtuti potissimùm studeamus, leue esse quidquid citra corporis aut animi laborem fit, existimantes, eaque præcipuè virtutum officia captantes, in quibus aliquid laboris aut acerbitatis insit. Hæc enim sunt gratissima obsequia, hæc gratissima sacrificia, quibus non carnes vitulorum aut hircorum, sed nos ipsos Domino immolamus, sempiternam pro hoc rationali sacrificio hæreditatis æternæ gloriam percepturi.

IN EODEM FESTO APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI, CONCIO SECVNDA: in qua, post breuem Euangelicæ lectionis explanationem, quàm fuerit in his Apostolis diuina gratia mirabilis, exponitur.

THEMA. *Mirabilis Deus in Sanctis suis.* Psal. 67.

VNus hodie dies, fratres chariſſimi, publicatã nobis lætitiam de duorum Apostolorum solennitate Petri atque Pauli exhibet: ideoq́; geminam à nobis deuotionem in ipsorum solennitate deposcit. Vniuersaliter (inquit Leo Papa) in omnium Sanctorum commemoratione lętandum est, sed in horum excellentia Patrum meritò est excellentiùs gloriandũ, quos gratia Dei in tantum apicem inter omnia Ecclesiæ membra prouexit, vt eos in corpore, cui caput est Christus, quasi geminum constitueret lumen oculorum: de quorum meritis atque virtutibus, quæ omnem loquendi superant facultatem, nihil diuersum, nihil debemus sentire discretũ: quia illos & electio pares, & labor similes, & finis fecit aquales. Hactenus Leo Papa. Zacharias verò Propheta in spiritu hanc eandem duorum Apostolorũ gloriam præuidiſſe videtur, quos ille sub alia similitudine duas oliuas esse ait, qui oleum Ecclesię lampadi perpetuò subministrãt, vt lucem præferant his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent. Sic enim ait: Et reuersus est Angelus qui loquebatur in me, & suscitauit me, quasi virum qui suscitatur de somno suo. Et dixit ad me, Quid tu vides? Et dixi, Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud, & duæ oliuæ super illud, vna à dextris lampadis, & vna à sinistris eius. Quid igitur hæc lampas ardens super candelabrum aureum & septem eius lucernę, nisi Ecclesia est, quę diuini Spiritus luce completa, radios suos in vniuersum orbẽ producit? Quid verò aureum candelabrum, quod lampadem sustinet, nisi Christus Dñs est, supra quem Ecclesia fundata est? Fundamentum enim aliud (vt Apostolus ait) nemo potest ponere, pręter id quod positũ est, quod est Christus Iesus. Septem verò lucernæ, quæ candelabro innituntur, septem Sacramenta, & septem Spiritus sancti dona sunt, quibus mentes hominum sanantur & illuminantur. Duæ verò oliuæ à dextris & à sinistris lampadis positæ, quæ illi videlicet oleum subministrant, quid aliud quã duos hos Ecclesię principes designant? quę nõ solum, dum

Leo Papa

Zach. 4.

1 Cor. 3.

dum in viuis agerent, varijs virtutum exemplis atque doctrinis oleum huic lampadi, quo hominibus præluceret, infuderunt, sed modò etiam scriptis suis in terra, & precibus suis in cælo hunc cælestem liquorē præbere non cessant. Iam verò duo illa sponsæ vbera, quæ amantissimus in ea spōsus laudat & miratur, quid aliud quàm ijdem isti principes sunt, qui doctrinæ suæ lacte Ecclesiæ filios, cùm adhuc paruuli essent, nutrierunt? An non igitur hoc officio functus est Paulus, cùm ait: Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Et alibi, Facti, inquit, sumus paruuli in medio vestri tanquam nutrix, quæ foueat filios suos. Hoc autem lacte ita erat plenus Apostolus, vt (quemadmodum Guerricus Abbas ait) vbi capite truncatus est, lac pro sanguine ex eius vulnere manasse memoretur. Apostolus verò Petrus ad hæc ipsa vbera filios suos vocabat, cùm illos moneret, vt quasi modò geniti infantes, rationabile, & sine dolo lac concupiscerent. Hæc igitur duo vbera Ecclesiæ, has lampadis oliuas, hos, inquam, geminos mystici corporis oculos hodie vestris conspectibus præsentamus: in quorum laudibus non tam ipsos quàm Dn̄m laudare, eiusque magnificentissimam gratiam atque omnipotentiam mirari debemus. Hinc beatus Maximus, Gloriosissimos, inquit, Christianæ fidei principes annua sollennitate celebrantes, ipsum Dn̄m, qui huius auctor est fidei, debita religione veneramur. Apostoli namque Latino sermone dicuntur missi. Qui ergo honorant missos, manifestum est eos honorare mittentem: quoniam dignitas quæ defertur ministris, illi sine dubio, cuius ministri sunt, exhibetur. Hos verò (vt idem ait) tanta cælestis electionis dignatio visitauit, vt hic fieret de piscatore doctor, ille de persecutore defensor. Sed in hoc omnipotentis Dei attollenda maiestas est, qui inspiratione mirabili docendi gratiam tribuit imperito, & inimicum fecit, quod oderat, & fidem quam impugnabat, asserere. Hæc ille. Sic igitur de illis hodie dicendum est, vt in illis diuinæ bonitatis & gratiæ virtutem agnoscentes, in illius admirationē simul & amorem rapiamur. Hoc enim verba, quę initiò proposuimus, à nobis exigunt, quæ Dominum non in alijs rebus solùm, sed in Sanctis suis maximè mirabilem esse declarant. Vt hoc autem argumentū piè & religiosè tractare possimus, cęlestem opem, sacratissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

1 Cor. 3.
1. Thes. 2.
Guerric.
1. Petr. 2.
Maximus

AVE MARIA.

Priusquam id, quod proposuimus, aggrediamur, paucis Euangelicæ lectionis historia perstringenda est. Quoniam (vt paulo antè diximus) religionis nostræ fundamentū fides in Christum est, cùm discipulos suos Dominus in hac stabilire atque solidare vellet, singulari ad hoc modestia & prudentia vsus est.

Cùm

Cùm enim ipse (cui omne cor patet) optimè nosset, quid in discipulorum pectoribus esset, voluit vt Petrus verum de eo testimoniũ ferret. Quod cùm ipse probasset, & merita laude, & officij dignitate remunerasset; cæteri deinde ex Petri confessione discerent, quid de ipso credere & sentire deberent. Hoc enim docendi genus longè modestius fuit, quã si ipse dixisset: Ego sum Filius Dei viui. Qua quidẽ modestia post ablutionẽ quoq. pedum Apostolicorũ vsus est, cùm ait, Vos vocatis me magister, & Dñe: hoc enim verecundiùs dicitur, quàm, Ego sum magister, & Dominus. Hoc igitur in loco Dñs discipulos primùm rogat, quid turbæ de ipso sentirent: cumque illi respondissent, alios illum Eliam, alios Hieremiam, alios Ioannem Baptistam, aut vnum aliquẽ ex antiquis Prophetis arbitrari; ab illis qui propiùs ipsius opera contemplabantur, requirit quid ipsi crederent quídve sentirent. Pro quibus omnibus Petrus reuelatione summi Patris edoctus, corporea superans, & humana transcendens, confessus est Filium Dei Patris, quia non ad solam aspexit substantiã carnis & sanguinis, *Tu es*, inquiẽs, *Christus Filius Dei viui.* Petrus itaq. (vt D. Maximus ait) in carne positus, mensurã carnis egressus, Christum Iesum Dei viui Filium verum cõfitetur; & quod omnium adhuc mortalium pectus latebat, prima Petri lingua nouo est sermone confessa. Cui Dñs, *Beatus es*, inquit, *Simon Bar-Iona: quia caro & sanguis*, hoc est, nulla humana sapientia *reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Nouo illum nomine Petrum appellauit; qui antea Simon appellabatur. Vt enim cùm Abraham multarum gentium patrem constituit, nouum illi Abrahæ nomẽ indidit, quod hanc numerosam filiorum propagationem significabat: ita cùm Simonem, solidissimum & sempiternum Ecclesię fundamentum constituere voluit, nouo Petri siue petræ nomine appellauit, vt ipsum etiam nomen officij dignitatem & stabilitatem significaret: quam protinus apertè declarauit, cùm subdit: *Et portæ inferi non præualebũt aduersus eam.* Hinc Leo Papa, *Ego*, inquit, *dico tibi*: hoc est, Sicut Pater meus tibi manifestauit diuinitatem meam, ita ego notam tibi facio excellentiam tuam. *Quia tu es Petrus*, id est, Cùm ego sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum; tamen tu quoq. petra es, quia mea virtute solidaris: vt, quę mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. Post hanc verò pastoralis curę dignitatem illi traditam, quid consequens erat, nisi quod protinus subdit; *Et tibi dabo claues regni cælorum, &c.* Quid, fratres mei, magnificentius Petro (inquit Maximus) qui tantę confessionis meritò cùm corruptibili adhuc esset in corpore, & nec dum ipse ascendisset in cælum, regnum

Ioan. 13.

Mat. 16.

Maximus

Leo.

Maximus

regnum illi cęleste & claudere & aperire concessum est. Hęc autem potestas, quæ singulariter Petro, tamquam Ecclesiæ principi, concessa est, in cæteros deinde eiusdem Ecclesiæ ministros deriuatur, quorum ministerio fidelibus cæli portæ referantur: dum enim à peccatis soluuntur, idonei fiunt qui in cælesti palatio recipiantur; vt hoc argumento intelligatis, quanta sit veræ pœnitentiæ, quanta puræ confessionis sublimitas, quæ frequenter homines è statu damnationis in statum transfert æternæ salutis. Hactenus de Euangelica lectione, nunc ad id, quod initiò proposuimus, veniamus.

TRACTATIO THEMATIS.

I.

Psal. 67. Bonauēt. Mirabilis Deus in Sanctis suis. Inter quatuor contemplationum genera, quę D. Bonauentura enumerat, vnū est, admiratio diuinæ maiestatis; cùm pius homo immensam diuinæ sapientiæ atq. omnipotentię magnitudinem, quę in operibus conditis elucet, cum quadam mentis suspensione atq. exultatione miratur. Quo quidē contemplationis genere Prophetę animus mirabiliter pascebatur, cùm diceret: Quàm magnificata sunt opera tua, Dn̄e! Omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua. Iterūque: Marabilia, inquit, opera tua, & anima mea cognoscet nimis. Admirationi autem coniunctū esse gaudiū, Aristoteles confitetur: quod quidē gaudium futuræ felicitatis prælibatio quędam atque degustatio est. Vtrumq. autem Propheta copulauit, cùm dixit: Delectasti me, Dn̄e, in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Quàm magnificata sunt opera tua, Dn̄e! nimis profundæ factę sunt cogitationes tuę. Vir insipiens nō cognoscet, & stultus nō intelliget hęc. Quibus verbis ostendit, magnificētissima naturę opera, quæ pijs hominibus reuelantur, cæteris incognita prorsus esse. Quid igitur de operibus gratiæ dicendū, quæ tanto sunt præstantiora, quanto ad nobiliorem finem destinata sunt, quæq. pręcipuè diuinę bonitatis & charitatis magnitudinē erga Sanctos suos profitētur? Quam rem in his potissimùm duobus Apostolorū principibus contemplari licet. Quid enim mirabilius quàm quod Lucas de Paulo refert, quòd eius videlicet sudaria & semicinctia omnia morborū genera curarent? hoc est, quòd tanto Dn̄s amore Apostolum suum cōplecteretur, tantoq. illum honore afficeret, vt non ipsum modò, sed sudariola etiam quibus ille narium excremēta purgabat, tanti faceret, tantumq. illis honorē exhiberet, vt ipsa naturæ iura, legesq. à se præfixas, illorū virtuti subijceret. Quo igitur in pretio Apostoli sui corpus & animam habebat, qui vel semicinctia eius hoc honore donabat, quòd eius corpus tetigissent? Sed quamuis hoc mirabile sit, longè tamen mirabilius est

Psal. 103. Psal. 138. Aristot. Psal. 91. Act. 16.

quod

quod de Apoſtolo Petro idem Euangeliſta memorat, quòd non iam ſudaria & ſemicinctia, ſed (quod omnē ſuperat admiratio- nem) corporis eius vmbra omnia morborum genera depelleret. Quis hoc credere potuiſſet, niſi ſanctus Euangeliſta retuliſſet? O quā verè dictū eſt; Nimis honorificati ſunt amici tui, Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. Et illud item; Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet. Certè enim (vt Theodoretus ait) plus eſt quod Petro Dñs contulit, quàm quod ſibi ſumpſit. Is namque aut verbo, aut contactu manus aut veſtis, ægra corpora ſanabat: Petrus autem ſola etiam vmbra; quo virtutis & potentiæ genere non legimus vſum Dominum fuiſſe.

Psal. 38. Ioan. 14. Theod.

Qua quidem in re miram veræ pœnitentiæ virtutē animaduertere licet, quæ verè pœnitentem non modò in priſtinum dignitatis gradum reſtituit, ſed interdū etiam pro pœnitentię magnitudine ad altiorē prouehit. Quid enim mirabilius quā quod Petro collatum eſt, vt ſola corporis vmbra hæc tam admiranda opera patraret? O quantum, beate Apoſtole, amariſſimis illis lachrymis gaudij, quantum dignitatis & gloriæ conſecutus es! Has enim, reſurgens Dñs, priuſquam alijs ſe diſcipulis conſpiciendum præberet, tibi vni apparens, abſtergere & in lætitiam permutare miſericorditer voluit: ſic enim diſcipulos prædicantes audiuimus: Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Tibi etiam hoc tempore Eccleſiæ ſuæ gubernacula, & regni cælorum claues, quas antè fuerat pollicitus, tradidit.

Lucæ 24.

Quid verò illud? quantum hac eadem pœnitentiæ virtute eius fiducia creuit? Qui enim ante lapſum non eſt auſus Dñm de proditionis auctore interrogare, ſed ad hoc Ioannem, vt magis Chriſto familiarem, ſubornauit, modò eam diuinæ familiaritatis gratiam pœnitentiæ lachrymis conſecutus eſt, vt, quid de ipſo Ioanne futurum eſſet, à Domino quæreret. Vbi enim Dominus illi, quo mortis genere Deum eſſet glorificatutus, expoſuiſſet, quo videlicet per crucis ſupplicium vt in paſtoralis officij dignitate, ita & in mortis genere ſe eſſet imitaturus; quærit ipſe de Ioanne, quem non minùs ab eo dilectum ſciebat, Dñe, hic autem quid? hoc eſt, Si ego per paſſionem crucis te imitari, & vitam finire debeo, quid de hoc dilectiſſimo tibi diſcipulo decreuiſti? Quibus verbis cùm alia multa, tum maximè (vt D. Chryſoſt. adnotauit) mira pœnitentię virtus commendatur; quæ non modò in prioris ſtatus dignitatem, ſed frequenter etiam ad maiorem prouehit, magiſque Deo familiarem efficit. Hinc illud Prophetæ, Sicut, inquit, fuit ſenſus veſter vt erraretis à Deo, ſic decies tantum conuertentes requiretis eum. Dolor enim commiſſi ſceleris, & firma ſpes veniæ, amorem erga clemen-

Ioan. vlt. Chryſoſt. Baruch 4.

clementissimum Dñm incendunt, & cautiorem & alacriorem hominē ad cætera pietatis officia reddunt. Cuius rei locupletissimum exemplum hæc Petri interrogatio exhibet. Pręclarè enim D. Greg. Dux, inquit, in prœlio illum militē plus diligit, qui post fugā conuersus, fortiter hostē premit, quā qui nunquā fugit, & nunquam fortiter egit. Quod nō eò dicimus, vt spe venię vos ad peccandum incitemus, sed, quemadmodum D. Chrysostomus ait, vt pœnitentiæ virtutem declaremus, cui nullus animæ morbus immedicabilis est, si verè & ex animo fiat. Eam enim vim Dñs huic medicinæ contulit, vt non modò amissam animæ salutem restituat, vires reficiat, robur resarciat; sed augeat plerumque & amplificet; & multis etiam virtutū atque donorum opibus pœnitentis animam cumulet. Qua quidem in re non modò pœnitentiæ virtus, sed etiam immensa Dei nostri clementia & bonitas mirabiliter elucet; quę, peracta pœnitentia, sic iniuriarū suarum obliuiscitur, quasi nulla in re violatus esset. Eadem erga illum charitas, eadem beneuolētia, eadem quę antea fuerat benignitas, & interdum etiam pro pœnitentię ratione maior. Vnde sanctus ille Rex, Tu, inquit, eripuisti animam meam, vt non periret, proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Qua loquendi figura vir sanctus ineffabilem Dei erga verè pœnitentes clementiam, & omnimodam pręteritarū offensionum obliuionem voluit designare. Et quidem vir, qui adulteram vxorem in gratiam recipit, vix vnquam eundem erga illam animum & amorem retinet, etiam si ea nullam præteritæ leuitatis significationē dederit: at regia illa & magnanima (vt ita dixerim) Dei nostri clementia sic verè pœnitentiū peccata post tergum suum proijcit, vt si perfectè illos pœnituerit, nullā prorsus eorundem memoriam retineat. Quam rem D. Augustinus significare volens, ait: Medicus noster omnipotens est, & sic consueuit plagas nostras curare, vt ne cicatricum quidem vestigium post ipsius medicamina remaneat. His autem verbis D. Augustinus ostendit, quāto aliter cęlestis medicus animę morbis, quàm terrenus medicus corporum vulneribus medeatur. Hic enim, quamuis vulnera sanet, vulnerū tamen cicatrices & signa relinquit: quod à cælesti medico alienū est; qui ita peccatorum vulnera curat, vt nullum in eis pristinæ indignationis vestigiū relinquat. Quam rem apertè erga Dauidem ostēdit, quem grauissimè quidē peccantem, sed amarissimè tamē peccata deflentē, sic in pristinam illam gratiā & amicitiā suam recepit, sic, quę illi de ęterna regni sui successione promiserat, in posteris suis etiam impijs adimpleuit, quasi nulla prorsus in re aduersus ipsum deliquisset. Sic etiam, licet is prioris filij (quē ex adulterio Bersabee susceperat) vitam nullis precibus à Dño impetrare potuisset, post peractam tamen

Gregor. | Chrysost. | Psal. 38. | Dissimil. | August. in Serm. | Dissimil.

tamen pœnitentiam, posteriorem ex eadem Bersabee filium Salomonem adeò gratum habuit, vt per Nathan Prophetam nomen illi dignissimum, nempe, Amabilem Domino, imponi præceperit; eo quòd Dominus diligeret eum. Quanta igitur hæc vera pœnitentiæ laus & commendatio est? Ante pœnitentiam ne vitam quidem Dominus adultero filio donat; post pœnitentiam verò, & vitam, & regnum, & gloriam, & sapientiam, & (quod omnia superat) gratissimum ei, Amabilis Domini, nomen imponit. Quæ quidem res desperatos etiam peccatores, & penè conclamatos ad hanc virtutem amplectendam incitare maximè debet, vt Petri atque Dauidis exemplo ad maiorem gratiam virtutis huius beneficio promoueantur.

2. Reg. 12.

Hæc de mirabili beati Apostoli pœnitẽtia. Nunc multo mirabiliorem eius patientiã & constantiã videamus. Hanc porrò declarat ingens illa tempestatũ & procellarũ vis, qua Apostoli iactati & afflicti sunt: quæ tanta fuit, vt vniuersum orbem in admirationem raperet. Quam rem Apostolus Paulus suo & coapostolorũ suorũ nomine testatur his verbis: Puto enim quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquã morti destinatos: quia spectaculũ facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. Vsq. in hanc horã & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cędimur, & instabiles sumus (vel, vt alij verterũt, incertis vagamur sedibus) & laboramus operantes manibus nostris. Maledicimur, & benedicimus; persecutionem patimur, & sustinemus; blasphemamur, & obsecramus: tanquã purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsq adhuc. Quid in his verbis non mirabile? quid non stupore dignum? hoc enim & ipse Apostolus apertè ostendit, cùm certamina sua non solùm mundo & hominibus, sed Angelis etiam instar admirabilis cuiusdam spectaculi esse dicat. Quod verò in fine purgamenta dixit; alij lustramenta vertunt. Quo verbo significare voluit, persuasum eo tẽpore hominibus fuisse, tãtam ab illorum doctrina pestem atq. perniciem rebus humanis inferri, tantamq. malorum vim à diis iratis propter eorum detestabilem vitã mundo immitti, vt nullo modo hæc tanta mala à mundo depelli, neq. deos suos, nisi illorum internecione & exitio, vllo modo posse placari arbitrarẽtur. Id ipsum etiam Dominus illis ante passionẽ fuerat vaticinatus his verbis: Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum: sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo. Denique eò deuentum est vt bellorum incendia, pestes, fames, variaque morborum & calamitatum genera, quibus eo tempore mundus infestabatur, Christianorum religioni imputarẽt. Quare illos dicebant è mundo prorsus eliminandos, variisque tormentorum

1. Cor. 4.

Mat. 10.

Ioan. 16.

generibus è medio tollendos,eorumq. mactatione irata numina placanda,quo pacẽ & tranquillitatem rebus humanis refunderent. Quod quidem apertè indicant cùm alij Patres,tũ diuus Cyprianus contra Demetrianum,& D. August.in lib.de Ciuitate Dei. Hæc igitur tanta malorũ tempestas, quam modò retuli,quamq.paulo pòst pleniùs referam, me in maximam admirationem adducit. Humanæ quippe naturæ fragilitate diligẽter inspecta,vehemẽter miror,quî fieri potuerit, vt nõ Apostoli modò (de quibus hodie præcipuè nobis sermo est) sed innumerabiles Christi martyres adeò noua & horrenda supplicia præsenti & alacri animo pertulerint. Vnde igitur in tam imbecilla natura,tanta vis,tanta fortitudo,tanta cõstantia,tantum animi robur,tanta laborum perpessio? Crescit autem admirationis causa,cùm in mores nostros oculos cõijcimus. Nos enim & eiusdem naturæ atq.infirmitatis cõsortes sumus,& eandem, quam illi,fidem profitemur;eadem spe nitimur,eundem Dñm pro salute nostra crucifixum colimus,eademq.nobis & cælestia præmia,& æterna supplicia proposita sunt:& tamen quàm plurimos cernere licet,qui cùm eiusdem siue naturæ, siue religionis coniunctione deuincti sint, nullum omnino,propter eundẽ quem colunt Dñm, laborẽ subire velint.Si enim ab illis impetrare contendas,vt in illius gratiam vel acceptã iniuriã condonare,vel impuram libidinem resecare, vel susceptas inimicitias deponere,vel iniustè ablata dominis suis reddere, aut postremò cupiditatem aliquam frenare,& rationis imperio subiicere velint;planè recusabunt, multisq.rationibus se à diuinarũ legum obedientia subducent.Sed quid hæc dico maiora? Multi sunt,quos si vel vno die ieiunare,vel scelera sua paulo frequentiùs confiteri, vel à praua iurandi cõsuetudine cessare moneas; ne hoc quidem laboris curæque tantillum suscipere velint. An non mirum est,sanctos Martyres & Apostolos tãta animi alacritate inundationem maris quasi lac sugere, te verò ne minimam quidem molestiæ vmbram propter eandem spem eundemq.Dominum velle perferre,cùm præsertim nec aliã corporis naturam,nec aliam fidem aut religionem causari valeas?

Cyprian.
August.
Deut. 33

I.

Cæterùm quoniã operũ naturæ admiratio Philosophis causa extitit philosophandi,hoc est,occultarũ rerum, quarũ admiratione tenebantur,causas inquirendi;æquum est,vt nos etiam harũ virtutum,quas tantopere miramur,causas exquiramus.Et quidem præcipua huius tantæ fortitudinis causa, diuinæ gratiæ virtus extitit,cuius est,non solùm hominis animã Deo gratam facere;sed etiam omniũ inimicorũ telis inexpugnabilẽ,& quouis adamante duriorẽ,magisq.impenetrabilẽ reddere.Est enim

gratia,

gratia, vt Apostolus Petrus definiuit, diuinæ naturæ participatio, qua pius homo nõ solùm diuinæ virtutis effigiẽ in suis moribus exprimit, sed etiam diuina virtute atque potestate nititur, diuinisq. armis aduersus ignita diaboli tela instruitur & armatur. Vtrumque supernæ illę mentes in Christi sponsa mirantur, cùm dicunt: Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora cõsurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? Hæc igitur omnipotentis gratiæ virtus & Apostolos & Martyres inseparabiles, & omni humana potẽtia superiores fecit. Hæc Apostolũ Petrũ sic in fide stabiliuit & confirmauit, vt, qui paulo antea puellæ metu Dñm negauerat, postmodum huius virtute indutus ex alto, coram toto Iudæorum, Pontificum atq. Pharisæorũ senatu animosa illa verba proferret, quæ ipsos etiam Pontifices in admirationẽ rapuerunt: Principes, ait, populi & seniores, si nos hodie diiudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste saluus factus est, notũ sit omnibus vobis, & omni plebi Israel, quia in nomine Dñi nostri Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit à mortuis, in hoc iste adstat corã vobis sanus. Hoc est lapis qui reprobatus est à vobis ædificãtibus, qui factus est in caput anguli, & nõ est in aliquo alio salus. Nec enim aliud nomen datum est sub cælo hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Quid his verbis animosius? quid cõstantius? quid mirabilius? Hoc igitur diuinæ gratiæ opus fuit, à qua cælestes habitus proficiscuntur, qui vires animæ nostrę vestiunt, ornant, perficiunt, atq. corroborant, qua sancti Apostoli tam multa atque horrenda supplicia pertulerũt.

Cant. 9.

Act. 4.

Nec parum ad hoc eos iuuit cælestis præmij singularis quędã prælibatio. Petrus namq. in Trãsfigurationis mysterio sacratissimæ humanitatis Christi gloriam vidit, quando resplenduit facies eius sicut Sol, vestimẽta verò facta sunt alba sicut nix. Quo spectaculo tãto animus eius gaudio simul & admiratione conpletus fuit, vt extra se raptus, atq. rerum omnium, suiq. oblitus, non alia re quàm illa suauitate frui desiderans, diceret: Domine, bonũ est nos hîc esse: si vis, faciam⁹ hîc tria tabernacula, &c. videlicet nesciẽs quid diceret: quoniam intelligendi facultatem summa illa vis cælestis gaudij absorbuerat. Paulo verò non modò humanitatis Christi, sed etiã diuinitatis gloria (vt multi ex Patribus asserunt) singulari Dei beneficio frui datũ est. Quod ipse de se, tanquam de alio, testatur his verbis: Scio hominem in Christo Iesu ante annos quatuordecim (siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit) raptum in tertium cælum: & scio huiusmodi hominẽ, quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ nõ licet homini loqui. Voluit enim diuina sapiẽtia, vt Ecclesiarũ futurus doctor inter Angelos disceret

Mat. 17.

1. Cor. 12

quod inter homines doceret. Quo mirabili Dei dono subitò factus est pastor ex lupo, ex prædone custos, ex persecutore defensor. Quanta verò hæc Dei gratia fuerit, D. Maximus docet his verbis, Vt autẽ prætercam omnia quæ Paulũ vniuerso orbi mirabilẽ faciunt, vnũ illud, quod ad omnes eius sufficit laudes, quis valeat æstimare, quãtæ sit gloriæ, quòd cùm inter homines ageret, speciali quadam diuinitatis gratia & paradisus illi penetrabilis, & cælũ peruiũ fuerit? Is igitur, cui inter homines agenti ad cælos ire, & ad homines redire, & gloriæ magnitudinem iis qui cum pietate vixerint, in cælis paratã videre datũ est, quid non faceret? quid non diceret? quos labores & pericula non adiret? quas mundi opes non contemneret, vt & se, & alios ad cælestes illas mansiones, quas fuerat contemplatus, transferret?

Max. in Serm.

Quòd si multi ex nostris vix vnius diei ieiuniũ propter hãc felicitatis æternæ gloriam perpeti, aut cupiditatibus suis imperare volunt; non ideò est quòd hæc tanta gloria non digna sit ad quam per omnes etiã flammas ire deberemus, sed quia eius pretiũ & dignitatem non agnoscimus, ideoq. licet non verbis, tamen re ipsa indignam esse putamus, propter quam vnius diei inediã toleremus. Quãuis enim omnes fidẽ habeamus, sed fides tamen sanctorum, quæ tam magna operata est, duplici forma, altera quidẽ (vt Theologi loquũtur) extrinseca, altera intrinseca, insignita & illustrata erat: charitate enim inflãmabatur, donoque intellectus (quod inter cætera Spiritus sancti dona refertur) illuminabatur. Quibus formis fides ita perficitur, vt ea quæ credit, nõ solùm credere, sed quodammodo cernere, & manibus contrectare videatur. Informis verò fides à Iacobo Apostolo mortua esse dicitur, quoniã diuersa ratione per illam homo ità credit ac si non crederet: quia nihil minùs credendo delinquit, quàm si prorsus nõ crederet; cùm tamen propter terrena bona, quæ coram cernit, nullũ aut laborem aut periculum siue corporis siue animæ recuset: vt meritò Plato, referente Seneca, demiretur, quòd homines ipsius vitæ dispendio, ea quæ ad vitã pertinent, inquirant. Quibus autem similes sint qui hæc bona tanto studio consectantur, cùm tamen diuina negligant; non verebor fabulatoris Aesopi similitudine declarare, cùm videam grauissimos auctores eius sæpe apologis vti. Is igitur fingit gallum in sterquilinio cibi aliquid quæritantẽ. Qui cùm fortè pretiosam gemmam inuenisset, splendorem eiusdem miratus, ait: Res vili pretiosa loco, niridique decoris hac in sorde manens; si te alius qui pretiũ tuum agnosceret, inuenisset, felicissimũ se profectò putaret: ego autem qui neq. hoc noui, neq. te egeo, vel vnũ frumẽti granũ tibi antetulissem. Hæc fabula, fratres, studia & mores hominum nobis ob oculos ponit. Si quis enim eorum bono-

Iacobi 2.

Plato. Seneca.

Simile.

rum quæ nobis Christi Euangelium proponit splendorem atq. valorē cælesti lumine instructus agnouisset (vt Petrus & Paulus, cæteriq. sancti Patres agnouerūt) facilè (quod ille mercator Euangelicus fecit) diuēditis omnibus sempiterna illa bona cōpararet, nullumq. laborem eorum gratia formidaret. At nos qui instar Aesopici galli in huius vitæ sterquilinio (neq. enim terrena omnia nobilius nomē merentur) siliquas porcorum quærimus, quibus insatiabilem cupiditati nostræ ventrem impleamus; longè pluris ea facimus, quibus præsentem hanc cupiditatis famem ad tempus sedamus, quàm quæ sempiternis seculorum ætatibus permansura nouimus.

Neq. tamen ignorantia hæc nos ante supernū iudicem excusabit, cùm scriptum sit; Ignorans ignorabitur. Ceterùm quāuis, dum in hoc corpore versamur, hanc tantam iacturam minimè sentiamus; aderit tamē tēpus illud quo anteactæ vitæ ratio exigenda est, quando iustis pōderibus, non falsis opinionibus opera nostra libranda sunt. Quàm diu pisces inuenta in hamo esca pascuntur, nihil tunc temporis doloris sentiunt: at vbi piscator fallacia fila in sublime attollit; & pisces hamo comprehensi ab aquis extrahūtur, tūc quæ illis dulcis esca videbatur, aculeus est vitam eripiens. Sciant igitur qui nunc carnis voluptatibus, & amore seculi irretiti tenentur, idē prorsus sibi euenturū. Aderit namq. extrema illa hora, in qua ab huius vitæ vndis Dei imperio extrahēdi sunt: quo tempore, quæ illis antea deliciæ videbātur, acerbissimus doloris & pœnitentiæ aculeus erunt. Verissimè enim dictum est; Fauus distillans labia meretricis: nouissima autem eius quasi absinthium, acuta quasi gladius biceps, corpus videlicet atq. animam saucians. Clamabunt autem eo tempore contra nos crux Petri, & gladius Pauli: clamabit omnium Martyrum sanguis, qui cælestia regna digna putauerūt, ad quæ per cruces, per flagella, per equuleos, per vngulas, per catastas & sartagines, ac postremò per gladios & ignes peruenirent; quæ nos cæci atq. dementes indigna putauimus, propter quæ cupiditatibus nostris frænū inijceremus, & carnis nostræ petulātiam comprimeremus, & diuinā legē, quæ suaue iugum, & onus leue est, ceruicibus nostris imponeremus. Sed lōgè tamē acriùs sanguis Christi clamabit, quo ille nō sibi, sed nobis cæleste regnum promeruit: quod tamen nos ne hoc tanto pretio iam partum, leui operâ, quæ à nobis exigebatur, percipere voluimus. Expergiscimini, quæso, fratres, & vel ex Apostolorum Martyrumque tormentis cælestis hæreditatis præstantiam dignitatemq. cognoscite: nec vos pigeat exiguo obedientiæ, humilitatis, charitatis, pietatis, atque patientiæ labore comparare, quod illi omnes sanguine suo, & acerbissimo mortis supplicio mercati sunt.

1. Cor. 14.

Simile.

Prou. 5.

IN EODEM FESTO APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI, CONCIO TERTIA:

in qua vtriusque Apostoli clarissimæ virtutes, & magnifica dona quæ à Deo perceperunt, explicantur: in qua multa ex D. Chrysostomi Homiliis, quibus Pauli laudes prosequitur, desumpta sunt.

THEMA. *Mirabilis Deus in sanctis suis.* Psal. 67.

Bernard.

DIcturus hodie, fratres charissimi, de beatissimorũ Apostolorum virtutibus & gloria, non video quo exordio commodiùs in hac concione vti possim, quàm quo D. Bernardus in eorũ laudibus vsus est: sic enim ait: Gloriosa nobis solennitas illuxit, quam præclari Martyres, martyrũ duces, & Apostolorum principes morte clarissima consecrarunt. Isti sunt Petrus & Paulus duo magna luminaria, quos Deus in corpore Ecclesiæ suæ constituit quasi geminum lumen oculorum. Hi mihi traditi sunt in magistros & mediatores, quibus securè me committere possim: quia & notas mihi fecerũt vias vitæ, & mediantibus illis ad illũ mediatorem ascendere potero, qui venit pacificare per sanguinẽ suum & quæ in cælis & quæ in terris sunt. Ille enim in vtraque natura purissimus est, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Quomodo ad illum accedere audebo, qui supra modũ peccans peccator, qui peccaui supra numerum arenæ maris? Propterea dedit mihi Deus homines istos, qui & homines essent, & peccatores, & maximi peccatores, qui in seipsis, & de seipsis discerent, quàm latè aliis misereri deberent. Magnorum enim criminum rei, magnis criminibus facilè donabunt veniam; & in qua mensura mensum est eis, remetientur nobis. Peccauit peccatum grande Petrus Apostolus, & fortassis quo grandius nullum est; & tam velocissimè quàm facillimè veniam cõsecutus est; & sic, vt nihil de singularitate sui primatus amitteret. Sed & Paulus, qui in ipsa viscera nascentis Ecclesiæ tã singulariter quàm incomparabiliter grassatus est, per ipsius Filij Dei vocem ad fidem adducitur, & pro tantis malis, tantis bonis repletus est, vt vas electionis fieret ad portandum nomen eius coram Gentibus, & regibus, & filiis Israël. Hi sunt magistri nostri, qui à magistro omnium vias vitæ pleniùs didicerunt, & docent nos vsque in hodiernum diem. Quid ergo docuerunt vel docent nos Apostoli sancti? Non piscatoriam artem,

Coloss. 1.
1. Pet. 2.

tem,non ſcenofactoriam,vel quidquid huiuſmodi eſt: non Platonem legere,non Ariſtotelis verſutias inuerſare, non ſemper diſcere,& nunquam ad veritatis ſcientiam peruenire. Docuerunt me viuere. Putas,parua res eſt ſcire viuere? Magnum aliquid,immo maximum eſt. Non viuit qui ſuperbia inflatur, qui luxuria ſordidatur,qui cæteris inficitur peſtibus;quoniam non eſt hoc viuere,ſed vitam confundere,&appropinquáre vſque ad portas mortis. Bonam autem vitam ego puto, & mala pati, & bona facere, & ſic perſeuerare vſque ad mortem. Hactenus D.Bernardi verba,quæ breuiter nobis Apoſtolorum gloriam,& magiſterium ob oculos ponunt. Vt cæteras autem eorum laudes atque virtutes pro dignitate prædicare poſſimus, cæleſtem opē,ſacratiſſimę Virginis interceſſione,ſuppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Diuini numinis cognitionem eſſe totius humanæ ſalutis & felicitatis initium,nemo eſt qui neſciat.Sublata enim hac cognitione,neque amor in Deum, neque timor, neque obediētia, neq.vlla omnino pietatis & religionis ſcintilla extare poterit. Hinc D. Hieronymus homines hac cognitione carentes, non homines,ſed pecudes eſſe ait. Deū verò,in hoc mortali corpore conſtituti,non per ſe,ſed per opera ſua cognoſcimus. Sic enim & animam noſtrā,quæ ad imaginē Dei facta eſt, ex variis eius operibus atque functionibus vtcumque intelligimus,cùm eius tamen ſubſtantiam atq.eſſentiam nemo hactenus comprehenderit. Inter Dei autem opera quædam ad naturam,quædam ad gratiam pertinent.Et per illa quidem naturæ auctor res conditas conſeruat atque ſuſtentat;per hæc autem animas hominum reformat, & diuinæ ſimilitudinis participes efficit. Hæc autem gratiæ opera tanto ſunt aliis præſtantiora, quanto ad nobiliorē finem diriguntur: per illa enim res in eſſe naturæ conſeruantur;per hæc autem homines ad diuinæ naturæ cōſortium attolluntur: ideo per ea multò magis in diuinæ bonitatis,charitatis, ſapientiæ atq. omnipotentiæ cognitionem & amorem aſſurgimus.Quo enim opera Dei præſtantiora ſunt,hoc magis artificis ſui gloriā teſtantur & prædicāt.Quo fit,vt neq.Solis,Lunæ, ac ſiderum, camporum ac totius mundi ſpecies & pulchritudo tantam nobis diuinæ pulchritudinis ſignificationē, quàm vnius ſanctæ animæ puritas & elegantia,præbeat. Quæ tamē ideo à carnalibus hominibus non agnoſcitur, quia carnis oculis nō videtur. Omnis enim gloria filiæ regis ab intus, hoc eſt, in interno homine latet, vbi fimbriis aureis & virtutum varietate circundata eſt. Quòd ſi Plato tantū in honeſtate,quæ ſolis naturæ

Hieron.

Pſal. 44.

Plato in Phædro.

 viribus

viribus acquiritur, decorē & pulchritudinem inesse dixit, vt, si oculis humanis cerneretur, mirabiles sui amores excitaret; quid de ea honestatis & sanctitatis specie sentiendum est, quæ & diuinæ puritatis imaginem refert: & ab ipso Deo in anima commorāte supernaturalibus donis expressa est. Sic enim Saluator

Ioan. 14. ait: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Itaque cùm multitudinis numero ait, ad eum veniemus: totam beatissimam Trinitatem in anima iusti commorari docuit. Talem ergo animam cælestis Pater assumit in filium, Filius in germanam, Spiritus sanctus in sponsam, totaque beatissima Trinitas in suum templum atque domicilium; in quo non solùm mansionem facit, sed illud etiam miris virtutum cęlestiumq. donorum coloribus illustrat. Cùm Dominus beatam Catharinam Senensem ad curādam animarum salutem destinasset, illa eundē suppliciter obsecrauit, hanc sibi præstari gratiam, vt posset videre deinceps elegātiam animarum omnium cum ipsa versantium, & ad ipsam venientium, vt tanto magis accenderetur ad curandam animarum salutem, quanto clarius earundem speciem & pulchritudinem vidisset. Exaudiuit autē Dominus preces eius, atque eo tempore quoties aliqui ad eam venissent, magis ad eorum animas quàm ad corpora intenta erat; nec quisquam ferè postea ad eam accessit, cuius animæ statum non peruideret, dicebatque confessario suo Raymundo: O pater mi, si vidisses animæ pulchritudinem, non dubito qui pro illius salute libenter centies mortem oppeteres. Hanc verò animæ pulchritudinem ipsi etiam beatissimi Spiritus admirantes in Cant. dicunt, Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? Meritò planè mirantur tantam in infirmitate virtutem, tantam in carne puritatem, tātam in homine, in peccatis concepto, innocentiam, ac postremò tantam in humana natura angelicæ vitæ similitudinē. Vt enim in quibusdam animantibus singularem quandam in tuenda vita sua, atque filiorum educatione sollertiam, humanæ prudētiæ similem, admirari solemus: sic etiam supernæ illæ mentes admirantur, cùm animam impura carne septam, & in malum pronam, ad Angelicæ vitæ puritatem aspirare, & in carne vitam non carnis meditari vident. De puritate quippe sua non perinde habent quod mirētur, cùm purissimi spiritus sint, ab omni corporis & terrenæ materiæ contagio secreti; de nobis autem, cùm piè & religiosè, superata atque compressa carne, vitam degimus; habent vtique cur iure mirentur, & tantæ puritatis auctorem laudare debeant, qui solus potest facere mundum de immundo conceptum

Cant. 6.

Simile.

Iob 14.

conceptum semine. Deniq. (vt semel finiam) nulla ratione huius animæ pulchritudo apertiùs declarari poterit, quàm si quis eam cum diuina pulchritudine componat. Constat enim nihil esse in mundo speciosius, pulchrius, dignius, atque sublimius Deo: post Deum autē secundo loco nihil speciosiùs aut dignius ea mente quæ illum summo amore diligit, summa reuerentia colit, summa humilitate & innocentia veneratur, quæque sic sensus omnes & affectus, ac se totam illius obsequio addixit, vt mundo, terrenisque cupiditatibus mortua, illi solùm viuat, illi militet, illi obsequatur, illū sitiat atque ardeat, in illo spes omnes opesque suas repositas habeat, illius desiderio inardescat, illum perpetuò cogitet, in illius bonitate & pulchritudine contemplanda dies noctesque defixa sit; quæq. sic Deo subiecta est, vt neque cibum sumere, neq. somnum capere, nec os ad loquendum aperire, nec quicquam aliud moliri audeat, nisi ad illum priùs mentis oculos attollat, & cū Apostolo dicat: Domine, quid me vis facere? eademque toto studio, ne illius oculos aliqua in re vel leuissima offendat, diligentissimè curat, vitamque ipsam, atq. sanguinem, si ita opus fuerit, propter illius gloriam effundere parata est. Quamuis autem hæc tantæ pulchritudinis species carnis oculis minimè conspicua sit; si quis tamen sanctissimorum virorum res gestas & vitas legat, quandam pulchritudinis huius vmbram mentis oculis intuebitur. Iam verò si quis Apostoli Pauli epistolas & gesta diligēter euoluat, in eis mirabilem quandam in sanctissima illa anima puritatis & innocentiæ, atque virtutum omnium imaginem contemplabitur, quæ ipsum in tantæ pulchritudinis amorē rapiat, & ad Deum ipsum, eiusdem pulchritudinis auctorem, laudandum vehementer incendat. Vt enim paulo antè diximus, diuinæ bonitatis & pulchritudinis species in operibus gratiæ magis, quàm in tota hac rerum vniuersitate, quam intuemur oculis, elucet. Hinc Esaias, Et vocabuntur, inquit, in ea fortes iustitiæ, plantatio Domini ad glorificandū: quam sententiā Saluator explicuit, cùm dixit: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrū qui in cælis est. In præsenti autem concione nō solùm beatissimā Pauli animam, sed Petri etiam Apostolorum principis, habemus, in quibus amplissimā diuinæ bonitatis & gratiæ magnificentiam velut in purissimo quodam speculo cōtemplari possimus. Quòd si in Pauli virtutibus explicandis aliquanto fuerimus longiores, illud in causa erit, quod de nullo Apostolorum plura quàm de Paulo litteris sanctis consignata, & posteritatis memoriæ tradita sunt.

Act. 9.
Esai. 61.
Matth 5.

PARS PRIOR. I.

Et primam quidem Petri dignitatem & gratiā eam esse profitemur,

fitemur, in qua Dominum ipſum habere meruit laudatorem. Beatus es, inquit, Simon Bar-Iona: quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cælis. Ex quibus verbis intelligimus, ſacramentum illud abſconditum à ſeculis, in Deo viuo, qui omnia creauit, nempe Filij Dei incarnationem à Deo Patre reuelatam Petro fuiſſe: atque ita factum eſt, vt is totam diuinitatis plenitudinem in illa humanitatis atque humilitatis viſibili forma inhabitare firmiſſimè crederet, eandemque confiteretur, cùm dixit: Tu es Chriſtus Filius Dei viui. Cùm autem (vt Caietanus annotauit) maximè proprium ſit viuentium, ſimile ſibi in natura generare; hoc vno verbo ineffabilem Filij Dei generationem & æqualitatem cum Patre ſignificauit.

Mat. 16.

Secunda verò dignitas, quam huius confeſſionis merito protinus cōſecutus eſt, promiſſio fuit Apoſtolici principatus, & clauiū regni cæleſtis: quas tanta ei poteſtate contulit, vt (quemadmodū D. Bern. ait) præcedat ſententiā cæli, ſentētia Petri. Quod autem vel maius, vel mirabilius donū homini in carne degenti concedi debuit, quàm vt claues acciperet regni cæleſtis, quibus nō ſibi tantùm, ſed omnibus etiā hominibus eius portas ab initio mundi obſeratas patefacere poſſet; nec ipſe ſolus hāc tātam poteſtatem acciperet, ſed etiā vt eam ſacerdotibus cūctis communicare poſſet? Cùm autem naturali, diuino, atque humano iure conſtet, principatum Eccleſiæ digniſſimo cuiq. tribuēdum eſſe; neceſſario fatendū eſt, vel Petrum inter Apoſtolos hoc munere digniſſimum fuiſſe; vel certè talem à Dño effectum, cùm ei hoc munus cōmiſſum eſt. Hoc enim inter humanā atq. diuinā electionem diſtat, quòd homines quidē ad hoc officium digniſſimum quemq. eligere debēt, quia talē facere nequeunt: at Dñs (in cuius oculis facilè eſt ſubitò honeſtare pauperem, & ex lapidibus, Abrahæ filios efficere) eo ipſo, quo homines ad inſigne aliquod munus adminiſtrādum elegit, digniſſimos eo miniſterio facit. Vnde eſt illud Pici Mirandulani de Deo agentis:

Bernard.

Quanquam ſat digni, ſi quos dignatur amare;
Qui quos non dignos inuenit, ipſe facit.

Picus Mir.

Qua ex re colligimus, aut Petrum, cùm à Domino electus eſt, inter Apoſtolos digniſſimum hoc munere fuiſſe, aut certè tunc à Domino cæteris digniorem factum: neque enim alterum ſine altero donari potuit.

Nec ſolùm cæli atque gehennæ, ſed vitæ etiam ac mortis ius & poteſtatem ei contulit: vt quomodo verbo cælum claudit & aperit, ita ſolo verbo & mortuis vitam conferat, & viuentibus mortem inferat. Tabitham namque mortuam ad preces viduarum ſolo verbo ſuſcitauit: Ananiam verò & Sapphiram ob commiſſum furtum ſolo verbo interemit.

Actor. 9.
Actor. 5.

Et

Et quamuis hæc tanta poteſtas verè miranda ſit, omnem tamen ſuperat admirationem, quòd non ſolùm Petri verba, ſed ſola etiã corporis vmbra omne genus morborũ depellebat. Qua de re in ſuperiori concione dictum à nobis eſt. Quis autem in hoc opere immenſam diuinæ bonitatis amplitudinem, & ſummum, quo pios afficit, honorem non agnoſcat, quando illis tribuit quod nec ſibi ſumpſit: quique tantillos faciat, tantumque poteſtatis & honoris tribuat, vt non ſolùm verbis, ſed ſola corporis vmbra naturæ legibus ab ipſo præfixis imperent? Quid, quæſo, minus ad hominem, quàm inanis corporis eius vmbra pertinet? Quàm mirabile igitur eſt, Dñm hanc tantam potentiam mortali homini contuliſſe, vt non illum modò omnipotentem quodammodo faciat, ſed eius etiã vmbræ eandem conferat poteſtatem! Quantam igitur erga illos charitatẽ Dominus hoc opere demonſtrauit! Quàm felix ergo & fortunatus eſt quiſquis ſic vitam inſtituit, vt hanc Domini beneuolentiam & amicitiam promereatur! Quàm verò infelix atq. deplorandus, qui ob rerum fragilium, celeriterque intereuntium, amorem, ſe hoc tali amore atque honore indignum facit!

Subeſt hîc aliud non minùs mirandum, hoc eſt, tanta Petri humilitas in hac tanta gloria. Si enim rara virtus eſt humilitas honorata; quàm rarum & ſingulare fuit, in tanto honore tantã conſeruaſſe humilitatẽ! Pulcherrimus ille Angelus à Deo conditus eleuauit cor ſuũ in decore ſuo; princeps quoq. generis noſtri in paradiſo conſtitutus, & miris diuinæ gratiæ muneribus ornatus, hoc eodem morbo corruit. Paulus, ne reuelationũ magnitudine extolleretur, ſtimulũ carnis accepit, quo ſe hominem eſſe ſentiret: atq. (vt D. Hieronymus ait) in ſimilitudinẽ Romæ triumphantium, quorum lateri præco aderat, qui eos ſuæ mortalitatis admoneret, ita ipſe carnis ſtimulũ ſuæ infirmitatis monitorẽ accepit, ne diuinorum munerum occaſione attolleretur. Mirum autẽ eſt, nihil tale Petro ad humilitatis cuſtodiam fuiſſe datum; cùm maius ſit, corporis vmbra omnis generis morbos pellere (quod nulli hactenus Sanctorum contigit) quàm crebris a Deo reuelationibus (quod multis Sanctorum conceſſum eſt) erudiri. Quo indicio colligimus, quòd quemadmodum beatiſſima Virgo parem dignitati ſuæ humilitatem habuit; ita Apoſtolus Petrus nõ minùs humilitatis virtute, quàm miraculorũ poteſtate clarus fuit. Sapiẽtiſſimus quippe ille virtutũ architectus quàm altam gratiarum atq. virtutum ſtructuram erigere in eo voluit, tam alta humilitatis fundamẽta iecit; ſine qua (vt diuus Gregorius ait) virtutũ aggregatio ruina eſt. Quantum verò diuus Apoſtolus hanc humilitatis virtutem coluerit, & nunc in cælo diligat, hoc memorabili humilitatis exemplo declarabitur.

Hyeron.

Gregor.

Cùm

Cùm sanctus Eduardus Anglorum Rex in palatio iuxta Ecclesiam B Petri aliquando moraretur, superuenit quidam vir Hibernicus genere, pedis vtriusq. priuatus officio: nerui enim in poplite contracti ad posteriores corporis partes crura retorserant, tali natibus inhæserant, immersique carnibus pedũ articuli, à lumbis eius & deorsum corpus omne peruerterant. Porrectis ad terram manibus, & scamnis suppositis repebat, & factus sibimetipsi grauis, trahebat se post se. Hic videns Regis cubicularium, ait ad eum: Hugoline, non me respicies, nec misereberis, nec mouebit te mea tanta calamitas? Et ille: Quid me vis facere? Cui pauper: Sexies, inquit, Apostolorũ limina repẽs (vt cernis) visitaui, & sanitatem necdum promerui: quam tamẽ mihi Apostolorum princeps nõ negauit, sed distulit, socium in hoc miraculo habere volẽs Eduardum, quem sibi nouit in omnibus esse deuotum. Ab ipso enim Apostolo in mãdatis accepi, Regem adire, vt me, suo sacro subuectum dorso, ad Ecclesiam eius, quæ palatio vicina est, perferat, recepturum, si id fecerit, membrorum meorum integram sanitatem. Hæc vbi nunciata sunt Regi, gratias egit Deo, & citatus mox æger accessit. Rex verò spiritualis ille asinus fortis, accubans in terminis, supposuit humeros suos ad portãdum. Pendet de humero tanti principis plenus sordibus pauper; squalidis manibus, brachiisq. squamosis regium illud pectus collumque complectitur. Interea ex assistentibus ridebant nonnulli, alij à paupere Regem delusum iocabantur, alij simplicitatem iusti fatuitatem iudicabãt. Cùm itaque Rex paululum processisset, subitò nerui extenduntur, riganturossa, carnes marcidæ recalescunt, emergunt à carne articuli, pedes à natibus soluuntur. Distendit homo crura, poplite iam flexibili, & sanie cum sanguine profluente, vestis regia ornatur potius quàm fœdatur. Iam tunc satis esse clamant omnes, sanatum languidum, onus obsordes vlcerum deponendum. Ille verò memor præcepti quod susceperat, Sirenarum cantus obturata aure pertransiit: ingressusq. Ecclesiam, ante sanctum altare holocaustũ, quod detulerat, Deo ac beato Petro resignat, incolumemque dimisit. Suscepto autem à Rege itineris viatico, acturus gratias Deo, & sancto Petro, Romam profectus est. Hoc igitur tam nouo & insolito in persona regia humilitatis exẽplo, quantopere diuinus Apostolus humilitatis virtutẽ coluerit, & quanto illã in precio habuerit, satis apertè monstrauit.

Verùm obiiciet aliquis hoc in loco Petri negationẽ: sed ego eius contrà pœnitentiã opponam, quæ tanta fuit, vt verè dicere possimus, hunc eius lapsum in maiorem illi laudis & gloriæ cumulum cessisse. Vt omittam enim quòd per omnem vitam galli cantus ei perpetuam lugendi materiam prębuerit (vnde &

genæ

genæ illius ardore lachrymarum assiduè fluentium, penè exustę erant) tamen vix dum verbo tenus Dominum negauerat, cùm egressus foras, tanto dolore, tantaq. cordis amaritudine lapsum suum defleuit, vt verè dicere possimus, sanctioré illum post lapsum surrexisse quàm ceciderat. Quam rem noui & insoliti fauores, quibus post resurrectionē à Domino honoratus est, facilè declarant. Nam & Angelus, resurrectionis eius testis, cùm hoc felicissimum nuncium per mulieres ad discipulos perferri iussisset, singularem Petri mentionem fecit: Ite, dicite discipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæam. Quodq. maius est, idem ipse Dominus statim à resurrectione se Petro visendum præbuit, vt hac visitatione fractum eius animum ad spem veniæ suscitaret, & resurrectionis alacritate lacrymarum eius amaritudinem in lætitiam commutaret. Vnde duo illi discipuli, qui ipso Dominicæ resurrectionis die in Emmaus pergebant, ab itinere regressi inuenerunt congregatos vndecim dicentes, Quia surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.

Marc. 16.

Luc. 24.

Quin & hoc ipso tempore Dominus Ecclesiæ suæ clauum, immo & claues cæli, quas antè promiserat, tradidit, cùm agnos suos illi trina repetitione pascendos commisit, & gloriosum illi per crucis triumphum agonem, quo erat ipsum Dei Filium imitaturus, apertè reuelauit. Ex quibus omnibus & mirabilem veræ pœnitentiæ virtutem, & immensam Dei nostri erga verè pænitentes misericordiam apertè videre licet, per quam Petrus tantam à Domino gloriam, post lamentabilem illam ruinam, percipere meruit. Faxit autem Christus Dominus, vt, qui Petri hodie laudes celebramus, eius pœnitentiam & lacrymas imitari velimus; vt similem cum eo veniam & gratiam à Domino consequi mereamur.

PARS PRIOR. II.

Sed intermisso nunc Petro, ad coapostolum eius Paulum veniamus, cuius laudibus prædicandis nulla certè humana facundia par esse poterit. Quo fit, vt neq rudis ac trepidus sermo eius laudes aggredi audeat, nec tamē ab earum contemplatione animus reuocari queat. Quid a item mirum hoc mihi infantissimo & elingui euenire, quod aureo illi eloquentiæ flumini D. Chrysostomo euenisse constat? Sic enim is laudes eius aggressus est: Sæpe fulgido cæli globo delectatus oculus, ad spectaculū oppositi è regione luminis sese violenter intēdit; & licet sentiat aciē suam imparem radiorum esse certamini; desiderio tamen illius pulcherrimi luminis intuendi, libēter inaccessibili radiantis orbis reluctatur corusco. Tale igitur quippiam ego ipse perpetior, qui cùm videam propriæ mentis oculos ex radiis Apostolici splendoris hebetari, cupio tamen Pauli animam, miro fulgore

Chrysost.

virtu-

virtutum rutilantem, velut eminus intueri, & contra importabiles Solis splendores contentiosa subire certamina. Sol enim quidam est hominibus Paulus, qui prorsus orbem fulgentibus linguæ suæ radiis illuminauit, quique, vniuersas circumeundo gentes, cursum omnino Solis imitatus est, ac mundi regiones omnes quasi libero à corpore animo peruolauit: & hoc cùm ei amara vndique vulnera crebriùs obuiarent. Hactenus Chrysostomus.

De huius ergo Apostoli sanctissimi laudibus cùm multa dici possint, hoc vnum tantùm in reliqua huius concionis parte tractandum suscepi, nempe adeò miranda & supra omnem naturæ vim posita esse, quæ in illo diuina gratia operata est, vt vel ea solùm satis superque sint ad fidem nostram plenissimè confirmandam. Scripta enim eius, & res ab ipso gestæ, cuiuis etiam infideli (modò sit sana mente & ingenio præditus) fidem planè facient, diuinum aliquid in Pauli pectore fuisse: atque ita demum veram esse fidem, quam ille Spiritu Dei actus prædicabat. Sicut enim Magi Pharaonis, vbi signorũ vim & excellentiam, quę Moyses coram Pharaone patrabat, animaduerterunt, digitum Dei & diuinam potestatem in eis esse intellexerunt: ita quisquis res gestas & epistolas Pauli attentiùs legerit, digitum Dei & vim diuinam in eo esse apertissimè deprehendet. Quam rem sequens sermo breuiter explicabit.

Simile.

Primùm quidem eius conuersionem inspiciamus, quam ipse & ad Galatas, & ad Timotheum commemorat. Constat enim neque Neronem, neq. Diocletianum, neq. vllum Tyrannorum atrociùs Ecclesiam Dei persecutum fuisse, quàm Paulum. Hi namque mundi Monarchæ latissimum illud imperium suum, quod se à diis suis obtinuisse credebant, in summum discrimen adduci existimabant, nisi gentem illam è mundi finibus eliminarent, quæ deos, imperij sui auctores & cõseruatores, blasphemabat; & non deos, sed dæmones, aut profligatissimos & impurissimos homines esse constantissimè asseuerabat. At Paulus, priuatus quidam homo erat, neq. aut mundi, aut etiã gentis suæ procurationem habebat: qui tamen nullo suo stipendio aut emolumento inductus, sola furoris sui rabie concitatus, nascentem Ecclesiam crudelissimè persequebatur, & facultatẽ à principibus sacerdotũ petebat, quibus Ecclesiã deuastaret, & Christi nomen & memoriam prorsus extingueret. Pergebat igitur in Damascum furiis inuectus, dirumq. toto pectore virus efflabat, & sanctorum sanguinẽ sine intermissione sitiebat. Hic igitur truculentissimus fidei persecutor, subitò factus est potentissimus eius defensor: & ita factus, vt, quomodo nullus inter Tyrannos atrociùs fidem persecutus fuit, ita postea nullus post

orbem

orbem conditum propter eam stabiliendam grauiora supplicia pertulit;ipso eodem testante,qui,adnitente diuina gratia,supra omnes se laborasse testatus est. Quæ autẽ vis orationis vel eius labores,vel fidei propagandæ ardorem,& salutis humanæ sitim explicare poterit? Vt enim D.Chrysostomus ait,omnẽ hominẽ Deo exhibere cupiebat: quasi enim is vniuersum mundum genuisset,sic perturbabatur, sic currebat, sic omnes in regnũ Dei festinabat inducere,docendo,pollicendo,tum orando pro ipsis, tum etiam ipsis supplicãdo,& terrendo, & dæmones corruptores animarum fugando;aliquando epistolis, aliquando præsentia,nunc sermone,nunc rebus,& per discipulos,& per semetipsum conabatur erigere labantes, stantes verò firmare, humi iacentes attollere,sanare contritos, torpentes oleo exhortationis animare,inimicis insonare terribiliter, hostes minaciter intueri,more optimi cuiusdam ducis ac medici artis suę instrumenta gestãtis,protector ipse bellantium,ipse sedulus ægrotorum minister, & vnus omnium officiorum personas sustinens. Hactenus Chrysost. Quis igitur in hac tam stupenda, tamque subita cordis humani mutatione non apertè Dei digitum, & diuinæ gratiæ vim ac potestatem agnoscat? Certè agnoscebant illi qui hoc spectaculo commoti glorificabant Deum dicentes: Quia qui persequebatur nos aliquando, nunc fidem prædicat, quam antea impugnabat. Neque verò mihi quisquã dixerit, Paulum spe alicuius vtilitatis aut terreni commodi inductum se ad Ecclesiæ fidem contulisse; cùm non modò nihil ei ex hac professione accreuerit, sed etiam in mille propter eam discrimina, & mille mortes inciderit,sicut ipse ait: Quotidie morior propter gloriam vestram,quam habeo in Christo Iesu. Quantum autem hæc tam subita humani cordis permutatio diuinę virtutis indicium sit, vel hoc vno argumento perspici poterit, quòd D.Bernardus in vita S.Malachiæ,maius esse miraculũ testatur, quòd hic vir diuinus oratione sua mulieris ingenium furibundum in mansuetissimum commutauerit, quàm quòd alteram feminam mortuam ad vitã ope diuina reuocauerit. Hoc enim opere mortuum corpus, illo verò mortuam animam suscitauit. Quanto ergo maius, ex tanta perfidia ad tantam fidem, tantamque virtutis & sanctitatis laudem sola Dei gratia momento temporis permutatum fuisse! Sit igitur hoc, fratres, primum diuinæ virtutis in Pauli conuersione argumentum.

Chrysost. de laudibus Pauli.

Galat. 1.

1. Cor. 15

Bernard.

Secundum autẽ fortasse maius vobis esse videbitur,nẽpe insignia miracula,quæ Paulus passim edebat,quibus doctrinæ suę fidem faciebat. Cuius rei nõ modò Lucas in Actis Apostolorũ, sed ipse Paulus ad Corinthios & Thessalonicenses scribens,locupletissimus testis est: qui si aliquid in hac cõfessione finxisset,

seipsum,

seipsum, & fidem quam prædicabat, tot testibus conuictus euerteret. Ad Thessalonicenses verò sic ait: Scientes, fratres dilecti à Deo, electionem vestram: quia Euangelium nostrum nō fuit ad vos in sermone tantùm, sed & in virtute, & in Spiritu sancto, & in plenitudine multa. In secunda verò ad Corinthios epistola sic ait: Nihil minus feci ab his qui sunt supra modum Apostoli, tametsi nihil sum. Signa tamen Apostoli facta sunt in vobis in omni patientia, in signis & prodigiis, atque virtutibus. Videtis hîc tot verbis expositam miraculorum operationem? Cùm igitur Apostolus tot veluti testes citet miraculorum suorum, miracula verò firmissimam fidem, & Catholicæ veritatis testimonium præbeant; apertè liquet, hac Pauli confessione fidem nostram mirabiliter confirmari, atque fulciri.

1. Thes. 1.

2. Cor. 12

Quia verò Paulus inter Apostolica signa patientiam primo loco numerat (D. enim Greg. patientiæ virtutē signis & miraculis clariorem indicat) hoc etiā argumento Catholicæ fidei veritas plenissimè confirmatur. Quæ autem vis orationis explicare poterit, quot is verbera, quot vincula, quot carceres, quot iniurias, quot exilia, quot naufragia, quot inedias, quot denique persecutionum genera à Iudæis & Gentibus perpessus sit? Qua de re sic D. Chrysost. ait: In duas partes omne tunc ferè scindebatur genus; in eorum scilicet qui horribili rabie erga idolorum cultum ferebantur, & in eorum quos legis zelus in Euangelij odia inflāmabat. Ab vtraq. verò parte grauissima in Paulū bella surgebant, cùm Iudæi vndiq illum quasi paternarum traditionū corruptorē fugarent, Gentes verò quasi Deum mortuū prædicantē. Noli enim illum, qui tunc fuit, rerum statum, huic, qui modò est, comparando, magnitudinē Apostolici laboris attendere; sed ipsa adhuc prædicationis exordia mente perpende. Considera priùs pelagi sæuientis furorem, & tum demum vim gubernatoris intelliges. Sicut enim in quodam freto, ita Paulus mediis in fluctibus æstuabat, ac mille discriminum vrgebatur procellis. Inter ipsa quippe Euangelij principia prædicationis nouitas vehementes ei tentationū turbines suscitauit. Iudæorū namq. tunc populi mouebantur, quos ad hoc Mosaica videbantur præcepta compellere. Pharisæorum quoq. latrabant gressus, cùm dudū à se crucifixi prædicari deitatem dolerent. Indignabatur etiā conspiratio sacerdotū, cùm audirent crucē quasi sceptrū quoddā regale celebrari. In huiusmodi bello Iudæi sociabātur & Gentes, quę aris diuûm ac tēplis, & puluinarium cineribus assuetæ, indignè hunc sibi euelli patiebantur errorem. Iudices in prædicationem Euangelij sæuientes suæ adstabant cateruæ. Reges iugiter idipsum bellum gerebant, auditam crucem cuncti abominabantur exercitus, quam sapientes recipere nesciebant.

Greg. 1. Dialog.

Homil. 8 de laudibus Pauli.

nesciebant, quasi signum vtique damnati. Sed Paulo totius hoc mundi bellum omni erat pace iucũdius. Delectabat enim eum quicumq. propter Euangelium vulnerabat. Hinc est quòd ille Græciam atque Barbariam cum illatis sibi vulneribus alacer circuibat, nõ minùs plagis suis gaudẽs, quàm regiis triumphis; haud aliter delectatus naufragiis, quàm ceteri acquisitis solent gaudere thesauris; liuoribus, quos ei verbera sæpius inferebant, quasi quibusdã gloriabatur coronis; tribulationibus vt deliciis vtebatur; squalore carceris vt paradisi amœnitate gaudebat. Hactenus Chrys. Vera autem esse quæ S. Episcopus de Pauli alacritate inter tot certamina prædicat, ex ipsius Pauli verbis colligi potest, qui mortem ipsam, quã omnis hominum natura insito affectu tãquam extremum omnium terribilium horret, sic appetebat, sicque eius desiderio atque memoria lætabatur, vt vinctus iam in carcere ad Philippenses scripserit: Si immolor supra sacrificium fidei vestræ, in hoc gaudeo & cõgratulor omnibus vobis. Idipsum vos congaudete & congratulamini mihi. Quis hoc genus gaudij & congratulationis audiuit vnquam, vt propter violentæ mortis supplicium ab amicis & cõgaudere secum, & congratulari sibi postulet? Solent quidem amicis amici vel propter adeptam dignitatem, & propter restitutam ex graui morbo sanitatem, aut clarissimam de hostibus victoriam, gratulari: Paulus verò cõtrà in carcere vinctus, propter impendentem sibi mortem à charissimis filiis & secum congaudere, & sibi gratulari postulat. Cumque inter omnes humani cordis affectus amor sui potẽtissimus sit, vtpote ex quo cæteri deriuãtur (cuius proprium est mortem supra omnia horrere; & ad extremos mundi fines propter eam vitandam fugere;) hic vir diuinus multò magis mortẽ propter Christum optabat, quàm alij vitam desiderant. Quis igitur nõ videat in hoc homine aliquid plus quàm humanum latere? quis hic diuinæ potentiæ digitum non aduertat? quis hîc naturæ vim fractam atq. superatam diuinæ gratiæ virtute non agnoscat? Quis hunc hominem supra res humanas sublatum, atque adeò supra nubes & sidera euectum non miretur? Quisquis igitur in Paulo non ea solùm quę pertulit, sed multo magis qua alacritate pertulerit, cõtemplatus fuerit; facilè intelliget, meritò ab illo inter Apostolica signa hanc patientiam fuisse primo loco commemoratam. Hanc autem vel maximam fidei nostræ confirmationẽ esse, & Iustinus Martyr, & Gentilium multi, qui insuperabilem Martyrum patientiam contemplantes ad fidem hoc argumento cõuersi sunt, facilè declarant. Hæc igitur adeò miranda laborum patientia meritò à Paulo inter Apostolica signa atque miracula computatur. Humana quippe natura, vt omnia quæ carni plausibilia

Philip. 2.

Iustinus Martyr.

& iucunda sunt, vehementer amplectitur; ita quæ his sunt aduersa atque inimica, summo odio detestatur. Quo fit, vt quisquis hæc grauissima incommoda promptissimo & alacri animo captat, in eisque exultat atq. triumphat, sublimius aliquid supra communem hominum naturam habere videatur. Vt hoc igitur satis apertum est diuinæ virtutis indicium; ita non leue fidei nostræ argumentum & testimonium est.

Hæc igitur cùm de miraculis, tum de mirabili Pauli patientia (quam is inter miracula meritò enumerat) dicta sint. Nec enim is sine miraculorũ testimonio tot populos, tot nationes, tot gentes à patriis & auitis legibus ad Catholicam fidem traducere potuit. Quòd si quis proteruè contendat, nullum intercessisse miraculum: hoc certè maius miraculum est, sine miraculis effecisse vt mundus mortuum hominem, & inter latrones crucifixum, piscatorum atq. opificum opera, totius naturæ conditorem, & verum Deum ac Dominum esse crederet. Quod vt clariùs eluceat, vnius Pauli, vt cœpimus, exemplũ proferamus: de quo sic D. Chrysost. Quomodo, inquit, Paulus cũ illa arte vilissima tantam potuit inspirare virtutem, quantã ipse rerum testatur effectus? Homo etenim ignobilis, abiectus & circũforaneus, qui artem exercebat in pellibus, in tantũ virtute progressus est, vt vix triginta annorum spatio & Romanos, & Persas, & Parthos, & Medos, & Indos, & Scythas, & Aethiopes, & Sauromatas, & Saracenos, & omne prorsus humanum genus sub iugum mitteret veritatis. Responde igitur, vnde iste opifex vilis ac publicus, stans in loco artis suæ, ac scafellum in manu gerẽs, ita & ipse philosophatus sit, & alios docuerit philosophari, gentes scilicet, vrbes atq. regiones? nec vim in se sermonis ostendẽs; audi enim ipsum loquentem: Etsi imperitus sermone: nec pecunias possidens; nam hoc quoque ipse testatur: Vsque ad hanc, inquit, horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur. Et quid dico pecunias: cũ ille sæpe necessariũ quidem non haberet cibum, nec quo se circundaret indumentũ? Quod verò nec de professione clarus fuerit, Lucas ostendit, dicens: Quoniã manebat apud Aquilam & Priscillam, propterea quòd eiusdem artis esset: erant enim scenofactoriæ artis. Non igitur à proauis nobilis; quippe qui tam vilis fuisse artis ostenditur: non à patria, nõ à gente; tamen progressus in medium, ac tantummodo apparens inimicorũ cuncta turbauit, vniuersa confudit; & sicut in stipulas ignis immissus, omnia dæmonum opera consumpsit, atque in id quod voluit omnia conuertit. At nobilis & eruditus erat fortè persuasor. Nec istud quidem: nam hoc quoque ipse confirmauit, dicens: Et ego veni ad vos non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuncians vobis testimo-

Chrysost.

1. Cor. 4.

Act. 18.

Coloss. 2.

testimonium Christi. Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Et, Sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapiētiæ verbis. Sed causa nimirū ipsa prædicationis erat idonea, quæ ad se pertraheret audientes. Accipe, quid etiam super hac re ipse pronunciet; Quoniam, inquit, Iudæi signa petūt, & Græci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Græcis autem stultitiam. Sed securitate ac libertate perfunctus est. At omnino à periculis nunquam respirauit. Et ego, inquit, in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos. Cùm igitur & prædicator, & imperitus, tum etiam pauper esset, & prorsus ignobilis; & quod prædicabatur, non modò commendatione sui esset vacuum, verùm etiam offensione plenissimū; & auditores ipsi inopes, imbecilles atque omnino nulli; & pericula tam crebra, tam varia, non doctoribus solùm, sed etiam discipulis imminerent; crucifixus esset qui annunciabatur adorandus: nónne satis liquet, hoc tantum opus non humana, sed diuina fuisse virtute perfectum? Hactenus Chrysostomus. Constat igitur ex hac diui Chrysostomi sententia, Catholicæ fidei veritatem hoc tam insigni opere mirificè confirmari.

1. Cor. 2.

1. Cor. 1.

1. Cor. 2.

Addam his aliud non minus suspiciendum, quo diuina virtus in Pauli pectore latens apertissimè declaratur: nempe mirabilis eius doctrina, quæ in suo genere omnē humanæ facundiæ vim superat. Siue enim de Christi mysterio, & humanæ redēptionis beneficio disserat, siue morum præceptis hominum vitam instituat; vtrobique mirabilis, vtrobique diuinus incedit. Nullum enim genus hominum prætermittit; non diuites, non pauperes, non seruos, non dominos, non parentes, non liberos, non viduas, non virgines, non nuptas, quos præceptis salutaribus ad vnumquemq. horū statum pertinentibus non erudiat. Iam verò quot affectus mouet! in quas se dicendi formas atque figuras passim commutat! Modò enim terret, modò blanditur, modò consolatur: nūc lachrymis, nūc stimulis vrget: aliquādo gaudio exhilarat, aliquando ad singularē tristitiā atq. metum excitat. Et quidē aliquando se hominibus pietatis affectu patrē, interdū iudicē tremendū exhibet: modò agni mansuetudinē & lenitatē, modò leonis magnanimitatē præ se fert: ac postremò, quemadmodum in vita omnibus omnia factus est, vt omnes faceret saluos: ita in epistolari doctrina omniū se necessitatibus & rationibus accōmodat, vt omnis generis morbos sanet, & omnes Christo lucrifaciat. Deniq. talis eius doctrinæ character est, vt quisquis vigētes oculos habuerit, nō merū hominem, sed Spiritum sanctum in eius pectore latentem, & ore loquentem agnoscat.

Habet enim Spiritus ſanctus ſuã phraſim atq.energiam, quam nulla humana facundia exprimere atque referre poterit.

Sed inter omnes Pauli laudes adijciam quod mihi mirabilem Paulum,ac multo mirabiliorem Spiritum ſanctum in eius pectore commorãtem exhibet. Iure enim inter has omnes eius virtutes miror quod ipſe variis in locis de ſe ipſo prædicat. Ad Theſſalonicenſes quippe ait,Memores eſtis,fratres,laboris noſtri & fatigationis: nocte ac die operantes, ne quem veſtrûm grauaremus,prædicauimus vobis Euangelium Dei. In ea verò concione quam ad maiores natu Epheſinæ Eccleſiæ habuit, ſic de eodem labore ait:Argentum, & aurum, aut veſtem nullius concupiui,ſicut ſcitis: quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtrauerunt manus iſtæ. Qua autem acrimonia(bone Deus)qua orationis grandiloquẽtia hanc eandem officij ſui puritatem ab omni auaritiæ ſuſpicione liberam in priori ad Corinthios epiſtola exaggerat! Non ſum,inquit,liber? Non ſum Apoſtolus? Nónne Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum vidi? Nónne opus meum vos eſtis in Domino?& paulo pòſt, Quis,inquit,militat ſtipendiis ſuis vnquam? Quis plantat vineam,& de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Nunquid ſecundùm hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum eſt enim in lege Moyſi,Non alligabis os boui trituranti. Nũquid de bobus cura eſt Deo? an propter nos vtiq. hoc dicit? Et mox: Si alij poteſtatis veſtræ participes ſunt,quare non potiùs nos? Sed non vſi ſumus hac poteſtate,ſed omnia ſuſtinemus,ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti. Ac deinde: Non autem ſcripſi hæc vt ita fiant in me;bonum eſt enim mihi magis mori,quàm vt gloriam meam quis euacuet. Hactenus Paulus. Nunc expendite, quæſo, fratres, quî fieri potuit, vt homo nocte ac die (vt ipſe ait) manibus ſuis operans, & non ſibi tantùm, ſed his etiam qui ſecum erant,neceſſaria vitæ,manuaria arte quærens, potuerit,non dico tot epiſtolas diuina quadam virtute refertas ſcribere,ſed tot ciuitates,tot populos,tot nationes ad Chriſti fidem cõuertere, & inter manuum diurnos pariter & nocturnos labores,& huic tanto operi inſtare,& omnium Eccleſiarum ſolicitudinem gerere:& (quod non minùs mirabile eſt) charitatis feruorem, ac deuotionem ſpiritus, inter tot occupationum curas, quæ ſpiritum exhaurire & extinguere ſolent, pleniſſimè retinere atque alere. Si enim Anachoritarum more in deſertis vitam ageret, & biduanis ac triduanis ieiuniis compreſſa carne dies noctéſque in diuinis laudibus, & orationis ſtudio tranſigeret; non ita mirandum eſſet,talibus fomentis, charitatis ignem diu ſuſtentari: ſed quòd homo inter tot hominum mores agens, & in

1.Theſ.2 Actor.20. 1.Cor.9. Ibidem. Deut.25

& in officina sua die ac nocte manibus suis operans,tot Ecclesiarum curis districtus , tot itineribus terra mariq́ue confectis fractus,nihilominus tamen Apostolicam mentẽ, Apostolicum pectus, eumq́ue charitatis feruorem retineret, ad quem neque eiusdẽ nominis Paulus eremita (qui septuaginta annos in solitudine sine vllo hominum commercio egit) neque vllus vnquam Anachoritarum pertingere potuit, hoc mihi certè omnẽ admirationem superare videtur. Quis igitur non hîc & mirabilem Paulum,& mirabiliorẽ (vt dixi) Pauli Spiritum agnoscat? Quis hîc digitum Dei,& vim eius affuisse non intelligat? Verè mirabilis Deus in Sanctis suis: mirabilis eius gratia , mirabilis erga suos charitas,& mirabilis eius potẽtia, quæ tantã in mente,mortali corpore & fragili carne septa, virtutem inspirauit; vt meritò quidam ex ipsis Doctoribus Paulum ipsum quoddam mundi prodigium appellet, si in bonã partem hoc nomẽ accipiatur: ego verò non vnum,sed multa prodigia (quæ hactenus recensuimus) in eius vita fuisse confirmo. Prodigium,eius conuersio; prodigium , tot miraculorum operatio; prodigium,tot laborum atque dolorum mirabilis perpessio ; prodigium,eius prædicatio; prodigium,mundi per eum facta conuersio; prodigium,altissima eius philosophia atque doctrina: multoq. maius prodigium , hæc omnia vili opificio diu noctuq́ue vacantem perficere potuisse.

Vt igitur finem principio iungamus: ex his, quæ diximus, apertè liquet,quanta sit animæ eius pulchritudo, quæ se totam diuinæ mentis obsequio & dilectioni tradidit. Si quis enim eos oculos haberet, quibus Pauli animam tot virtutibus atque cælestium donorum ornamentis excultam atque decoratam cerneret; is planè neque solis & lunæ ac reliquorum siderum, neque cæli & terræ speciem & pulchritudinem cum talis animæ pulchritudine vllo modo conferendam esse diceret, quemadmodum initio concionis huius exposuimus. Hæc item quæ hactenus perorauimus (sicut initio præmonuimus) miro modo Catholicæ fidei veritatẽ stabiliunt atq. confirmant. Quamuis enim fides inter præcipua Dei dona numeretur, eiusq. firmitudo atque sinceritas à diuino lumine pendeat; tamen & his argumentis quæ attulimus,& innumeris aliis, quæ infiniti operis esset recensere,magna cepit incrementa. Si quis enim admirabilem illam Pauli conuersionem , qua ex immanissimo fidei persecutore acerrimus eius defensor effectus est, & magnifica item signa atque prodigia quæ Corinthiorum & Thessalonicensium testimonio se edidisse prædicat,& incredibilem illam laborum patientiam,& patiendi alacritatem, & conuersionem Gentium eius prædicatione perfectã, ac postremò singularem

eius doctrinam, quam litteris cõsignatam reliquit, diligenter attendat; non poterit in his omnibus diuinæ virtutis vim & potestatem non vehementer admirari, & in fidei veritate solidari. Quæ res quantos in anima fructus pariat, Apostolus ipse ad Rom. testatur, cùm ait: Deus autẽ spei repleuit vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis in spe & virtute Spiritus sancti. Quid igitur his viuidæ atque incensæ fidei fructibus maius optare possumus? Ex ea enim gaudiũ spiritus, ex ea pax illa quæ exuperat omnem sensum, ex ea spei securitas & firmitas, ex ea postremò virtus Spiritus sancti, quæ omnes secum virtutes & dona affert, proficiscitur. Denique huiusmodi fides clypeus ille impenetrabilis est, in quo possimus omnia tela nequissimi ignea retundere. Si quis enim præcipua fidei nostræ dogmata, hoc est, quæ de extremo iudicio tradit, deque sempiterna felicitate piis promissa, & sempiterna item pœna impiis cõstituta, &, quod est longè mirabilius, quæ Dei Filius propter eliminanda peccata in cruce pertulit, piè & studiosè considerauerit; non poterit, nisi ferrei cordis sit, non peius morte omne sceleris contagium odisse, atque illud, tanquam à facie colubri, fugere. Ideoq. nos Petrus Apostolus monet, vt diaboli assultibus fortiter his fidei viribus armati resistamus. Hunc ergo fructum ex his Pauli virtutibus referre curemus, fratres, vt ex fide in fidem proficientes, & noua quotidie incrementa cælestis huius luminis beneficio percipientes, gaudio, pace, spei firmitate & Spiritus sancti virtute repleamur: vt his donis ac virtutibus ornati, Deum tandem non per fidem, & in ænigmate, sed reuelata facie in cælesti gloria contemplari mereamur.

Rom. 15.

IN FESTO VISITATIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ, cõcio prima: in qua Euangelica lectio explanatur.

THEMA. *Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione.* Lucæ 1.

Lucæ 1.

CVM Gabriel Angelus legatus à Deo ad intemeratam Virginem missus esset, qui ei Dominicæ incarnationis mysteriũ, & Christi regnũ annunciaret, his verbis legationis sibi iniunctæ summã exposuit: Ecce, inquit, concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum, &c. Cui cùm sacra

Virgo (quæ pudorem ſuum, hoc eſt, corporis & animi integritatem iam inde à teneris annis Domino conſecrauerat) reſpõdiſſet, Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Angelus, Spiritus ſancti obumbratione, hoc eſt, ope eius atque virtute mirabile illud opus eſſe perficiendum dicit: quod Elizabethæ cognatæ ipſius exemplo confirmauit. Nam cùm illa & anus & ſterilis eſſet, ſexto tamẽ iam menſe grauida erat: Quia non erit, inquit, impoſſibile apud Deum omne verbum. Huius ergo tam felicis nuntij occaſione, *Exurgens Maria abiit in montana cum feſtinatione in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Elizabeth* Recita ad verbum ea quæ ſequuntur, deinde precare gratiam.

Ibidem.

AVE MARIA.

Exurgens Maria abiit in montana cum feſtinatione. Initio ſacræ huius lectionis inquirenda nobis huius feſtinationis cauſa, & paulo fuſiùs aperienda eſt. Principiò verò eſt animaduertendũ, quòd cùm multa ſint quæ immenſam & infinitam Dei noſtri bonitatem hominibus conſpicuam faciãt, tum illud eam ipſam maximè declarat, quòd ita nominis ſui gloriam cum noſtra vtilitate cõiunxit, vt id ſibi putet maximè glorioſum, quod nobis fuerit maximè ſalutare. Propter quod Eccleſia in percelebri illo hymno, cuius initium Angeli cecinerunt, inter alias Dei laudes, hoc quoque ait, Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Quod verò genus gratitudinis hoc eſt? Pro perceptis enim beneficiis ſolẽt homines agere gratias, quibus grati animi ſignificationem præbeant: gloriam verò, quæ nominis claritatem ſignificat, prædicare & commendare, non pro ea gratias agere, ſolent. Quomodo ergo verborum proprietas hoc in loco ſeruatur? Hac nimirum ratione, quòd nulla magis re Dei gloria, quàm ſummis erga genus humanum beneficiis conferendis elucet. Maxima enim eius gloria eſt, homines à morte ad vitam reuocare, & maximis eos beneficiis afficere. Quod quidem apertè apud Eſaiam teſtatur, cùm ait: Propter nomen meum longè faciam furorem meum: & laude mea infrenabo te, ne intereas. Itaque hac ratione laudem ſuam patefacit, quòd peccatorem populum, & effrenatis cupiditatibus in vitia ruentem, à flagitiis & morte propter nominis ſui gloriam illuſtret. Idem etiam Paulus ſignificauit, cùm ait: Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, hoc eſt, vt Deus peccatorum noſtrorũ gratuita remiſſione, pietatis & miſericordiæ ſuæ gloriam illuſtret. Hinc illud Eſaiæ: Propterea exſpectat Dominus, vt miſereatur veſtri: & ideò exaltabitur parcens vobis. Iam verò regius Propheta Pſalm. 71. in quo admirabili orationis grandiloquentia Chriſti regnum & imperium longè lateque

Iſai.48.

Rom.3.

Iſai.30.

propagandum describit, omnem huius imperij gloriam non in armis & potentia (quæ Christo maxima in cælo & in terra data erat) sed in omnibus Gentibus à tetro idolorum cultu ad vnius veri Dei cultum & plenissimam pietatis religionem traducendis, sitam esse demonstrat: vnde ait: Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent. Lingere terram, siue osculari, idem est quod adorare & reuereri: quod Asiatici faciunt, qui, cùm Regem suum adeunt, terram, in signum reuerentiæ, osculantur: quod hodie quoque Sarraceni facere perhibentur. Hoc igitur obsequio Vates sanctus significat, idilorũ cultores, qui Christo Domino infensi erant, qui hostili odio Ecclesiam persequebantur, qui regnum eius euertere totis viribus nitebantur, ad obsequium & amicitiam ipsius esse reuocandos, &, feritate atque impietate deposita, plenissimè illi subijciendos: quod & in alio Psalmo Pater ad Filium ait; Dominare in medio inimicorum tuorum: eos videlicet ex persecutoribus & inimicis ad gratiam & obedientiam tuam reuocando. Iam ergo expende: quid esse possit infelicius, quàm summi illius rerum omnium Domini (sine cuius nutu ne spirare quidem possumus) inimicum esse? Quid miserabilius, quàm hominem ad imaginem Dei conditum, horrenda monstra, hoc est, lapides & ligna, cepas & allia (quod Aegyptij faciebant) pro vero Deo colere? Quid verò felicius, quàm verum Deum agnoscere, & amicum eius, immò filiũ, ac proinde regni eius hæredẽ fieri? Nihil hoc bono felicius, nihil illo malo infelicius. In hac ergo tãta nostra felicitate procuranda, regni & nominis sui gloriam Christus Dominus collocauit; vt videri possit, illum non alia in re, quàm in salute nostra promouenda gloriã suã posuisse: vt omnes meritò cùm Ecclesia dicere debeamus: Gratias agimus tibi propter magnã gloriam tuã: quoniã gloria tua, salus & redemptio nostra est. Quid verò illud? An non magna Dei gloria est, cælum, terram, & omnia quæ cæli ambitu cõtinentur, condidisse? Sed in quem vsum ista omnia condita sunt? Num Deus eget sole, luna, cæterisque sideribus, qui lucem habitat inaccessibilem? aut terræ fructibus & pecorum carnibus, ad victũ, qui ipse sibi sempiternus, inexhaustus, admirabilisq. cibus existit? Cui ergo omnis exercitus cæli, & omnia quæ in terra sunt, nisi homini, famulantur? Longè verò maior diuinæ bonitatis & misericordiæ gloria est, humanitatem nostram induisse, & in assumpta humanitate crucis patibulum pertulisse. Sed in quem huius tantæ gloriæ fructus, nisi in salutem hominis, redundat? Quod ipse quoq. Dominus per Esaiam testatur his verbis: Dabo in Sion salutem, & in Ierusalem gloriam meam. Quam, quæso Domine, gloriam in Ierusalem ostendisti, in qua vinctus, consputus, irrisus, flagris con-

Psal. 71.

Psal. 109

Esaiæ 46

concisus, & inter latrones affixus patibulo ignominiosè fuisti? Nimirum hæc maxima bonitatis & misericordiæ tuæ gloria fuit, nusquam antea simili opere patefacta; quòd tot tantaque supplicia perpeti dignatus fueris, vt homines, quos ardenter amabas, à teterrimis scelerũ impietatisq́. tenebris ad clarissimã pietatis atque honestatis lucem traduceres. Qua certè in re, quo illustrior diuinæ bonitatis gloria apparet, eo salutis nostrę ratio vberior existit. Quod quidem ipse Domini verba apertè testátur, quæ gloriam Dei cum salute nostra coniungunt: Dabo, inquit, in Sion salutem, & in Ierusalem gloriam meam. His igitur ita constitutis, facile erit itineris à sacra Virgine tanta cum festinatione suscepti causam intelligere, quod initiò quærebamus. Si enim gloria Domini in salute nostra promouenda posita est; ipse autem infinito amore & gloriam suam & salutem nostram sitit: quid mirum, si sacra Virgo, à filio acta, quem felici vtero gestabat, tanta festinatione ad sterilis Elizabethæ filium sanctificandum, & ab originis peccato purgandum, & Spiritu sancto replendum properat? Hac enim festinatione Dominus studium salutis nostræ, & ardentissimam in genus hominum charitatem, & infinitam bonitatem suam facilè declarat. Qua in re animaduersione dignissimum est, quã dissimili gressu Dominus ad pœnam sceleribus infligendam, & ad gratiam hominibus conferendam properet. Cùm is enim ad generis nostri principes propter inobedientiæ crimen puniendos venit, deambulando ad auram post meridiem venisse Sacræ litteræ docent. Quid aliud est, Deum deambulare, & post meridiem auram captare, nisi furoris sui æstum suauissimo clementiæ flatu temperare, & lento gradu, hoc est, non celerem, non alacrem atq. prę-cipitem, sed quodammodo inuitum ad vindictam expetendam procedere? At verò cùm ad salutem hominibus reddendam venit, quónam modo venit? Nimirum, Exultauit vt gigas ad currendã viam, &c. Ratio ergo dissimilitudinis huius est; quoniam illic ad iudicandum, hîc ad miserandum; illic ad vulnera infligenda, hîc ad sananda venit: illic vt hominem à paradiso expelleret, hîc vt hominem sibi paradisum deliciarum faceret: ideoq́. illic tepet, hîc feruet; illic puniturus deambulat, hîc seruaturus velociter currit: vt sic eius in puniendo tarditatem, in seruando verò alacritatem possis agnoscere. Quid verò sponsa in Canticis? An non hanc eius velocitatem & studium salutis nostræ in spiritu cernebat, cùm diceret: Ecce iste venit saliens in montibus, trãsiliens colles? Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque ceruorum. Quid ergo mirum, si Virgo salutis nostræ au-ctorẽ intra viscera sua gestãs cum festinatione properat, quando ad dandam Ioanni salutem, & expellendum ab eius anima

Genes. 3.

Psal. 18.

Cant. 2.

peccatum, properat? Cur, quæso, tanta velocitate ignis supera loca, terra verò infera petit? In causa est sanè alterius elementi leuitas, alterius autem grauitas: quandoquidē naturale est ponderosis corporibus descendere, leuibus autē sursum rectà ferri. Quanto erit igitur summo bono magis secundùm naturā benefacere, de omnibus bene mereri; seipsum per omnia diffundere, seque rebus omnibus pro earum captu & natura communicare, suique ipsius participes efficere? Cuius rei consideratio incredibile dictu est quantopere piorum mentes afficiat, & singulari quadam spe confirmet, & in admirationem, amoremque tantæ bonitatis accēdat. Quare minimè mirandum est, si beatissima Virgo in hoc itinere à filio acta, quem intra se gerebat, tantoperè festinet, cū ad Ioannem in vtero sanctificandū properet. Quid verò hæc tanta festinatio commodi vtilitatisq. attulit? Nimirum vt citiùs à peccato infans liberaretur. Hoc autem leue esse putatis? Nemo quidem est eorum qui diuino lumine collustrati, horrendam peccati deformitatem agnoscunt, cui si optio daretur vel vnius horæ spatio in peccato morari, vel mille annis ardentissimo igne cruciari, non prius hūc adeò longum cruciatum eligeret, quàm tam breuis moræ spatio in peccato manere. Quid enim sanctos Martyres impulit, tot, tā varia atq. immania cruciatuū genera forti & inuicto animo subire? quid ignes cōtemnere? rotas despicere? in ebullientes sartagines sese vltrò inferre? ferreas vngulas, equuleosque deridere, nisi peccati deformitatem vel breuissima horula deuitare? Probè namq. cognoscebant & pœnitentiæ virtutē, & misericordiā Domini, qui negantē Petrum plusquā paternis oculis aspexit, & pœnitentiam simul & veniam clementi pietate contulit; eamque sibi in simili infirmitate non defuturam intelligebant. Ne tamen breui illa mora peccati iugo premerentur, nullū supplicij genus recusarunt. Hoc igitur illorum fuit de peccatorum atrocitatē iudicium, qui diuina fuerunt luce atque splendore perfusi. At nos, qui densissimis Aegypti tenebris circumfusi sumus, vt peccati fœditatem non videmus, ita integros in eo annos perseuerare leue esse arbitramur. Erit tamen aliquādo cùm aperiat oculos pœna, quos clausos nunc tenet culpa. Orandus autem modò nobis Deus est, ne tantam hanc deformitatem frustra tunc intelligamus.

Mat. 26.

Sed obijciet aliquis; Si tanta festinatione Dominus accurrit, vt quem præcursorem & præconem suum destinauerat, à peccati iugo eriperet, & Spiritu sancto repleret, quo dignū sibi famulum ac testem hac ratione præpararet; cur sextum iam mensem expectauit? cur Ioānis peccatū in ipsis quasi faucibus non compressit; cùm præsertim nihil minus absens Dn̄s quàm præ-

sens

sens corpore præstare possit? Centurionis enim fides laudatur, quòd absentem Dominum salutẽ seruo suo dare posse crediderit: Reguli autem improbatur, quòd de hoc ipso dubitauerit. Rationem verò mihi videtur satis Ioannes Euangelista expressisse, cùm dixit: Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Vt enim Dominus apertissimo indicio monstraret, bona omnia nobis Christi merito prouenire; noluit amplissimas diuini Spiritus opes in homines effundere, quo vsque peractum & oblatum esset summum illud sacrificium, quod pro humano genere in crucis ara Christus Iesus sempiterno Patri obtulit; cuius merito opes istæ fidelibus impartiendæ erant. Quemadmodum ergo admirandas illas diuini Spiritus opes non antea hominibus conferre Deus Pater voluit, quàm mortẽ Christus obiisset, vt liquidò cõstaret quod Apostolus ait, omni nos spirituali benedictione per Christum donatos esse, eiq́; bona omnia accepta ferri debere; ita Ioannis sanctificationem ad eiusdem aduentum & præsentiam distulit, vt eum esse huius tanti beneficij & gratiæ auctorem videremus. Hoc autem eò spectat, fratres, vt bona omnia quę à Deo accepimus, siue quibus excitamur ad bonum, siue quibus à malo reuocamur, Christo Domino referamus accepta, & ob illius vulnera atque merita nobis donari credamus, illumque tanquam salutis nostrę vindicem, & parentem diligamus, colamus, reuereamur, & suauissima eius vulnera, è quibus tanta donorum cælestium in nos vbertas manat, millies exosculemur. Est verò hac in re diligenter aduertendum, inclusum in Virginis vtero infantem Christum, sanctificationis huius auctorẽ extitisse: ipsam verò Virginem animatum illius instrumentum fuisse, cuius opera hoc tantum opus perfectum est. Quod quidem non obscurè illa Elizabethæ verba insinuant: *Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infãs in vtero meo.* Simul enim vt vox Virginis aures pulsauit annosæ matris, cum ipsa simul voce diuinus ille afflatus totã latentis infantis animã peruasit, admirandisq́. muneribus donauit. Videtis ergo, fratres, Virginis vocem & salutationem, viuum instrumẽtum extitisse, quo Christus Iesus in vtero adhuc delitescens vsus est, vt infantem Ioannem cælesti Spiritu repleret? Vnde sanè liquet, non exiguam beneficiorũ partẽ, quæ fidelibus sempiterni numinis beneficentia largitur, intemerata Virgine sequestre & internuncia donari. Sicut enim Deus Pater omnia hominibus bona per Filium, ita Filius per matrem pleraque cõcedit. Hinc sicut ille mediator apud Patrem, ita mater (vt D. Bernard. ait) apud filium pro hominibus mediatrix est: vt omnes hoc nomine

Matth. 8.
Ioan. 4.
Ioan. 25.
Bernard.

ſicut honorificant Filium, honorificent etiam matrem,eamq. ſibi piis precibus,& rectè factis, propitiam ſemper reddere ſtudeant. Hæc igitur propter Virginis feſtinationem dicta ſint: nunc ad ſequentia veniamus.

I.

Cùm igitur ſacra Virgo domum Elizabeth intraſſet,ipſamq. amãter & comiter ſalutaſſet, *Exultauit*, ſiue ſaliit, *infans in vtero eius,& repleta eſt Spiritu ſanctoElizabeth,& exclamauit voce magna, & dixit:Benedicta tu in mulieribus,&c.*quæ ſequuntur. Ex quibus ſanè verbis liquet, beatam Elizabeth aduẽtum Domini Saluatoris,lætumq.Euangelij nunciũ,& incarnationis Dominicæ ſacramentum Spiritus ſancti magiſterio didiciſſe: illud,inquam, ſacramentum,de quo Paulus ait; Mihi autem ſanctorum minimo data eſt gratia hæc euangelizandi in Gentibus imperueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſeculis in Deo viuo, qui omnia creauit:vt innoteſcat principibus & poteſtatibus,in cæleſtibus, per Eccleſiam,multiformis ſapientia Dei.Hæc igitur myſteria omnia, quæ Paulus Gentibus in paradiſo nuncianda didicerat, Spiritu ſancto tradente beata hæc ſterilis pleniſſimè intellexit. Qua verò tunc admiratione, & quo gaudio affecta fuerit, quæ vis orationis explicare valeat? Conſtat enim inter omnia diuina opera ſummum locum Euangelij ſacramentum,& incarnationis Dominicæ myſterium, tenere. Quibus tamen Dei operibus variè ſolent homines permoueri. Improbi enim,& qui nullo diuini amoris ſenſu tanguntur, viridibus ſunt lignis perſimiles, qui ſubiecto igne vſque adeò non accendunt, vt ipſum frequenter ignem humore ſuo extinguant:homines autem pij, & qui aliquos diuini amoris igniculos internis præcordiis conceperunt,pulueris ſulphurei vim atque naturam imitantur, qui vel leuiſſima ſcintilla vehementiſſimè inflammatur. Vnde ferunt quendam ex beati Franciſci ſociis ita fuiſſe erga diuinas res affectum, vt is ad ſolam paradiſi mentionem extra ſe poſitus raperetur in Deum. Quendam etiam ex illis Aegypti patribus, Siſoim nomine, ferunt receſſum ſemper ad orandum quærere ſolitum fuiſſe, & à cœtu monachorum abſtinuiſſe, propterea quòd vbi primùm orare cœpiſſet, manus in altum, ipſo neſciente, ſimul cum mente ipſa raperentur. Cùm igitur ſanctorum mentes tantopere diuinorum operum contemplatione afficiantur; quid de hac beata femina ſentiendum eſt, cui tam magnifica Dei miracula & ſacramenta (quæ in diutiſſima Sanctorum omnium expectatione verſata, viſa nuſquam antea fuerant) repentè monſtrata ſunt? præſertim cùm per id temporis tota eius mens in diuinæ diſpenſationis myſterio contem-

Ephef. 3.

Simile.

Simile.

templando esset occupata: quæ sterilem feminam, & pariendi annos iamdudum egressam, mirabili conceptu fecundauerit? Nec verò ea vel miraculi huius, vel beneficij auctorem ignorabat, vt quæ, se aliquot menses à conspectu hominum pre pudore subducens, dicebat: Quia sic fecit mihi Dominus in diebus, in quibus respexit auferre opprobriũ meum. Quæ ergo id temporis sic in Deum absorpta erat; quo stupore & gaudio affectã fuisse putatis, cùm tot atque tam magnifica Dei opera & sacramenta Spiritu monstrante vidisset? Si de illis qui claudum ex vtero matris, Petri beneficio ambulantẽ viderunt, scriptum est, impletos stupore & ecstasi fuisse; quo stupore perculsa mẽs illa est; quæ tam multa & magna mirabilia vno simul intuitu vidit, quorum comparatione miracula omnia, quæ ab initio mundi edita sunt, velut vmbræ, solis aduẽtu euanescunt? Et quoniam, vt Aristoteles ait, admirationi lætitia coniuncta est, non minùs vtique beata femina lætitia quàm admiratione hoc die repleta fuit. Iam verò quale gaudium longæuæ matri non solùm præsentia Virginis, sed etiam filij sui gaudium in vtero salientis afferre potuit? Vt enim infans Spiritu sancto repletus, repleuit & matrẽ; ita ineffabili gaudio perfusus, perfudit & matrem. Quomodo enim non tota præ gaudij magnitudine liquefieret, quæ vbique, hoc est, intra & extra se, tot gaudiorum causas videbat? quæ foris quidem cælorum Regem atq. Reginam hospites intra domum suam exceperat, intra viscera autẽ infantem exultare, & Spiritu sancto repleri sensit? Hæ sunt epulæ atque deliciæ, hoc nectar suauissimum, ad quod dilectissimos amicos suos Dominus inuitat, quibus interim eos reficit alitq. quãdiu illud celeste epulum differtur, de quo Dominus ait: Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mẽsam meam in regno meo. Tua sunt hæc opera Domine Iesu, tua hæc beneficia & mira solatia, quibus amicos tuos consolaris; hos videlicet, qui omnibus mundi deliciis propter te renũciauerunt: hi honores quibus eos cumulas, qui omnes propter te mundi honores contempserunt; hæ diuitiæ, quibus eos auges, qui te redemptorem suum in cruce nudum nudi secuti sunt: quorum tamen vim illi solùm percipiunt, qui te flagrantissimè diligunt. Sed iam, relicta matre, ad eius filium veniamus, de quo eadem ad sacram Virginem ait:

Lucæ 1.

Act. 5.

Arist.

Luc. 22.

Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Infans iste, sicut omnes alij, originalis peccati labe infectus, à Deo auersus, & ab eius gratia alienus erat. Ea verò fuit diuinæ pietatis & gratiæ magnitudo, vt nullis præcedentibus meritis, ab eodẽ quo detinebatur peccato fuerit emundat⁹, & Spiritu sãcto repletus, & fidei lumine illustratus, &

ad

ad redemptoris sui cognitionem informatus, in cuius amorem ita exarsit, vt præ amoris magnitudine intra materni vteri angustias salierit, & gaudio exultauerit. Quod sanè gaudium ita fuit cum fidei charitatisque amplissimis donis coniunctum, vt rationis etiam atque intelligentiæ vsu diuinitus videatur fuisse donatus; vt collatorum in se munerum magnitudinē agnosceret, & qua posset gratum animū significatione declararet. Qua sanè inductus, ad hūc modū potuit gratias omnipotēti Deo intra se agere: Quæ te, Dñe, pietas & misericordia impulit, vt inter tot infantes maternis visceribus inclusos, me vnū inuisere, præsentia tua honorare, à cōmuni generis humani labe mundare, & spiritu tuo replere dignatus fueris? Quid in me magis quā in cæteris infantibus spectare potuisti; cùm ego eodem quo illi, sim peccato delibutus, & non aliter iræ filius hostisque tuus, atq. illi extiterim? Sola, Dñe, bonitas tua, inexhausta charitas, immēsa pietas, singulare hoc donū mihi ante omne meritū cōtulit. Quid igitur hoc in loco dicemus, fratres? qua voce, quibus laudibus hanc tantā Dei nostri largitatē prædicabimus? Saluator ergo noster in hunc mundum veniēs, vt gratiarū opes, vt incōparabiles beneficentiæ largitatisq. suæ thesauros hominibus ostenderet, tā multa beneficia, & Spiritus sancti dona in hunc puerū nihil promeritum cōtulit. Facilè enim in Ioanne omnes perspiciunt, quid sibi de Christi misericordia polliceri, quid de singulari eius in homines charitate sperare debeāt. Sicut igitur mundū per passionem & mortem egrediens, quousq. passionis eius virtus pertingeret, in salute latronis ostendit, quem ex cōsortio latronum ad choros transtulit Angelorum: ita mundum nunc ingrediens, hac tanta largitate, quas secum opes ad hominum salutem afferret, ostendit. Vnde facilè quisq. colligere poterit, quid ab eo sperare possit iustus, quādo tantam gratiā consecutus est peccator: quæ illos bona maneant qui solicitè ipsum quærunt, quando talia non quærenti oblata sunt: quæ beneficia collaturus sit in bene meritos, qui talia contulit in immeritum. Itaq. dum infantem hunc gratuitis donis ornat, omnes nos ad bene sperandū inuitat. Quomodo enim negare aliquid illis poterit, qui ipsum diligunt, qui studiosè colunt, qui verentur, qui mandatis eius obtemperant; qui tam liberalis in eum fuit, qui necdum seipsum agnoscebat? Quam quidem spem nostram roborat mortis genus, quo nos Dei Filius redimere dignatus est. Voluit enim omnia eius membra in morte lacerari, & patibulo affigi; quo apertè videremus, illum ligatum iam, ac debilem factum, in potestatē eorum totum venisse, qui illum quærunt, qui desiderāt, qui amplecti & possidere cupiunt. Quomodo enim is resistet, quo toto corpore lacero vires amisit? Quomodo ad illū

accur-

accurrētes fugiet, qui pedibus est ligno infixis? Quomodo amplecti se cupientes arcere poterit, qui manibus est ita impeditis vt sui esse iuris minimè videatur? Nemo igitur adeò infirmus erit, qui infirmum propter nos & debilē factum tenere nō valeat. Si ergo amoris vim, si pietatis studium, si feruēs desideriū, & anteactæ vitę odiū adhibueris, illū certè in tua vota facillimè trahes, quē amoris erga te vis, quē feruēs salutis tuæ desideriū, & quē veteris tuæ vitæ odium innumerabilibus calamitatibus affecit. Cumque omnia virtutum officia apud illum plurimum valeāt, amoris tamē vinculis maximè capitur. Amor enim illū adduxit ad homines; & amor itē homines adducit ad eū. Hinc Guerricus abbas sponsam ait olim dixisse, dilectionem fortem esse vt mortem; quod videlicet verè diligētem ad mortem pro re dilecta obeundam adigeret; at nunc morte quoque ipsa fortiorem esse; quandoquidem auctorem vitæ non solùm ad mortem impulit, sed etiam dilectioni ita subiecit, vt quamlibet aduersus homines iratus sit, amori tamen cedat, amore capiatur, amori vinctas manus porrigat: quòd peccatrix illa mulier in Euangelio declarauit, cui ab eodem Domino dictum est; Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Guerric. Luc.7.

Est & aliud in hoc infantis iubilo obseruandum, quòd non solùm cordis gaudio, sed etiam corporis motu reueritus est præsentiam maiestatis. Siquidem Spiritus sanctus, quo ille repletus fuit, intellectum lumine suo priùs tetigit, deinde hoc eodem lumine voluntatem ad amorem inflammauit; amor autem per inferiores vires animæ effusus, in corde gaudium excitauit, à quo deinde infantilia membra commota sunt, vt nondum natus cum Propheta dicere posset; Cor meum, & caro mea exultauerūt in Deum viuum. Verè ergo Spiritu sancto repletus fuit, cuius spiritum, animam, & corpus cælestis gratia peruasit. Cuius exemplo docemur, fratres, vt non solùm interno, sed etiam externo pietatis & benignitatis studio Dominum colamus. Sunt enim quidam ad spiritualia exercitia propensi, qui tamen ad benignitatis officia, ad quæ non raró vocat necessitas charitatis, tardiores sunt. Tales meminisse debēt quod D. Gregor. ait: Amor Dei nunquam est otiosus: operatur enim magna si est; si autem operari renuit, amor non est. Vt enim ignis densa aliqua nube cōclusus, inferioris loci impatientia exagitatus, huc illuc circumcursat, aditum in supera loca quærens, neque vllo modo conquiescit, donec eo inuento tandem cum fulgore & sonitu se inde proripiat; ita cùm charitatis ignis feruet in mente, contineri se his claustris non patitur, sed in opera tandem misericordiæ erumpit, & internam flammam externa benignitatis ope testatur. Quæ verò charitas hoc non præstat, suspecta nobis Psal.89. Gregor. Simile.

nobis esse debet: & qui eam sibi arrogant, timeant ne illis à Domino dicatur; Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est. Hoc enim præceptum habemus à Deo, vt, qui diligit Deum, diligat & fratrem suum: diligat autem non verbo & lingua, sed opere & veritate.

Matth. 7.

1. Ioan. 3.

II.

Hactenus de matre & infantulo: nunc ad sacram Virginem redeamus. Quid igitur, ô beata Virgo, ad hæc tãta laudum tuarum præconia respondes? Quid, tot ante oculos tuos propositis miraculis, cogitas? quid dicis? Quæ habitas in hortis (immo quæ hortus es conclusus & paradisus voluptatis, in quo nõ terrenus Adam, sed cælestis positus est) amici auscultãt te, fac me audire vocem tuam: vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Quid verò dulcius, quid magnificentius ad præsentis mysterij magnitudinem prædicandam poterat excogitari, quàm sint voces illæ in quas sacra Virgo, Dei Spiritu incitata, erupit: *Magnificat*, inquit, *anima mea Dominum: & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo:* quod Hebræa lingua dictũ est, *In Deo Iesu meo.* Hoc est autẽ illud Canticum, quod ab hominibus Prophetæ diu multumque exigebant, quod tamen hactenus nemo cecinerat. Cantate, ait Propheta, Dño cãticum nouum, cantate Deo omnis terra. Nec semel dixisse cõtentus, alibi rursum ait: Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit. Quid ais, Propheta? Quod genus noui cantici nunquam antea auditi à nobis exigis? Cecinerunt olim sanctæ feminæ cantica multa; quorum tamen nullum nouum, sed omnia vetera fuerunt, in quibus pro collatis olim beneficiis gratias Domino agebant. Sic Anna Samuelis mater, sic Maria Moysis soror, sic Debora, sic etiam Iudith pro parta victoria laudes Domini cecinerunt. Superat autem nouum aliud summumq́. beneficium, quo non vnius quidem populi, sed populorum omnium, gẽtium ac nationũ salus continebatur, quod splendoris sui magnitudine cunctis veteribus beneficiis esset obscuritatẽ allaturum, dicente Dño: Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio noua: nunc orientur, vtique cognoscetis ea. Hoc igitur tantum beneficium non vulgari & communi affectu, sed nouo spiritu, nouo mentis iubilo, nouis laudibus, noua gratiarum actione, nouo denique cantu erat celebrandum, vt magnitudini beneficij Cantici dignitas responderet. Quare meritò Propheta canticum nouum ab hominibus propter hoc cõmunis salutis beneficium exigit: quod B. Virgini ante omnes cantandum iure optimo cõmissum est, vt pro amplitudine muneris esset etiam dignitas cantoris. Ait igitur: *Magnificat anima mea Dominum.* Hoc cantico cælum

Cant. 2.

Luc. 1.

Psal. 95.

Psal. 97.

1. Reg. 2.
Exod. 15.
Iudic. 5.
Iudith 16

Esaiæ 43.

exultat, terra lætatur, inferi contremiſcunt, Angeli applaudunt, dæmones profligantur. Legimus, olim Dauidem cantu ſuo dæmones à Saule Rege fugaſſe: quæ res magno miraculo & myſterio non vacat. Quid enim mirabilius, quàm quòd ille qui ſagittas reputat quaſi paleas, & lapides fundæ quaſi ſtipulas, deridetque vibrantem haſtam (vt eſt apud Iob) cantu ſopiatur atq. fugetur? Quis verò cantus alius hoc efficere poteſt, niſi pius & gratus animus, qui pro acceptæ ſalutis beneficio cantat laudes Redemptori ſuo, per quod diaboli regnum euerſum, & ſerpentis antiqui caput ligno crucis contritum eſt? Qui enim per lignum hominem vicerat, per lignum quoque ab homine ſuperatus eſt. Quare nihil mirum, ſi ad huius cantici ſonum, quod pia grati animi ſignificatione canitur, dæmones fugentur. Quiſquis igitur ex vobis, fratres, importuni hoſtis huius impetum frangere vult, ad citharam Dominicæ crucis confugiat; ibique toto affectu pro hoc tanto ſalutis beneficio Redemptori gratias agat, & cum Propheta dicat; Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis ſaluus ero: immo verò cum ſacra Virgine dicat, *Magnificat anima me Dominum. Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.*

1. Reg. 18.

Iob 41.

Geneſ. 3.

Pſal. 17.

Cæterùm cùm hîc beata Virgo ſpiritus & animæ mentionẽ faciat; quærendum videtur, quid inter vtraque diſcriminis ſit. Et quidem hoc in loco pro eodem arbitror ſpiritum atque animam poſita eſſe: verùm cùm Apoſtolus precatur, vt integer ſpiritus & anima & corpus noſtrum ſit; aliquid inter hęc diſcriminis intercedere fatendum eſt. Anima igitur eſt quæ animat ac vitam dat corpori (cuius ſunt omnes vitæ operationes, quæ videntur in corpore) quæ tamen vim habet quãdam, qua auocare ſe à corpore poſſit, atque ad Deum conuerti: & tunc quidem in ſpiritum tranſit, vocaturque ſpiritus. Cuius rei vt capaciores ſimus, accipiamus ab igne ſimilitudinem. Nam ignis cùm materiæ admouetur quæ inflammari poſſit, primò quidem eam inuadit, mireque contendit, atque vbi in illam vim ſuam naturamque transfuderit, vires quodammodo colligere videtur, vt materia relicta, purior atque defecatior ſurſum ad ſuam ſphæram conuolet: quod flammæ ſplendor, forma atque figura ſatis declarant. Ad eundem ergo modum anima, dum animat corpus, communicat ſe illi viuificando, atque ea parte corporeæ naturæ eſſe videtur; quemadmodum ignis ligni viſceribus incluſus, craſſitiem quandam induit. Verùm dum ſe anima à corporis mole quodam modo ſeiungit, neque iam ſenſuum abiectione depreſſa, ſed diuini ſpiritus afflatu erecta, purior redditur; in ſpiritum fortiſſimum, qui in ſuperiora feratur, virtute charitatis euadit. Atq. hic ſpiritus (ſi hominis naturam Philoſopho-

1. Theſ. 5

Simile.

sophorumque placita spectemus) est acumen ipsum rationis, & intellectus animæ, quo in primis percipitur Deus. Hanc autem planè cælestem ac diuinam facultatẽ (qua speciem & imaginem Dei referimus) nobis ille contulit: nõ vt eam ad res terrenas & viles abiiceremus, (contra omnes enim naturæ leges fit, cùm id quod præstantius est, ei seruit quod ignobilius est) sed vt rebus omnibus terrenis infrà relictis, supra mundum assurgere, cęlorũ secreta penetrare, & beatas illas mentes imitari possemus quæ in diuinæ pulchritudinis specie contemplanda oculos semper defixos habent, quo spectaculo incredibili voluptate pascuntur. In hunc igitur vsum hæc superior animæ portio, quã spiritum appellamus, data nobis est: cuius vsu spirituales atque diuini efficimur, cùm alterius vsu pecudibus similes efficiamur. Quocirca sapienter admodum Seneca: Nisi ad hęc, inquit, superna admitterer, nõ fuerat operæ preciũ nasci. Quid enim erat cur in numero viuẽtium me positum esse gauderem? An vt cibos & potiones percolarem? vt hoc corpus casurum ac fluidum, periturumq. nisi subinde impleatur, farcirẽ? & viuerẽ ægri minister? vt mortẽ timerẽ, cui omnes nascimur? Detrahe hoc inęstimabile bonũ, nõ est vita tãti, vt sudẽ, vt æstuẽ. O quã contẽpta res est homo, nisi supra humana se erexerit! Tũc verò consummatũ habet plenũq. bonũ sortis humanæ, cùm calcato omni malo petit altũ, & in interiorẽ naturæ sinũ venit. Tũc iuuat inter sidera ipsa vagantẽ, diuitum pauimenta ridere, & totã cũ auro suo terrã; nõ illud tãtum dico quod egessit, & signandũ monetæ dedit, sed illud quod in occulto seruat posterorũ auaritiæ. Cùm ergo hęc sublimia animus tetigit, alitur, crescit ac velut vinculis liberatus in originem redit. Et hoc habet argumentum diuinitatis suæ, quòd illũ diuina delectãt, nec vt alienis interest, sed vt suis. Hactenus Seneca. Cuius doctrinâ video quàm sit deplorãda illorum sors, qui hac excellẽtissima sui portione in hoc cæleste munus nõ vtuntur, sed fœdissimè potiùs abutũtur, dum ad excogitãdas solùm subtiles, & varias lucrãdi, ambiendi, circumueniendi, & carnis oblectãdę artes illã accõmodant; quibus nobilissimã sui partẽ, ac planè diuinã, vilissimum effrenatæ carnis mãcipium faciunt. Potest quidẽ hæc omnia mens nostra acumine suo inuestigare & inuenire, sed in hunc vsum hominibus data nõ est. Potest sanè coquus eo linteo quod Hollandicũ vocãt, discos & cacabos mundare, sed nõ in hoc tã pretiosa lintea instituta sunt. Atq. vt apertiori exẽplo huius rei indignitatẽ exprimã, contingit planè talibus, quod Regio infanti vsu veniret, qui in siluis expositus, atq. à pastoribus repertus, cùm rusticanè fuisset educatus, quãuis Regia indole esset præditus, rusticitatẽ tamẽ illã quã educatione cõtraxerat, nõ facilè exueret, neq.

Seneca. *Simile.* *Simile.*

neq. negotia alia quàm rusticana cogitare atq. tractare posset: verùm si quis illũ admoneret Regij generis, & quo pacto furtim sublatus in siluis fuisset expositus, & in humili illa atq. abiecta vita tãdiu versari coactus, mox quidẽ sese ingenuus animus erigeret, ac pudere illum inciperet rusticanæ vitæ & sordis: atq. siluestribus cogitationibus abiectis, rationẽ quæreret, quã repetere pristinã nobilitatẽ posset. Non secùs quidẽ ij faciunt, qui, cùm nihil vnquã dignum vero homine aggressi fuerint (eo quòd de sua nunquã dignitate cogitauerunt) aliquando tamen à graui illo veterno emergere incipiunt. Continuò enim pudet eos tãdiu malè actæ vitæ, & nouum sibi viuẽdi genus instituũt. Sed quid hæc frustra vestris auribus insusurramus? Quis corda hominum ab hoc immodico terrenarum rerum studio poterit auocare? Omnes, inquit Propheta, cõuersi sunt ad cursum suũ, quasi equus impetu vadens ad prœlium. Pondere enim mortalitatis ac peccati (quod quasi talẽtum plumbi esse dicitur) pressi, ad terrã deuergunt, terrã ambiunt, terrã sitiũt: terrena semper animo voluunt; & oculos deniq. suos statuerũt declinare in terram, quasi qui nihil prorsus haberent quod in cælo expectare possent. Hos autem, quãdiu ita viuunt, à se repellit Dominus, nec dignos putat quos in seruorũ suorũ numerum adscribat. In cuius rei typum Gedeoni præcepit, vt cùm ad aquas cum exercitu cõtra Madianitas venisset, eos solùm ad bellũ eligeret qui caua manu potassent aquas: eos verò qui prono in terrã corpore sese aquis ingurgitassent, ab exercitu pelleret. Quis hoc temerè credat à Deo fuisse imperatũ? Qui verò sunt qui caua manu bibunt aquas, nisi qui terrenis facultatibus vtũtur, vt naturę necessitati, non vt voluptati satisfaciant? qui, habentes alimẽta, & quibus tegantur, cõtenti sunt? Qui sunt autẽ, qui toto corpore in terrã deiecto se aquis ingurgitãt, nisi qui mentẽ, qui animã, qui corpus & omnes corporis sensus, qui denique spes omnes, curas, & cogitationes suas in res fluxas & interituras abiecerũt? Hi namq. cælum repudiasse, & solã terrã ita cõplexi esse videntur; vt si illis à Deo tribueretur in terris perpetuò versari, & beata Dei visione in omnẽ æternitatẽ carere, id in maximi beneficij loco ponerẽt. O curuas hominũ mẽtes! ô pectora cæca, & propriæ dignitatis, atq. adeò suæ professionis oblita! Horum igitur studiis reiectis, fratres, illos nobis ante oculos proponamus, eorũ vestigiis insistamus, eorũ sobrietatẽ & parsimoniam sectari studeamus, qui terrenis rebus vel parcè sumptis, vel omnino repudiatis, pro terrenis cælestia, pro caducis ęterna, pro modicis magna, & pro celeriter interituris, perpetuò mansura bona à Dño perceperũt: quæ nobis cõcedere dignetur Dominus Iesus, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Hier. 8.

Zachar. 5.

Psal. 16.

Iudic. 7.

1. Tim. 4

IN EODEM FESTO VISITATIONIS BEATÆ VIRGINIS MARIÆ, CONCIO secunda: in qua lectio Euangelica explanatur.

THEMA. *Exurgens Maria abijt in montana cum festinatione.* Lucæ 1.

CVm multa sint quæ imbecillos homines à virtutis atque pietatis cultu auocare queāt; tum illud certè eorum poterit pia studia retardare, si præmia quæ virtutum sunt officiis proposita, ita in futuram vitā reseruari putent, vt nullum in hac mortali vel laborum solatium, vel ærumnarum leuamentum piis atque religiosis viris sperandum esse à Deo arbitrentur. Est quidem præmium illud quod in futuro seculo expectamus, non modò amplum atque magnificum, & quod voluptates omnes quæ percipi in hac vita possunt, infinitis partibus superet; ea tamen est Dei nostri misericordia atque benignitas, vt piorum studia, in hac etiam ærumnosa vita, multis mirisque modis iuuare atque incitare soleat. Aliter enim quomodo verum esset quod Paulus ait; Pietas ad omnia valet, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ? quî item illud quod Saluator ait: Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia (quæ scilicet ad vitæ vsum pertinent) adiicientur vobis? Quid præterea sibi vellet magnifica illa Dauidis promissio; Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum. Diuites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum non deficient omni bono? Quid enim hac promissione magnificentius, qua piis nihil defuturum promittitur? Deniq. tam multa sunt huius rei in litteris sanctis testimonia, vt omnes ferè illarum paginæ nihil frequētiùs ob oculos ponāt, quàm præsentissimos diuini numinis fauores, opes, auxilia, & varia (vt ita dixerim) priuilegia, quibus pios in hac vita Dominus tueri & ornare nunquam intermittit. Vnde cùm multa sint quæ mentes hominum ad virtutis & religionis studium excitare possint; tum illud maximè hoc præstat, quòd hac ratione cunctarum promissionum & donorum, quæ piis in hac vita cōstituta sunt, participes efficiuntur. Quemadmodum enim vbi quis auctoritate regia in nobilium est ordinē ascitus, nobilium priuilegiis gaudet; & qui sacris initiatus est, eisdem potitur priuilegiis quibus Ecclesiæ ministri potiuntur: ita planè qui ex diaboli seruo Dei seruus effectus est, earum promissionū ac priuilegiorum,

1. Tim. 4.

Matth. 3.

Psal. 33.

Simile.

legiorum, quibus suos Dominus afficit, particeps efficitur. Hũc autem insignem dignitatis gradum regius Propheta à Deo petebat, cùm diceret; Aspice in me, & miserere mei secundùm iudicium diligentium nomen tuum: hoc est, hanc vnam à te, Domine, misericordiam peto, vt ita me tractare velis, quemadmodum tui amantes soles; vt iisdem videlicet me paternæ pietatis oculis aspicias, eandem mei curam geras, & eisdem beneficiis atq. muneribus prosequaris: hoc enim pro maxima mea felicitate computabo. Hanc verò paternam erga pios curam sacra Virgo in hodiernæ solennitatis Cantico satis expressit. Nam vbi clarissima dona quæ in se Dominus contulerat, mirabiliter amplificasset; ne quis putaret summam hãc Dei beneficentiam ad ipsam solùm pertinere, adiecit: Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Quam sententiam eisdem penè verbis idem Spiritus sanctus Dauidis ore protulit, cùm ait; Et misericordia eius ab æterno & vsque in ęternum super timentes eum: vt iam non in altero seculo modò, sed in omni tempore misericordia Domini (quæ bona omnia complectitur) eos comitari constet, qui nihil aliud in vita curant, nihil sapiunt, nihil maiori contentione quàm diuinis obsequi præceptis student; vt quemadmodum illi totos se Deo tradunt, ita totum se illis vicissim Deus omnipotens tradat. Cuius etiam locupletissimi testes mihi quidem beneficia illa esse videntur, quæ à Deo hodierna die non in Virginem tantùm sanctissimam, sed in sterilem etiam cognatam; & Ioannem infantem, pro suo cuique gradu collata sunt. Quæ vt explicare aptè possimus, cælestem opem, eiusdem sanctissimæ Virginis interuentu, suppliciter imploremus.

Psal. 118.

Lucæ 1.

Psal. 103.

AVE MARIA.

Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione. Variæ huius itineris causæ fuisse videntur. Primùm enim hoc iter beata Virgo suscepit, vt nouum atque ingens miraculum, quod in sterili Elizabeth diuinam potentiam fuisse operatam ab Angelo acceperat, & oculis cernere, & cùm ea aliquãdiu versari, & diuinam in eo potentiam & gratiam agnoscere, suspicere & adorare posset. Hoc enim vel præcipuum sanctorum hominum studium est, diuinorum operum contemplatione animum pascere, & in eis die ac nocte meditari. Vnde quidam eorum aiebat: Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis: hoc est, toto pectore, Domine, in operibus tuis perscrutandis & contemplandis exercebor: quo enim magis in illa mentis oculos intẽdo, eo maiori animus meus admiratione reficitur, maioribusque deliciis pascitur. Sed præcipua tamen huius itineris causa, singularis quidã diuini Spiritus impulsus fuit. Nunquã enim Virgo Deo

Psal. 138.

plena aut iter aliquod suscepit, aut quiduis aliud molita est, quin id Spiritu sancto intus suggerente fecerit, qui omnes illius gressus & motus dirigebat. Si enim Paulus iter suum in vrbem Romam sine Dei voluntate conficere non audebat; quid de illa censendum est, quæ tanto maiori gratia præstabat, quanto ad maiorem dignitatem electa fuerat? Ab hoc ergo Spiritu impulsa, iter hoc suscepit, qui eius aduentu infantem intra materna adhuc viscera hærentem sanctificare, & cælestibus donis replere volebat; sicut Gabriel Angelus Zachariæ patri fuerat antè pollicitus.

Rom. 1.

Lucæ 1.

Sed quid est, quod sacer Euangelista non satis arbitratus est, quòd in montana Mariam Virginem abiisse dixerit (cùm hoc ad gestæ rei cognitionem satis esse videretur) quin festinationem etiam expresserit, quam in eundo habuit? Nemo erit adeò diuinarum litterarum rudis, qui aliquod in eis verbum otiosè positum esse audeat affirmare. Qui enim nihil in rebus conditis otiosum fecit, quique nos etiam ab otiosis verbis abstinere iussit, non committet, vt diuini Scriptores (per quorum ora ipse locutus est) verbũ aliquod otiosum proferãt. Huius ergo Virginis festinatione (quæ à Spiritu sancto agebatur) docemur, qua animi alacritate & promptitudine viri sancti Dei præceptis obtemperare, & illi obsequi atque inseruire soleant. Cùm enim nihil illis sit antiquius, quàm Deo placere, cùm se totos illius obsequio & voluntati dicauerint, cùm se non iam sui iuris, sed alieni esse intelligant, cùm illum toto corde, tota anima, tota mente supra omnia diligant; cùm deniq; se non ob aliud à Deo conditos, & in hãc lucem missos, nec ob aliud in hac vita seruari, ali, ac retineri intelligant, quàm vt cõditorem suum diligant & venerentur, seq́ue totos illius voluntati & obsequio addicant: fieri certè vix potest, quin in hoc vnum ita sint alacres & expediti, & vsque adeò in diuinam hanc voluntatem persequendam intenti, vt semper cum Apostolo non tam verbis quàm re ipsa dicere videantur: Domine, quid me vis facere? Itaque vt famuli, qui ad fores palatij Regum excubant, sic ad vocantis domini vocem attenti sunt, vt cùm primùm illa insonuerit, sine vlla mora accurrant, & sermonẽ quem cum amicis magna cum voluptate conferebant, maiori cum iucunditate intermittant: sic fideles Christi serui ad Dñi sui non modò vocem, sed etiam nutum, rebus omnibus posthabitis, parati sunt & expediti. Cuius rei imaginem sacra illa Ezechielis animalia exhibent: quæ vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, siue aliquò eundum, siue redeundũ esset; idq́ue tanta celeritate, quanta vix vlla percipi maior posset. Animalia enim, ait, ibant & reuertebãtur in similitudinem fulguris coruscantis. Nullis autem verbis potuit magis

Mat. 12.

Act. 9.
Simile.

Ezech. 1.

gis celeritas obedientiæ ſanctorum explicari,qua non modò diuinis præceptis, ſed nutibus etiam, vt diximus, & internis motibus obtemperant. Quocirca, quemadmodum in militaribus equis ea facilitas, qua freno aptiſſimè parent, potiſſimùm laudari ſolet,vt ſeſe ad domini voluntatem huc atq. illuc facillimè verſent: ita in ſeruis Dei miro modo hæc obediendi promptitudo atque velocitas commendatur. Hinc Ioannes Caſſianus primam inter Aegypti monachos virtutem fuiſſe ait obedientiam, quam quidem tanta alacritate præſtabant, vt Abbate ad aliquod opus vocante, ille cui ſcribendi libros cura commiſſa erat, opus illico ſuum ita deſereret, vt nec cœpti quidem apicis effigiem auderet conſummare. Nec minus interim Abrahæ obedientia commendatur, qui cùm nonagenarius iuſſus eſſet à Domino circumciſionis cauterium ſuſcipere, eadem ipſa die & ſe,& Iſmaëlem filium, & omnes vernaculos ſuos circumcidit, nec in ſequētem diem diſtulit.Iuſſus etiam filium Iſaac immolare,ſtatim ipſa nocte illum excitauit, & iter in montem à Deo deſignandum ſuſcepit. Rurſus cùm tres ad illum Angeli in humana ſpecie (Sodomam vaſtaturi) veniſſent, & ipſe eis hoſpitalitatis ſtudio conuiuium apparare vellet, feſtinauit ad tabernaculum Saræ,& illam accelerare iubet,vt tria farinę ſata commiſceat: ipſe verò ad armentum currens, tulit inde vitulum tenerrimum, tradiditque puero, qui feſtinus coxit illum. Videtis in hoc hoſpitalitàtis officio quanta ſit celeritas, & feſtinatio? Abraham feſtinat,Sara feſtinat,puer Abrahæ feſtinus Domini præceptum exequitur. Quo in loco Origenes: Nullus, ait, piger eſt in domo ſapientis: omnes ad parendum celeres, omnes alacres & expediti. Neſcit enim (vt Ambroſius ait) tarda molimina Spiritus ſancti gratia. Ad hanc autem alacritatem & celeritatem hodie Sponſus ſponſàm miris magniſque rationibus, ſuauiſſimiſque appellationibus vocat: Surge, ait, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni: ſubditque aduentus & celeritatis cauſam; Iam, inquit, hiems tranſiit, imberabiit & receſſit, &c. hoc eſt, iam legis hiems tranſiit, qua charitas hominum propter gratiæ inopiam frigebat; & vernum Euangelicæ gratiæ tempus aduenit, quo Sol iuſtitiæ propior nobis factus, maiori nos luce, & calore perfundit. Quocirca cùm illud tempus propter rigoris & imbriū magnitudinem minus ad itér faciendum aptum ſit,vernum autem commodiſſimum; ideò noli hanc, ſponſa, temporis opportunitatem ad me veniendi prætermittere. Nec ſemel tam blandis vocibus admonuiſſe contentus, eandem iterum ſententiam ſimilibus verbis repetit, dicens; Surge, propera amica mea, ſpecioſa mea,& veni,columba mea,&c. Quòd ſi quæras,cur tanta

Simile.

Caſſian.

Geneſ. 17

Geneſ. 12

Gen. 18.

Orig.

Ambroſ.

Cant. 2.

Cant. 2.

cura, totque rationibus hæc à cælesti sponso alacritas & festinatio (quam feruor spiritus & charitatis ardor imperat) à nobis exigatur, in causa esse D. Bonauentura respondet, quòd nulla ratione celeriùs ad culmen quisquam perfectionis, quàm hac celeritate & feruore spiritus peruenire possit: adeò vt multo magis homines hoc studio, vnius anni spatio in virtute proficiant, quàm qui lento incedunt gradu, multorum curriculis annorum. Celebris enim diui Thomæ sententia est, charitate (in qua vitæ Christianæ summa constituta est) non remissis actibus, sed vehementioribus & ardentioribus augeri & intendi. Quod etiam in habitibus, qui vsu & exercitatione parantur, apertè cernimus. Si quis enim viginti annos scribẽdo insumat, negligat autem emendatè scribendi curam, ideoque deformes characteres semper effingat, is planè tam longo scribendi vsu nihilo dexterior in scribendo euadet, sed qualis initio fuit, talis etiam in fine erit: at si biennio saltem proposito eleganti exemplari, accuratè scribat, & seipsum quotidie superare contendat, non dubium quin (si natura & ingenio penitus nõ destituatur) elegantissimus scriptor euadat. Idque in quauis alia exercitatione vsu venire cernimus. Quod ergo in habitibus studio acquisitis contingit, idem etiam in charitatis habitu augẽdo euenire diuus Thomas asserit; quamuis hic non efficienter, sed meritoriè (vt Theologi loquuntur) augeatur. Hoc igitur in causa est, fratres, cur multi, qui iam dudum à peccatis resilierunt, multi, qui multos annos frequentissimè aut sacram Eucharistiam perceperunt, aut Missas etiam quotidie celebrarunt, nihilo meliores tanto temporis spatio se euasisse sentiant, sed idẽ in eis languor animi perseueret, eadem leuitas & inconstantia, eadem mentis ariditas, eadẽ in edendo, bibendo, & inaniter loquendo licentia, idẽ iræ aculeus, ac postremò eadẽ affectuum & cupiditatum vis nihilo magis compressa inueniatur; adeò vt vix quidquã aut in spiritu lenitatis, aut humilitatis, aut feruore charitatis, aut clariore rerum diuinarũ cognitione profecerint. Huius igitur tantæ sterilitatis causa est, quòd res diuinas atque sacratissima mysteria languidè & negligenter tractare consueuerint. Hic enim Dei nostri mos est, vt talem se hominibus exhibeat, quales se illi homines exhibere solent; hoc enim illa Prophetæ verba significant; Cum sancto sanctus eris, &c. Qui ergo magno studio & feruore animi Deum quærit, magna quoque ab eo auxilia percipit, magnisque diuini splendoris radiis illuminatur, quibus in Dei amorem mirabiliter exardescens, magnos quotidie in virtute progressus facit. Hoc enim illa spõsæ verba indicant; Post te in odorem vnguentorum tuorum curremus: hoc est, cum donorum ac beneficiorum tuorum odorem

In Stimulo diuini amoris.

S. Th. 22.

Simile.

Psal. 17.

Cant. 1.

rem mirabilemque suauitatem mens nostra olfecerit, sic eorundem ardore & cupiditate inflammabitur, vt toto animi impetu post te, tantorum bonorum auctorem, non incedat modò, sed cursu rapidissimo feratur. Cæterùm qui inertia & fastidio torpentes, segniter Deum quærunt, neque potentissimis illis atque cælestibus stimulis incitantur, quibus suos diuina vis ad bene agēdum inflammare solet, non magis afficiuntur cùm diuina tractant, quàm cùm ea negligunt. In quem sensum D. Gregorius verba illa beati Iob interpretatur: Si venerit ad me, non videbo eum; & si abierit, nō intelligam. Diuina quippe visitatio & illustratio propter negligentium languorem & socordiā adeò tenuis & obscura est, vt ferè nihilo magis illa afficiantur cùm adest, quàm cùm abest: ideoque neque accedentem ad eos Dominum, neque recedentem sentiunt, atque ita sui penè similes in omni vita permanent. Vtrumque autē paucis Salomon expressit, cùm ait: Egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium diuitias parat. Et iterum, Manus fortium dominabitur: quæ autem remissa est, tributis seruiet. Seruiet enim variis affectibus, seruiet mundo propriæque voluntati: quibus omnibus inertes homines obedientiæ tributa pendent: à qua seruitute manus fortium libera est. Vnde hoc vel maximum inter vtrosque discrimen esse videtur, quod isti (quantum ad celeritatem parendi attinet) sunt instar sphærici corporis in plano constituti, quod leuissimo tactu, atque adeò solo flatu, quocunque volueris, mouetur; illi verò instar onustę nauis, quæ nisi vehementissimis flatibus concussa fuerit, immota manet. At quanto aliter hodie sacra Virgo, quæ Spiritus sancti ductu ad cognatam venire iussa, cum festinatione ad montana processit. Quamuis enim ardua sit via salutis (est enim ascensus in cælum) vis tamen diuini Spiritus impedimenta omnia vincit. Sed iam ad sequentia veniamus; subdit enim Euangelista:

Gregor. in Moral.

Prou. 10.

Prou. 18.

Simile.

I.

Et intrauit domū Zachariæ & salutauit Elizabeth. Minutus in hac historia videretur Euangelista, qui non modò festinationem, sed etiam salutationem Virginis describit (quam quiuis alius historiæ scriptor prætermittendam putaret) nisi hæc omnia mysteriis grauida essent. Hoc enim ad Virginis gloriam maximè pertinet, cuius vocem Christus Dominus, qui in eius vtero delitescebat, instrumētum esse voluit; per quam ad Ioannem gratiæ sanctificatio perueniret. Ideo namq. in Cant. cùm mystici corporis, hoc est, Ecclesiæ membra designantur, Christo quidem capitis, Virgini autem colli nomen tribuitur: colli, inquam, quod Christo capiti adhæret; per quod à capite ad corpus

Cant. 7.

omnes gratiarum atque donorum influxus manant. Sequitur enim; *Et factum est vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius.* Quid mirum, si, salutante Virgine, salus illi domui facta sit, cùm eam Apostolis Dominus facultatem concesserit, vt si intrantes domum, pacem hospitibus bene precarentur, super illos pax Domini requiesceret? Cùm igitur sacra Virgo salutem Elisabethæ bene precata fuerit, vera & certa salus (quę non alia quàm Spiritus sanctus est) in eius animam descendit. Quo Spiritu acta, in hæc pietatis & deuotionis plenissima verba prorupit, *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Verè benedicta tu, quia benedictus vteri tui fructus. Non sanè quia tu benedicta, ille benedictus; sed quia ille te omni benedictione spirituali in cælestibus benedixit. In cæteris quidem arboribus fructus ab arbore commendatur: hic autem diuersa ratione fructus arborem nobilitat & commendat. Huius autem arboris benedictus fructus omnia illa damna reparauit, quæ ex interdictæ arboris fructu in mundum inuecta sunt: vt hac ratione diuinæ sapientiæ ordinem agnoscamus, qui, qua via mors introiuit in mundum, eadem ipsa vitam reuocare constituit. Femina siquidem fuit, quæ mortiferum fructum viro suo, & in viro, mundo præbuit: & femina item fuit, quæ vitalem fructum mundo contulit, vt meritò & arborem, & salutarem eius fructum cum beata Elisabeth sine intermissione laudare debeamus, dicentes; *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui*, qui nobis antidotum & medicamentum aduersus venenatæ arboris fructum attulit.

Luc. 10.

Dissimile

Et vnde, inquit, *hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* quasi dicat: Quæ mea dignitas, quæ mea merita, vt mater Domini ac Regis Angelorum ad me venire dignetur? Huic simillima sunt Centurionis verba, quibus ad Dominum dixit: Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum, &c. Vt igitur fideles hæc Centurionis verba, cùm ad sacram Eucharistiam accedunt, vsurpare solent: ita hæc Elisabethę verba simili affectu, similique deuotione pronunciare deberent. Idem enim ille Dominus qui in vtero Virginis delitescens, domum Elisabeth intrauit, idem, inquam, in illa sacra hostia latens, in corpus & animam tuam intrare, & eam gratia sua sanctificare dignatur. Cur ergo hac tanta Dei tui dignatione stupefactus, non cum eadem femina clamas; Vnde hoc mihi, vt veniat Dominus meus, immò rerum omnium Dominus, in hanc ruinosam & sordidam domum? O si quis ita cælesti spiritu afflatus esset, vt simili affectu, similique ardore, & admiratione perculsus, in hæc eadem verba communicaturus prorumperet! Porrò si semestris infans in vtero clausus hanc Domini sui præsentiam ferre

Matth. 8

non

non potuit, quin totus exiliret, & in occursum eius gestiret erumpere, mirabilique gaudio in materni vteri angustiis conditus tripudiaret: quid homines, rationis compotes, fideque ad hanc tantam maiestatem & dignationem agnoscendam instructos facere par erat, cùm eidem Domino ad eos venienti occursant? Quæ enim dignatio maior? quod diuinæ bonitatis & charitatis, paternæque indulgentiæ clarius argumentum, quàm quòd summus ille rerum Dominus, qui lucē habitat inaccessibilem, qui sedet super Cherubin intuens abyssos, quem in cælis laudant astra matutina, velit non modò in angusto & sordido terræ huius gurgustiolo cum hominibus habitare (quod in omnibus templis cernimus) verùm etiam pectus hominis intrare, cum eo discumbere, & se vnum cum eo efficere? Ob hoc enim in specie cibi fidelibus tradi voluit, vt quemadmodum ex cibo & edente vnum fit, ita ex ipso & communicante homine vnum fieret; quòd summæ dilectionis argumentum est. Cùm enim amor animorum vnio sit, nullum certè maius est amoris indicium, quàm amantem cum amato vnum ita fieri velle, vt ab eo nunquam diuellatur. Quam rem significare volentes Poëtæ, duos olim extitisse viros fabulantur, qui cùm sese mira charitate complecterentur, leges omnes amicitiæ summa fide & integritate seruarunt. Quorum vsque adeò fuit mutua charitate delectatus Vulcanus, vt fidem illis suam adstrinxerit, facilè eos quodcunque à se vellent, beneficium impetraturos. Cui eorum alterum ad hunc modum respondisse ferunt; Heus Vulcane, qui inter Deos faber ferrarius haberis, si eo nos cupis beneficio afficere, quo neque vllum à te nobis præstari maius, neque experi à viris amicissimis præstantius potest; fac vt qui duo sumus, in vnum corpus & animam transeamus. Si igitur sapientes viri hoc exemplo veræ dilectionis vim atque naturam exprimere voluerunt; quod maius diuinæ charitatis in homines indicium, quàm quòd Deus inter homines homo factus, vnum cum hominibus huius sacramenti perceptione fieri velit? Quod enim amici illi optare, sed consequi minimè potuerunt, hoc Deus homini per gratiam præstat, cum se illi in cibum tradit. Quod quidem nulla sua necessitate, sed maxima nostra vtilitate fieri optat. Summa enim hominis perfectio in hac felici cum Deo vnione posita est. Eam enim in cuiusdam circuli absolutione positam esse aiunt, vt videlicet homo qui per amorem à Deo conditore exiit, amore quoque in ipsum redeat. Amor enim Deum impulit ad hominis creationem, & amore item homo in suum principium recurrens, suam consequitur perfectionem. Naturæ enim perfectio est, eò vnde primum fluxit, conueniens, & apta conuersio. Neque enim aliunde petendum

1. Tim. 6.
Dan. 3.
Iob 31.

Fabula.

est

est vitæ extremum, quàm vnde vitæ principium duximus.

Post hæc igitur admirationis & reuerentiæ verba, addit sancta femina admirationis causam, his verbis: *Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit gaudio infans in vtero meo.* Quibus sanè verbis liquidò constat, Angeli promissionem fuisse impletam, vt scilicet nasciturus Zachariæ filius Spiritu sancto repleretur adhuc ex vtero matris suæ: hoc enim pueri gaudium à Spiritu sancto in eius animam intrante manauit.

Luc. 1.

A quo sanè Spiritu primùm ita fuit in gratia confirmatus, vt ab omni lethali crimine in vita immunis seruaretur: quod munus & Apostolorum fuit, & beatarũ mentium est, quæ sunt in gratia confirmatæ. O felicem illum, cui ante resurrectionis gloriam hoc tantum munus collatum est! Felicem, cui summa hæc felicitatis prærogatiua in mortali hac vita cõtigit, quæ non nisi post transacta militiæ certamina electis dari solet in patria! Felicem iterum atque iterum infantem, qui iam à diaboli insidiis tutus, gratiæ depositum, quod modò accipit, integrum Domino suo redditurus est; innocentiamque semel traditam ita seruaturus, vt neque à gratia & amicitia Dei excidere, neque puritatẽ suam vlla vnquam lethali pollutione maculare valeat! Nos vel hoc nomine miseri, qui in freto grauissimis tempestatibus æstuanti nauigamus, qui in hac vita militamus, quæ tota tentatio est; qui cum scorpionibus habitamus; qui in medio laqueorum positi sumus; qui super aspidem & basiliscum ambulamus; qui cum antiquo serpente continenter bellum gerimus, certi de pugna, incerti de victoria. Nec enim seruata diu innocentia securos nos reddere potest, cùm ea nec Dauidẽ sanctissimum, nec Salomonem sapientissimum, nec Nicolaum Spiritu sancto plenum, & ab Apostolis inter primos Ecclesiæ diaconos electum, à fœdissimo casu liberauerit. Petrus quoque Apostolus qui tot Domini miracula viderat, qui ex summi Patris reuelatione latentem in humanitate diuinitatem agnouerat, qui hac fide roboratus super aquas maris ambulauit, cùm eam in se animi firmitatem sensisset, vt dicere verè posset: Etiã si oportuerit me mori tecum, non te negabo: vix animosa hæc verba protulerat, cùm fœdissimè lapsus est. Si igitur tales ac tanti viri ita corruerunt; quis adeò stupidus, & infirmitatis suæ nescius erit, qui similẽ casum non formidet? Et horum quidam post lapsum surrexerunt, alij verò in eodem ad finem vsque miserabili obstinatione perstiterunt. Quis autẽ nostrûm scire potest, an sit resurrecturus post ruinã, cùm hoc opus magis sit diuinæ virtutis, quàm humanæ facultatis? Quis scit, an nobis aliquando contingat, quod iuniori cuidã monacho Io. Climacus memorat accidisse? Quem cùm magnus Antonius studiosum ac feruentem

Eccli. 2. Psal. 90. Act. 6. Matth. 16 Matth. 14 Matth. 26 Clim.

in opere Domini vidisset, Similis mihi, inquit, adolescens iste videtur magnis opibus onustæ naui, quæ adhuc sulcat maria, necdum peruenit ad portum: hoc exemplo eius periculum innuere volens. Nec fefellit eum trepida illa suspicio, post paucos enim dies iuuenis ille lapsus est; cuius lapsum beatus Pater diuina reuelatione intelligens, magno cum gemitu exclamauit: Hodie magna quædam Ecclesiæ columna in terram corruit. Porrò autem cùm miserandus ille ruinæ suæ vulnere sauciatus totum se lamentis dederet, ad quosdam monachos, qui ad Antonium pergebant, ait: Rogate senem vt decem saltem dierum inducias ad pœnitentiam mihi à Domino impetret: qui tamen quinto pòst die mortuus est. Iam verò si ætatis nostræ ruinas, & magnorum virorum insperatos lapsus hoc in loco percensere vellem, multo maiorem animis vestris cadendi metum incuterem. Nos itaq. fratres, miseri sumus, quippe quorũ salus & vita, quamdiu in hoc corpore militamus, in tanto discrimine versatur: felix autẽ Ioannes, qui sine vllo suo merito hodierna die in gratia confirmatus, perpetuæ innocentiæ donum nactus est.

Simile.

II.

Neque verò hoc solùm beneficio diuina largitas Ioannem affecit, sed adiecit clarissimum fidei lumen, & rationis vsum, qua & incarnationis Dominicæ Sacramentum, & lætũ Euangelij nuntium, & Domini sui præsentiam agnouit & honorauit. Qui enim rudis asinæ linguam in humanæ vocis organa formauit, qua Prophetæ insipientiam corriperet; qui mutorum ora solet aperire, & linguas infantiũ disertas facere; potuit vtiq. semestris infãtis animã rationis & fidei lumine illustrare. Quid autem hoc dono mirabilius? aut quæ vnquam secula tantum hoc miraculum prodiderunt? Miramur quod Lucas de Domino Saluatore ait; Puer autem crescebat, & confortabatur plenus sapientia. Quid enim mirabilius, quàm infans sapientia plenus? Sed hoc tamen desinit esse mirabile, quando in paruo illo corpusculo omnia diuinarum gratiarum fluenta, & tota etiam diuinitatis plenitudo corporaliter habitabat; quod quidem de Ioanne cogitare nefas est: qui tamen nondum in hanc lucem editus, vera sapientia plenus fuit, quando mirabile Dominicæ incarnationis, & Euangelicæ gratiæ sacramentum Spiritu docente cognouit. Itaque, vt D. Aug. ait, antè peruenit ad cęlum, quàm tangeret terram; antè accepit diuinum spiritum, quàm humanum; antè diuina munera, quàm humana corporis membra; antè cœpit viuere Deo, quàm sibi; antè rapuit arma, quã mẽbra: & vt vinceret mundũ, vicit antè naturã. O vere præcursor Domini, & iudicis præco, qui mortaliũ omniũ primus aduentũ Domini mũdo nũtiasti! Intemerata quidẽ Virgo myste-

Num. 22.

Sap. 10.

Lucæ 2.

Per Hyperbolem hæc D. August. verba accipienda sunt.

mysteriũ hoc prima cognouit, sed sub silentio tenuit; at Ioannes & cognouit, & matri nunciauit. Vocem enim Mariæ (vt Ambrosius ait) Elizabeth audiuit, sed Ioannes prior gratiã sensit: illa Mariæ, iste Domini sensit aduẽtum: istæ gratiã loquuntur, illi intus operantur, pietatisq́. mysterium maternis adoriuntur profectibus; dupliciq́ue miraculo prophetant matres spiritu paruulorum. Alterum enim miraculum est, quòd prophetant matres: alterum, quòd id faciũt spiritu paruulorum. Mater ergo à paruulo suo hoc mysteriũ prima didicit; quòd postea Zachariæ, ac deinde Ioseph, tum Simeoni, Annæ, Pastoribus, & Magis, ac postremò toti mundo nuntiatum est; quod tamen præcursor Domini primus omnium nuntiauit, vt adhuc in vtero latens, præcursoris officium inchoaret: nondum maturus ad ortum, & iam maturus ad officium. Miramur Ionam in vtero piscis orantem: quanto mirabilius est Ioannem cernere in vtero matris prophetantem, adorantem, tripudiantem, & aduentum Saluatoris mundo nuntiantem? Non decebat planè vt summa illa & infinita maiestas ita se ad hæc nostra demitteret, quin creaturæ omnes, omnesq́ue naturæ leges illi submitterent, & suo quoque illum obsequio reuererentur. Ideoque nascente illo, Angeli in terra Deo laudes canunt, pastores adorant, Magi munera offerunt, Simeon Deo benedicit atque prophetat, Anna confitetur Domino, & eius laudes prædicat. Magna hæc profectò mirabilia, & tali mysterio digna: sed isti tamen omnes qui Domino obsequuntur, rationis compotes erant; at semestrẽ infantem vtero clausum, hoc mirabile religionis officium præstare, omnem superat admirationem. Verùm si nascentis dignitatem consideres, nihil hîc habes quod mireris. Tale enim est Verbum Dei carne vestiri, hoc est, Deum similem nobis passibilem fieri, in terris versari, & cum hominibus sub humana specie atque habitu conuersari; tale, inquam, est hoc sacramentum; tantum beneficium, tãta gratia, tanta misericordia, tanta hominum salus & gloria, tantum diuinæ bonitatis, benignitatis & charitatis erga genus hominum argumentum, vt non sit mirum, (si quidem fieri posset) elementa quoq. ipsa, & res mutas atq. inanimes mysterium hoc prædicare, colere, & venerari. Hinc Prophetæ, quoties in hoc tantum diuinæ bonitatis opus oculos coniiciebant, stupefacti, & velut extra se positi, omnia mundi elementa ad laudem, & gratiarum actionem pro hoc tanto munere inuitabant. Hinc & flumina manibus plaudere, & montes laudes iubilare, & ligna siluarum exultare, & bestiæ agri, & dracones & struthiones, Deum glorificare pro hac tanto munere sibi videbãtur. Neque hoc temerè cogitabant, quandoquidem Seruator ipse (qui huius summi beneficij magnitudinem

Ambros. Luc. 1. Lucæ 2. Matth. 2. Ion. 2. Luc. 2. Psal. 97. Psal. 95. Isai. 43.

dinem pleniſſimè intelligebat) Phariſæis (dum pueri Domino Hoſanna acclamarēt) laudibus eius detrahentibus & inuidentibus ait; Dico vobis, quia ſi hi tacuerint, lapides clamabunt. Si ergo lapides, hoc eſt, ferrea & lapidea corda hoc ſummo diuinæ pietatis opere mollienda erant; non vtique mirum eſt, ſi puer etiam ſemeſtris, præcurſorque Domini futurus, cùm ante Domini ſui conſpectum ſiſtitur, ſaliat, geſtiatque in vtero matris, & futurum totius mundi gaudium exultatione ſua præludat. Hoc enim miraculo apertiſſimè deſignauit, incultas & barbaras nationes, quæ nullum veræ religionis cultum, nullum erga diuina ſenſum haberent, hoc tam mirabili diuinæ bonitatis & charitatis argumento, ſummoque beneficio ita emolliendas, vt feritate in pietatem commutata, ſe totas ſanctè & piè Chriſto dicarent, illique indomita colla ſubmitterent. Quando enim hunc pietatis ſenſum rudis infantia percepit, eundem etiam inculta Gentium ruditas erat perceptura.

Lucæ 19.

Quid verò nos, in huius myſterij fide nati atque educati, ad hæc dicemus, qui hoc tanto ſalutis noſtræ opere ante oculos poſito, ne tãtillum quidem cõmouemur? Huius verò tantæ ingratitudinis, atque adeò ſtuporis cauſa eſſe videtur quotidiana hoc ipſum audiendi conſuetudo. Naturale enim eſt hominibus (vt ait Seneca) magis noua quàm magna mirari. Quo fit, vt ſolis defectum miremur, quod raró accidat; cùm ipſum tamen ſplendidiſſimum ſolem nemo miretur, propter quem videndum Anaxagoras Philoſophus ſe natum fuiſſe dictitabat. Sicut ergo nemo miratur ſideris huius magnitudinem; cælum, terras, maria, & vniuerſa, quæ à Deo condita ſunt, illuminantem, quia oculis illud quotidie vſurpat; ita vix quiſquam fidelium miratur Verbum Dei carne indutum, quia nihil in Eccleſia frequentius audit. Altera verò cauſa eſt, quòd vix quiſquam hoc tantum ſacramentum ſecum tacitus expendit, & animo illius magnitudinem euoluit. Quare minimè mirum eſt, ſi voluntas in hoc affectu langueat, cùm intellectus tanti beneficij dignitatē illi minimè proponat. Sancti enim viri, qui nunquã oculos ab hoc ſummo diuinæ dignationis opere diuellebant, ita afficiebantur, ita in Chriſtum Dominum pro illis natum & mortuum rapiebantur, vt cum puero naſcente renaſci, & cum moriente mori ſibi præ doloris & amoris magnitudine viderentur.

Seneca.

Anaxagoras.

Simile.

Sed erit tamen aliquando, cùm huius obliuionis & ingratitudinis reddenda ſit ratio. In illo quippe ſupremo mundi examine nihil erit de quo diſtrictiorem ſupernus ille arbiter rationem, quàm de fuſo ſanguine ſuo exigat. Vt enim D. Euſebius Emiſſenus ait: Qui tantum dedit, ſcit quantum repoſcat. Sed omiſſa iam Elizabeth, ad ſacram Virginem redeamus.

Euſeb. Emiſſ.

III. Quid,

III.

Quid,quæso,ô beata Virgo,inter tot miracula diuina, & inter tam magnifica laudum tuarum præconia cogitas? quid Elizabeth super omnes mulieres te benedictam prædicanti respõdes? *Magnificat*,inquit,*anima mea Dominum*: hoc est,tu quidem,ô sancta femina,amplissimis laudibus dignitatem meã magnificas;ego verò huius meæ dignitatis auctorem Deum ex intimis visceribus magnifico. Tu infantem ais salutante me exultasse in gaudio in vtero tuo;at spiritus meus exultat in Deo Saluatore meo.Me ais inter mulieres benedictam : neque verò tu sola es quæ me hoc nomine prædices; beatam quippe me dicent omnes generationes,ad quas Christi Iesu nomen cognitioque peruenerit: sed ideò prædicabunt, quia humilitatem , hoc est, vilitatem & indignitatem meam respicere ille voluit qui potẽs est, & sanctum nomen eius : qui videlicet vt omnipotens potuit: & vt sanctus, hoc est, liberalis & beneficus voluit me tam magnificis titulis honestare. Atque ita sacra Virgo cùm omnia vni Deo tribuit, & sibi nihil assumit; exemplo suo nos docet, vt quæcunque bona,quæcunque laude digna in nobis existunt, vni illi accepta referamus, illi tribuamus, pro eoque sempiternum illi laudum sacrificium offeramus ; quo de præteritis beneficiis gratias agentes, futurorum digni habeamur. Dignus est enim noua percipere beneficia, qui nec perceptis insolescit, nec datori gratias agere intermittit. Vtrumque autem ad humilitatis virtutem pertinet,quæ in hac sacra Virgine perfectissima fuit. Cuius rei gratia de virtutis huius nomine ac dignitate pauca mihi in concionis huius calce dicenda sunt.

Est autem hæc virtus adeò Christianæ religionis propria, vt apud veteres linguæ Latinæ principes ne nomẽ quidem habeat quo significetur.Humilitas enim apud eos non virtutis, sed vilitatis nomen est. Nec enim Gentiles eius rei nomen excogitarunt,quam prorsus ignorabant.Cùm enim qui virtutis studiosi inter eos habebantur, quis esset humanæ vitæ finis, ad quem actiones omnes (vt Christiana religio docet) essent referendæ , ignorarent; quidquid studiosè faciebant, vel ad vitæ tranquillitatem,quam virtus parit, vel certè ad honorem auramque popularem inter suos captandam referebant: quod ab humilitatis virtute alienissimum est. Quî igitur fieri poterat,vt humilitatem illi amplecterentur,cuius est honores contemnere , & infimum locum semper ambire, atque ignominia etiam interdum gaudere? At Christus Dominus in hunc mundũ veniens, primus omnium humilitatis scholã in terris instituit, quam ita commendauit,vt ab ipsis incunabulis (quæ habuit cum brutis cõmunia) ad mortem vsq. (quam inter latrones perpessus est) eam

eam vehementissimè tum verbis tum exemplis commendauerit. Quæ quidem virtus vt ab ipso tantopere cõmendata, ita in eo resedit, vt nulli hominum alij cõuenire posse videatur. Nam tunc se quempiã humiliare dicimus, cùm ita se demittit, vt de statu & dignitate sua aliquid detrahat: vt si Episcopus relicta Episcopali sede humiliorem locum eligeret. Verùm vbi alicuius conditio tam humilis est, vt esse humilior non possit, neque supersit inferior locus in quem se demittat, is profectò humiliari non potest, cùm non habeat quò descẽdat. Cùm autem humani generis locus sit ipsum nihil (nam facti ex nihilo sumus) vbi nos esse nihil intelligimus, nõ demittimus nos, neq. deijcimus; sed locũ nostrum tenemus. Qui verò locum suum tenet, is dici non potest sese demittere atque humiliare. Cùm verò omnes peccauerimus, si ob peccatũ nos infra nihil esse cogitauerimus, ne tum quidẽ humiliari rectè dicimur, quando & ille locus noster est. Qui enim peccat, ipso nihilo deterior est. Nam à nihilo Deus non offenditur, sed à nobis. Quare meritò dicendum est, locum nostrum, posteaquam peccauimus, esse inferiorem nihilo: quo in loco vbi nos reposuerimus, tũc humiles esse dicimur: Deus tamen, qua est benignitate, acceptum refert humilitatis virtuti, nõ cùm nos infra dignitatem nostram demittimus, sed cùm humilem nostrum locum agnoscimus: Filius verò Dei solus virtutem humilitatis perfectissimè habuisse dicẽdus est, qui cùm in forma Dei esset, neq. rapinã arbitraretur esse se æqualem Deo, seipsum ad humilitatem nostrã demisit, in similitudinem hominum factus, & forma inuentus vt homo. In reliquo autem genère nostro, eo modo quo humilitas in creaturis inueniri potest, summã eam fuisse in Deipara Virgine cõstat, quemadmodum & reliquas virtutes omnes. Nam cùm Dei filius, qui humilitatem primus in orbem terrarũ importauit, illius veluti tyrocinium in Mariæ Virginis vtero gesserit; minimè mirum est, si ipsius mẽti præclarissimã illius vim mirabiliter impresserit. Hoc ipsum autem illa eius verba designant: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. In omnibus ergo generationibus beatam se esse prædicandam vaticinata est: tamen hanc tantam dignitatẽ non sibi, sed soli diuinæ gratiæ attribuit, cùm ait: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: hoc est, quia hanc vilẽ ancillam suam clementibus oculis aspicere dignatus est. Suis ergo meritis nihil, totum verò diuinæ voluntatis beneplacito acceptũ retulit. Hoc igitur, fratres, præcipuũ veræ humilitatis fundamentum, vt pius homo non aliud sibi quàm peccatum & nihilum tribuat: quidquid autem siue in muneribus gratiæ, siue naturæ habuerit, ab illo inexhausto diuinæ bonitatis fonte manare, &

Simile.

Philip. 2.

gratuitum eius beneficiũ esse cognoscat. Huius autem veritatis cognitio altissimè in pectus nostrũ demissa, faciet vt impia nostri fiducia procul pulsa, in sola Dei ope atq. misericordia respiremus, & à gratuita illius benignitate vitã & salutem nostram pendere credamus. Quam rẽ nos exemplo suo sanctissimus ille Rex & Propheta docet, qui posteaquam dixisset, Domine non est exaltatũ cor meum, neq. elati sunt oculi mei, &c. subdit protinus; Sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea: pro quo alij verterunt; Qualis ablactatus erga matrem suã, talis in me anima mea. His autẽ verbis Rex sanctus ostendere voluit, quàm demissè ac humiliter de seipso sentiret. Ad quod explicandum elegantissimè animũ suũ cõparauit infanti quẽ modò mater lacte alere desiit. Vt enim ille totus in materna charitate conquiescit, propterea quòd neq. per ætatẽ corpus curare, neq. sine alterius adminiculo pedibus insistere valeat: ita vir sanctus tota cogitatione pendebat ex Deo: sine cuius auxilio se neq. piũ aliquid vel conari vel cogitare, neq. ipsum quidẽ spiritum ducere posse intelligebat. Huius igitur sanctissimi Regis exemplo hanc humilitatis virtutem præcipuè colamus, fratres. Qua autẽ ratione hoc præstare valeamus, Ioãnes Clim. breuiter ostendit his verbis: Cura sit nobis perpetua atq. indefessa, vt ne tenuis quidem cogitatio ascendat in mentem nostram, quæ bonum nobis vllum vel minimum ex nobis habere suggerat. Hac igitur cautione veram cordis humilitatem, quæ virtutum omnium & custos & fundamentum est, assequemur; quæ rectà nos ad sempiternæ felicitatis gloriam, veræ humilitatis amatoribus constitutam, sine vllo errore perducet.

Psal. 130.

Simile.

Io. Clim.

IN EODEM FESTO VISITATIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ, concio tertia: in qua Euangelica lectio explanatur.

THEMA. *Beata quæ credidisti: quoniam perficientur in te ea quæ dicta sunt tibi à Domino.* Lucæ 2.

SAlutauit hodie, fratres charissimi, Virgo cognatã suam Elisabeth, quã reuelatione Angeli grauidam esse cognouerat. Cuius autẽ virtutis fuerit ea salutatio, pręsens sancti Euangelij lectio satis declarat. Simul enim atq. salutationis eius vox in beatæ sterilis aures insonuit; tum ipsa, tum etiam infãs Ioannes in vtero eius delitescens, Spiritu sancto, cęlestibusque donis pleni

repentè

repentè fuere. Quæ res facit, vt fidelis quisq. illud maximè optare debeat, vt ab hac sacra Virgine simili felicitate salutari mereatur. Ad hoc autem impetrandum cõmodissima ratio esse videtur, si deuotissimo affectu eandẽ nos quoq. Virginem salutemus. Si enim honesti & vrbani hominis est, salutãtem resalutare; agrestis verò & inhumani, hanc mutuam officij vicissitudinem non reddere: quomodo hoc officium beatissima Virgo, quę totius est probitatis & humanitatis exẽplar, prætermittet? Hac igitur ratione salutationem eius promereri licebit, qua eiusdem beatissimæ Virginis amicitiam & gratiam Catharina Senensis promerita esse dicitur. Quam ferunt, cùm adhuc infantula esset, singularemq. erga Virginem dilectionis affectum gereret, hoc obsequij genere illam honorasse, vt quoties illi paternæ domus scalam ascendere contigisset, in singulis gradibus salutationem Angelicam repeteret. Quo factum est, vt singularem apud illam gratiam inire mereretur. Eadem igitur ratione, fratres, beatissimæ Virginis opem, qua nunc potissimum indigemus, impetrare studeamus.

Simile.

AVE MARIA.

Principio Euangelicam historiam (quæ miris diuini Spiritus deliciis & mysteriis referta est) quantum Dominus dederit, explanare incipiamus. Quod cùm facimus, cum discipulis Domini spicas manibus confricamus, vt ad latentia grana perueniamus. Historia igitur sic habet:

Lucæ 6.

Exurgens Maria (videlicet post auditã cæleſtis nuncij legationem, qua hinc Virginis, inde sterilis & grandæuæ mulieris conceptus nũciabatur) *abiit in montana cum festinatione*. Varias huius festinationis causas in superioribus concionibus descripsimus, quibus nunc illam adijcimus, quòd hac ratione Dominus studia & solitudinem animæ, quæ Deum intra se concepit, voluerit designare. Vt enim Maria, vbi Dei Verbum intra virginei pudoris claustra concepit, ad montana cum festinatione perrexit: sic mens illa, quæ Deo grauida est, quæq. expulsis peccatorum tenebris diuini verbi lumen percepit, non stertit, neque otiatur, sed in omni opere bono properat, vigilat, festinat, nihil negligit, & nihil ferè quod ad sui custodiam & pietatis cultum cõferat, prætermittit. Qualem certè animi affectũ regius Propheta ostendit, cùm ait: Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationẽ, &c. Hoc est, eo, Domine, templi tui exædificandi desiderio flagro, vt neque somnum capere, neque domi quiescere possim. Quòd si huius rei causam quæras, ea est, quòd Deus (quem pia mens intra se concepit) ignis dicitur: ideoq. nihil mirum, si igneos ardentesque faciat eos, quos se ipse replet. Vnde cùm legem filiis Israël in Sinai monte donaret,

Psal. 130

Exod. 24. Act. 2. ardentis ignis speciem conspiciendam præbuit; & sub ignis specie in Apostolos descendit: vt quanta illi ad agẽdum vi excitentur, quos diuinus ignis accendit, facilè declararet: vnde est illud Prophetæ: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flãmam ignis. An non flãma ignis Paulus, qui vniuersum mundum nõ solùm peragrauit, sed etiam incendit? An non flamma ignis Elias Propheta, de quo scriptum est; Surrexit Elias quasi ignis, & sermo eius vt facula ardebat? Quia verò ignis neq. latere neque quiescere potest, ideo vbicunq. diuina hæc flamma fuerit, foras erumpere nititur; & modò quidem per orationis, modò per ieiuniorum & vigiliarum, modò per benignitatis & misericordiæ studia se ipsam prodit. Hoc igitur indicio, fratres, de animæ suæ statu quisque iudicare poterit. Sunt enim multi, qui vehementer scire cupiunt, odióne an amore digni sint: hoc est, an intra se Deum commorantem habeant. Hoc nemo fidei certitudine scire potest: potest tamen cõiecturis & quidem grauissimis hac de re iudicium facere. Inter quas pia hæc solertia, solicitudo, & feruor spiritus non postremum locum obtinent. Quisquis enim in opere Domini, & virtutis studio feruet, ignẽ hunc intra se gestare videtur: qui verò torpet & languet, qui desidiosè se gerit ac negligenter, qui ad diuinorum eloquiorum enarrationem nauseat, qui velox ad vanitatem, tardus autẽ ad pietatem & iustitiam est, quomodo ignẽ hunc intra viscera sua habere credẽdus est? Non ergo mirum videri debet, si hodie sacra Virgo cum festinatione in montana properet, quæ ita erat hoc ardentissimo igne occupata, vt illam Ioannes in Apocalypsi splendidissimo & ardentissimo Sole amictam viderit.

Psal. 103. Eccli. 48. Apoc. 12.

Neque verò absurdũ est, si interpretemur etiam festinationem hanc, Virginei pudoris, & verecundiæ indicium fuisse, quæ in publico videri erubesceret. Nam pudor, virginitatis ac pudicitiæ tutissimus custos est: vt contra, inuerecundia, impudicitiæ dux est, & incõtinentis animi signum. Ad huius autem verecũdiæ imitationem D. Ambr. hoc in loco virgines inuitat his verbis: Maria sera in domo, festina in publico, mansit apud cognatam tribus mensibus. Discite virgines, non circumcursare per alienas ædes, non demorari in plateis, nullos in publico miscere sermones. Quod præceptum quoniã Dina, Iacob filia, seruare neglexit, & puellari curiositate ad vidẽdas regionis alienæ virgines progressa est, nõ pudori suo modò, sed etiam vniuerso Sichimorum populo exitium attulit. Hoc autem prodeundi periculum non obscurè Dominus in lege insinuauit, qui cùm masculos omnes ter in anno ad locum sanctuarij sui venire præcepisset, feminas ab hac communi lege liberas esse voluit, ne religionis occasio detrimenti aliquid earum pudori atq. honestati afferret.

Ambros. Gen. 34. Exod. 23.

afferret; vt maiorem quodãmodo pudoris quàm religionis curam habuisse videatur, vtpote quæ sine pudore nulla est. Quæcunq. autem femina pudoris sui, hoc est, incõparabilis thesauri curã habet. Mariam sic imitetur, vt vel domi se contineat; vel cùm prodire pietas aut necessitas iubet, diligẽtem oculis custodiam adhibeat. Quod quidem præceptum non ad feminas modò, sed ad omne genus hominum qui pudicitiam tueri volunt, maximè necessariũ est. Quoties enim, quæso, per has oculorum fenestras ingressa est mors in domos nostras? Nec enim temerè Ecclesiasticus ait; Nequius oculo quid creatum est? Quòd si anatomẽ consulas, nihil oculo pulchrius aut mirabilius in humani corporis fabrica Deus condidit; at hic ait nihil eo nequius esse creatum: qua sanè oratione nõ creaturam Dei, sed abusum hominum dãnat; qui pulcherrimo oculorum organo, imò magno Dei munere ad Conditoris iniuriã abutũtur. Hinc de sceleratis & perditis hominibus Petrus Apostolus ait, quòd habeãt oculos plenos adulterij, & incessabilis delicti. Vix enim vllo alio sensu plus peccatur; vt præstaret multis, oculis esse captos, quàm illorum laqueis irretiri. Neque in animas solùm nostras, sed in vniuersum mundum per has fenestras mors ingressa est. Sic enim legimus; Vidit mulier quòd bonũ esset lignum ad vescẽdum, & pulchrum oculis, aspectuq. delectabile, tulitque, & comedit. Videtis ergo, quonam modo mater omnium viuentium per hunc aditum, peccatum, & mortem peccati contubernalẽ, in mundum inuexit? Quisquis igitur ab hoc tanto periculo tutus esse cupit, obstruat hunc aditum, illudque Ecclesiastici salutare consilium seruare contendat; Noli circumspicere in vicis ciuitatis, neq. oberraueris in plateis illius. Auerte faciem tuam à muliere compta, &c. atque ita puram animam integramque seruabis. Sic sanctus ille Iob inter cætera virtutum suarum officia (quæ ipse de se longa oratione persequitur) hoc tanquam præcipuum enumerat, dicens: Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Quam quidem loquendi rationem sæpe demiratus, à me ipso quærebam, cur vir sanctus tam insolita loquendi figura vteretur; vt, pro eo quod est, Decreui oculis meis custodiam adhibere; dicere maluerit, Pepigi fœdus cum oculis meis. Oratores enim sæpe nõ modò significandi, sed etiam ornãdi gratia metaphoris vtuntur: at literę sanctæ (quibus exigua ornatus cura est) non tam ornandi, quàm plus aliquid significandi causa tropis vti solent: in quibus excutiendis non minima officij nostri portio sita est. Cùm ergo vir sanctus cum oculis suis fœdus pepigisse ait, hoc mihi significasse videtur, quòd quemadmodum qui fœdus ineunt, pacem ita inter se componunt, vt neuter alteri noceat (quemadmodum

Eccli. 30.

2. Pet. 2.

Genes. 2.

Eccli. 9.

Iob 31.

Genes. 21 fœdus iniit Abimelech cũ Abraham) ita huius viri sancti anima cum oculis suis fœdus pepigit, ne ab illis læderetur vnquam, sicut neq. eos ipse vnquam læserat: quod perinde est ac si diceret: Ego vobis, oculi mei, nulla vnquam in re nocui; imò verò vitam, & speciem, & lucem ipsam, qua omnia cernitis, donaui: quamobrem, quæso, ne vos mihi noceatis, néve puritatẽ meam inquineris; ne interiora mea fœdis imaginibus deformetis; néve qui mihi tanquam fenestræ à sempiterno atq. omnipotente Deo dati estis, morti aditũ præbeatis. Hoc est ergo fœdus quod vobiscum ineo, vt, mutuę pacis fœdere inter nos cõposito, neuter alteri detrimentum inferat. Hæc prior fœderis huius interpretatio est. Potest & aliter hic locus ad hunc modũ explanari; In pactis enim & cõuentis leges semper aliquæ intercedere solent, quibus vterque paciscentiũ aliquid sui iuris amittit, & aliquid etiam sibi vindicat, ita vt lucrum ex damno reportet. Hoc igitur modo vir sanctus cũ oculis suis pactũ inierat, vt illi quidem voluptatẽ amitterent videndi quæ vellent, pro qua hoc lucrum & beneficium reportarẽt, ne postea lacrymis & luctu perceptam ex videndi voluptate maculã eluere tenerentur. Quod 2. Reg. 11. planè Dauidi contigit, qui quoniã oculos suos continere noluit, eos diuturno postea luctu, & lacrymis cruciauit: sic enim ait: Psal. 118. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, &c. Et rursum, Lauabo per singulas noctes lectum meum, &c. Quia enim paucas illas noctes inter falsa & flagitiosa gaudia consumpsit, pollicetur se per singulas noctes, hoc est, per totã vitã, fusis lacrymis, pręteritã oculorũ lasciuiã luiturũ. Videtis ergo, quo beneficio afficiãtur oculi, qui videndi licentiã cõprimunt, & huic natiuæ voluptati renunciant; vt videlicet à perpetuo luctu, & lacrymis immunes sint? Hãc ergo disciplinã vir sanctus ideò se seruasse dicit, vt ne cogitaret quidẽ de virgine, hoc est, vt nõ corpus modò, sed animum quoq. purum integrumq. cõseruaret. Cuius puritatẽ Petrus Apostolus in priori epistola, secundùm D. Greg. sen- 1. Pet. 1. tentiã, cõmendat, cùm ait: Propter quod succincti lũbos mẽtis vestræ, prõpti, alacres & expediti magna cũ vitæ sobrietate sperate in eam, quæ vobis affertur, gratiã. Quid verò est lũbos mẽtis succingere? Nam si lũbos carnis dixisset, facilè quid significare vellet, agnosceremus: at per lumbos mentis quid intelligamus, D. Greg. his verbis explicat; Lumbos carnis succingere, est Gregor. in 32. ca. Iob ca. 2. luxuriã ab effectu refrẹnare: lumbos verò mẽtis succingere, est hanc etiã à cogitatione perstringere. Hæc à me dicta sunt, fratres, quoniam in festo beatissimæ Virginis, de his quæ ad virginitatis & pudoris custodiam pertinent, aliquid dicendum esse videbatur, ad quam hæc oculorum custodia maximè conducit. Porrò cùm se occasio alicuius periculosæ rei videndæ obtulerit, inna-

innataq́. nobis vidēdi curiositas ad videndū incitauerit, sic quisquā secum agere debet. Constat planè difficilius esse, animum, vbi aliquid pulchrum visu cōceperit, purum & integrū conseruare, quā illum à vidēdo cohibere. Si ergo modò priusquā illud videam, cōtinere me nō possum ne videam; quomodo, vbi iam videro, & pulchritudine illa me illaqueauero, hærentem animo voluptatem excutere potero? hoc est, si infirmum & debilē hostem, & adhuc foris agentem repellere nō valeo; quomodo natiuæ voluptatis titillatione armatum, & ipsis visceribus hęrentē expellere potero? Sed hæc ipsa dum dico, fratres, dum tot argumentis vobis oculorum castimoniā cōmendo; fateor, erubesco. Cùm enim mihi in mentē venit, quàm longè ab hac disciplina multi sint, qui vsq. adeò à præsentibus periculis visum non cohibent, vt ipsi etiam die nocteq́. auidissimè quærāt quod cū salutis suæ periculo videāt; an non isti modò admonitiones meas ridebunt, à quarum obseruatione tā longè absunt? An nō & ego erubescere debeam, qui tanta contentione studioq́. dicendi non alium fructum, quàm multorū risum fortasse referā? Sed tàmē væ vobis (ait Dominus) qui nūc ridetis, quia flebitis: cū multorum etiā ethnicorum exēplo Dominus oculorū vestrorū lasciuiam condēnauerit. Alexandrum Macedoniæ regem memorat Plutarchus nunquā Darij vxorē, quæ insigni forma erat, videre voluisse, ne eius pulchritudine captus, aliquid se, hoc est, regia maiestate indignum cōmitteret. Antiochus itē Asię rex inuitatus à quodā familiari ad Pantheā egregia forma virginē videndā, ire recusauit: cumq́. is diceret, eam virginē dignā esse regiis oculis, respondit: Si modò illā conuenero cùm per otium vacat, fortasse illa mihi persuasura sit, vt neglectis regni negotiis illam cōueniam etiā cùm nō vacet. Quòd si hac erāt animi cōtinentia præditi viri nulla diuinarū rerū cognitione imbuti, & suorū oculorū ita erāt domini; quàm erit indignū, si nō præstet fides quod infidelitas pręstitit! Sed iam ad historiæ seriem redeamus.

Matth. 5.

Plutar.

I.

Pergit igitur sacra Virgo, vt seniori in futuro partu obsequiū prębeat. Qua in re videre licet, quantā vim habeat humilitas, & animi vera submissio, quæ efficit, vt nunquā pius homo, quāuis maximis à Deo donis honestatus sis, intumescat. Maria sciebat quidem se matrem Dei effectā, sed cùm se paulo antè ancillam appellasset, minimè quidē ancillæ officium voluit deserere, neq. vt mater Domini ad imperiū, sed vt ancilla ad obsequiū se præparauit. Quò autē ministerium suum feliciùs absolueret, filij sui præsentiā, quæ esset opem vicino partui latura, secum afferebat. Solēt enim homines pretiosas Sanctorum reliquias ad difficiles partus iuuādos adducere. Quod quidē officiū tum religiosum &

pium, tum etiam salutare & beneficum esse solet. Hac enim re vel maximè Deus, quàm sibi piorum virtus & probitas chara sit, quantoq. honorandi eos studio teneatur, apertè declarat; qui irreuocabiles naturę leges, quas perpetuò mãsuras statuit; illudque præceptum sempiternum, quod creaturis præterire non licet, non modò piorum voluntati & imperio, dum viuerent, subiecit, sed ossibus etiam & cineribus, atq. vestibus eorum cedere, & quodammodo obtemperare voluit. Sed inter omnes Sanctorum reliquias, nullæ maiores, nullæ pretiosiores quàm corpus Christi quod quotidie adoramus, existunt. Pergit igitur sacra Virgo hoc pretiosissimum Domini corpus intra viscera sua gestans, hoc est, in purissimo sacrario, non auro, gemmis, aut margaritis distincto, sed omnium virtutum cælestiumq. donorum operibus ornato. Hęc autē prima processio fuit, qua Christi corpus gestatum est: quam non saltantium & ludētium turbæ, sed Angelorum chori Virginem comitãtes & laudes Deo cōcinentes adornabant. Nec mirum si tam felix Elisabethæ partus extitit, qui tali matris & filij præsentia adiutus fuerit, & honestatus.

Et factum est (inquit Euangelista) *vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infãs in vtero eius, & repleta est Spiritu sancto Elisabeth, & exclamauit voce magna, & dixit, Benedicta tu, &c.* Exclamatio hæc adeò vehemens (quam sancta femina continere ac reprimere non potuit, quæ diuini spiritus impetu excitata, in illã vocē prorupit) interni affectus magnitudinē indicat. Hunc autem adeò vehementē affectum quis verbis explicare queat? Duab⁹ enim ex causis admiratio excitari solet, vel quia res maximę; vel quia insolitæ sunt. Magis autem (vt ait Seneca) insolita, quàm magna miramur. Hinc sol, nisi cùm deficit, spectatorem non habet; cùm vix quicquam in vniuersa natura maius aut mirabilius sit. Hoc autem in loco quatuor admiranda Dei opera huic sanctæ feminæ reuelata fuisse vidētur, quibus nihil neq. maius, neq. magis insolitum cogitari potest. Cùm enim B. Elisabeth, quæ Angelus cum sacra Virgine tractauerat, Spiritu docente didicisset (alioqui nequaquã diceret: *Beata quæ credidisti, quoniã perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino*) quatuor hæc maxima & stupenda mysteria cognouit. Primum, Virginem Mariam sine vllo viri commercio de Spiritu sancto concepisse. Quod miraculum Hieremias olim in Spiritu præuiderat, cùm dixit: Nouum fecit Dominus super terram: femina circundabit virum. Secundum autē, Verbum Dei, Deum verum, humanam carnem assumsisse, verumq. hominē similem nobis passibilem factum fuisse. Tertium, humilē illam feminã, quam coram se præsentem cernebat, humili fabro desponsatam, Dei matrem, ac totius mundi Dominam existere, sub illo humili ac vili

Seneca.

Hier. 31.

vili habitu vniuersorum latêre Reginam. Postremum, semestrẽ infantem vtero inclusum Domini sui præsentiam agnouisse, & præ gaudio exultasse atq. exilisse. His autẽ miraculis quid, quæso, maius? quid magis insolitum? adde etiam, quid humano generi salutarius? Quid enim mirabilius, quàm Dei Verbum carne vestiri? quid magis insolitum, quàm virginem concipere & parere? Quid magis nouum, quàm infantem in visceribus matris, fide, gaudio, & Spiritu sancto repleri, & redemptorẽ suum non mente solùm, sed corpore etiam venerari? Quando enim hæc mirabilia mũdus audiuit, aut quando tale quidquam suspicari potuit. Hæc igitur omnia sanctæ illi feminæ momẽto temporis reuelata sunt. Nulla enim in discẽdo mora est, vbi Spiritus sanctus doctor est. Qua igitur admiratione, quo stupore sacrũ illud pectus perculsum fuisse credendũ est, cùm tã occulta illi mysteria, tã magnifica Dei dona & mirabilia mõstrata sunt? Qua item admiratione correpta fuit, quo ardore tota intus liquefacta, cùm his verè mirandis operibus immensam & infinitam Dei bonitatem, misericordiã, benignitatẽ, humanitatem, & in genus hominum charitatẽ, vnde tãta hæc mysteria & beneficia manarũt, tam apertè cognouit? Si enim veteres illi Patres tantopere Dei bonitatem, potentiam & paternam suorum curam & prouidentiã mirabantur, cùm illos, interfectis Aegyptiorum primogenitis, & aperto mari, à Pharaonis seruitute liberauit, & in promissam terram intulit: (vt quidã eorum tantarum rerum admiratione stupefactus exclamaret: Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum. Audiui, & conturbatus est vẽter meus, à voce cõtremuerunt labia mea) quid, quæso, nũc beata hæc femina sentire potuit, cùm Deum in carne venisse intelligit, vt morte sua hominem à diaboli potestate ereptum, cælestis regni hæredem institueret? Quales igitur affectus, quis ardor, quis stupor, quæ gaudia in pio illo pectore tũc exæstuauerint, solus ille nouit, qui hoc tantum beneficiũ in illud contulit. Imò verò non dubito, quin huius admirationis & amoris vis ita mentẽ eius occupauerit, & tam altas in corde eius radices iecerit, vt multo deinceps tempore vix somnum aut cibum capere, vix aliud aut cogitare, aut loqui, aut meminisse potuerit; sed rerum omnium, atq. adeò sui ipsius oblitam, & velut extra mundum & se ipsam positam, nihil aliud aut attendere aut agere potuisse. Quid nos ad hæc dicemus miseri, propter quos hæc tam magnifica Deus opera molitus est (quæ ipsas etiã Angelorum mentes stupefaciunt) qui nec tantis his beneficiis commouemur, neq. ea mente saltem & cogitatione recolimus, neq. pro illis largitori gratias agimus, neq. sic vitã instituimus, vt tantorum munerum participes effici mereamur? Cumque à

Abac. 3

nobis omnis iustitiæ & æquitatis ratio hoc exigeret, vt amantē Dominū redamare, honorantē vicissim colere & honorare deberemus: tantū abest, vt hoc præstare velimus, vt multi etiā nostrorū (quos sic Dominus redemit, sic amplificauit & ornauit) ita viuant, vt per eos nomē Domini malè audiat, & inter gētes blasphemetur. Hiccine est tantorū beneficiorū fructus? hic animus erga Deū beneuolus & gratus? hæc religio talibus rationibus cōcepta? hic honos pro tot muneribus & beneficiis relatus? Deniq. vt quod dico magis cōspicuum fiat, audiui superioribus annis, eos milites, qui nouas hac ætate, & nunquam antea notas orbis partes repererūt, adeò crudeliter erga illarū prouinciarum homines se gessisse, vt qui tyrannide illa opprimebantur, Christum appellarent crudelitatis Deum: existimantes omnia crudelitatis exempla ex legis Christianæ imperio atq. præscriptione ab illis fieri, qui Christianos se esse gloriabantur. O scelus iufādum? ô dedecus nominis Christiani, infamiamq. perpetuis lacrymis deplorandam! Quis adeò stupidus esse poterit qui æquo animo ferat, tantam ignominiæ notam propter efferatos Christianorum mores Christo Iesu Dei Filio inustā esse? quis æquo animo patiatur, illum inexhaustū pietatis & misericordiæ fontem, ferum, immane, atq. crudele numen ab hominibus propter eos ipsos haberi, qui eandem sunt misericordiam innumerabilibus beneficiis consecuti? Neque verò propter hæc tantummodo scelera, sed propter quàm plurima alia sceleratorum hominum facta sanctissimum Christi nomen passim apud fidei religionisque hostes malè audit, quibus sanè sceleribus vix maiora, ne apud ethnicos quidem, vnquam reperias. Sed his omissis, ad beatam Elisabeth redeamus.

II.

Ecce, inquit, vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit gaudio infans in vtero meo. Miramur Dauidem regē diademate posito, & ephod lineo indutum, totis viribus ante arcā Dñi saltantem: quāto mirabilius est, infantē materno vtero inclusum, non ante ligneam, sed ante viuā Dei arcā exilientē, & exultantem, & motu corporis (quod voce non poterat) redemptoris sui aduentum prædicantem? Immaturus quidem erat ad ortum, sed iam maturus ad officium. Velox nuncius, qui antè gestiuit nunciare quā nasci. Nunc illum ostēdit corporis motum, quē postea monstraturus erat digito. Sed quid mirū si futurus Sponsi amicus tam magnificis ab amico donis præuētus est? Mirum quoddam in citharis animaduertimus. Si enim duas inter se citharas, neruis simili ratione distentis, concordes reddideris; vbi alterius neruum tetigeris, is qui in altera cum illo in eodem ordine consentit, sine vllo tactu ab alterius sonitu commouetur.

2. Reg. 6.

Simile.

Quæ res inter naturæ arcana meritò numeratur: cuius tamen nõ aliã causam Musices periti, quàm neruorum conuenientiã afferunt. Quæ autem magis inter se cõueniunt, quàm sponsus, & amicus sponsi: iudex, & iudicis præco; Dominus, & præcursor Domini; ac postremò Verbum Dei, & vox Verbi? Christus enim Dominus Verbi, Ioannes vocis nomen habet, qui per Prophetam dicit; Ego vox clamantis in deserto. Quanta ergo hæc duarum personarum conuenientia! Quid ergo mirum, si cùm infans Verbum per salutationem insonat Mariæ, infans vox in matris vtero ita commoueatur & saltet?

Simile.

Esaiæ 40.

Addit preterea Elizabeth; *Beata quæ credidisti.* Verè beata, quę sanctos omnes vt virtutibus & dignitate, ita fide quoq. superasti. Quàm multi enim ex antiquis Patribus, vt minora crederẽt, signa petierũt! Zacharias Ioannis pater, signũ ad desperatã sobolem sperandam petiit. Ezechias in solis retrocessione spem salutis; Gedeon rorido vellere promissæ victoriæ signum petiit. Ipse quoq. Pater Abraham (cuius fidem Paulus tantopere cõmendat) cùm Chananæorum terrã posteris suis tradendã à Domino accepisset, respondit: Domine Deus, vnde scire possum quòd possessurus sim eam? At beatissima Virgo tot miraculis & promissis (quibus nihil vnquã simile in omnibus seculis visum est) ab Angelo propositis, nulla cunctatione, nulla interposita mora, nullo ad tantarum rerum maiestatẽ signo postulato, assẽsum ita præbuit, vt hoc potissimùm nomine à beata Elizabeth commendetur, dicente, *Beata quæ credidisti.* Ex quibus verbis apertè colligit Ambrosius, Mariam nihil addubitasse: quandoquidem eius hoc in loco fides, & beatitudo fide parta, Spiritus sancti testimonio commendatur. Subditque protinus:

Lucæ 1.

4. Reg 21
Iudic. 6.

Ambros.

Quoniam perficietur in te quæ dicta sunt tibi à Domino. Ex his verbis nouũ aliud miraculũ in matre, sicut in filio, animaduertere licet: nẽpe insignẽ prophetiæ spiritum huic sanctæ feminæ diuinitus collatum. Triplex enim prophetiæ genus esse statuunt; Vnum, quod præterita, & ab omniũ hominũ memoria remota cõplectitur; quale Moysis fuit, cùm cæli & terræ molitionẽ, & priorum hominum vitas moresq. soli Deo cognitas, descripsit. Alterum, quòd præsẽtia, insolita tamẽ neq. vulgari ratione cognita ostendit, cuiusmodi prophetia Ioanni tribuitur, qui Dominum Iesum, cælesti indicio sibi reuelatum, hominibusq. incognitũ, digito ostẽdit, dicẽs: Ecce Agnus Dei, &c. Tertium est cõmune atq. vulgatũ, cùm ea quæ futura sunt, longè antè prænunciãtur. Hæc autem tria prophetãdi genera beata Elizabeth his verbis se percepisse declarat. Præterita enim se cognouisse ostendit, cùm ait: *Beata quæ credidisti.* Futura, cùm subdit: *Perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino.* Præsentia verò, cùm ait,

Ioan. 1.

Vnde

Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Sed quis tibi, ô beata mulier, hãc esse Dei matrẽ, & rerum omnium Dominam ac Reginam demonstrauit? Quid in ea regij apparatus? quid terreni splendoris? quas regias opes? quam familiã? quos ministrantium ordines cernis, vt hanc Dei matrem, hoc est, mundi Reginam appelles? Nihil hîc nisi solitudinẽ, paupertatem, inopiam cernis, qualem humilis fabri humilem sponsam decebat. Sed longè tamen (ait illa) maiora dignitatis huius argumenta intra me habeo. Infans vtero meo clausus gaudio suo hoc mihi mysterium nunciauit: quẽ cùm Spiritus sanctus repleuit, in me idem Spiritus dilapsus est. Quod honoris & dignitatis genus omnes omniũ Regum & Imperatorum opes & ornamenta infinitis partibus superat. Quis enim vnquã inter omnes Gentiũ Monarchas hoc honoris genere decoratus est, vt ab infãte vtero matris incluso adoraretur? Quid tu ad hæc B. Virgo? quæ & quales cogitationes voluuntur in animo tuo? Satis ad gloriam tuã, cælestis nuncij, hoc est, Gabrielis Archangeli testimonium erat; qui te Dei matrem, & inter mulieres benedictam pronunciauit. Accedunt modò admirandæ dignitatis tuæ nõ minùs illustria testimonia: nempe infantis, matris, & Spiritus sancti; qui tot editis miraculis dignitatem tuam prædicat. Quibus sanè testimoniis euidenter cõstat, te electam in Dei matrem, Angelorum Dominam, cælorum Reginam, fulgidam lucis portam, cęli fenestram, Regisque alti ianuam; ac demum ad eum dignitatis gradum euectam, quo sub Deo nullus maior inter meras creaturas intelligi potest. Quid igitur tam magnificis dignitatum titulis ornata cogitas? quid dicis? quid ad propositas tibi per Elisabeth laudes respondes?

Magnificat, inquit, *anima mea Dominũ.* Infantium est, omnibus in rebus, siue tristibus, siue secundis, ad matris gremium confugere, & in illius sinu conquiescere. Hoc autẽ vel maximùm piorum hominum proprium est, qui se ipsos, velut infantes; Deum verò, tanquã piam matrẽ filiorum affectu prosequuntur: ideoq. quidquid illis siue lætũ, siue triste accidat, ad illius sinum supplices cõfugiunt, in rebus afflictis auxilium petẽtes, in secundis verò gratias agẽtes, & gloriã eius prædicantes. Ad hunc ergo modum beatissima Virgo, cùm se tot titulis ac nominibus cõmendari animaduerteret, intelligeretque laudes illas omnes diuinæ benignitatis dona & beneficia esse; omnia illi accepta referens, nihilq. sibi sumens, totaq. in benefactoris laudes effusa, *Magnificat*, inquit, *anima mea Dominum.* Sed quæ mens concipere, quæ oratio explicare valeat, quo animi ardore beatissima Virgo in hãc vocem eruperit, & quo deuotionis affectus eius anima Dominum magnificauerit? Quid est autẽ Dominum magnificare? Num

Simile.

Num poteſt aliquis Deum maiorẽ facere, aut magnitudini eius aliquid addere? Minimè quidẽ. Ergo magnificare illũ, nihil erit aliud, quàm intimo corde magnitudinis eius immenſitatem ex eius operibus, cum quodã mentis gaudio demirari: quo quidem modo Mariæ anima Dominum magnificauit. Sed quibus operibus inducta hanc Domini magnitudinem agnouit? Nunquid operibus ſex dierum, quibus cælum, terras, maria, ſolem, lunam, cæteraq. aſtra fabricauit? Magna quidẽ opera ſunt hæc, & quæ diuinæ potentiæ, ſapientiæ, atq. bonitatis magnitudinem vſque adeò ſpectatoribus ſuis declarãt, vt à magno illo monacho Antonio libri appellarentur quibus auguſtiſſima illa diuinæ mẽtis perfectio ampliſſimè explicaretur. At beatiſſima Virgo non ex his tantùm diuinæ magnificẽtiæ operibus immenſam Dei maieſtatem agnouit, ſed vt ipſa apertè cõfitetur, *Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius.* Multo enim maiora ſunt quæ operatus eſt in me, quàm quæ in tam vaſta mũdi mole fabricatus eſt. An nõ multo maius eſt Deum hominẽ fieri, quàm omnes, quos Democritus finxit, mũdos creare? In his ergo (inquit Maria) operibus, quæ in me, clementiſſime Pater, patrare dignatus es, ampliſſimę certè potentiæ, bonitatis, charitatis, benignitatiſque tuæ magnitudinẽ multo magis, quàm in vniuerſa rerum natura cõſpicio: nullumq. adeò magnum externa hæc opera tua de te mihi teſtimoniũ tradere poſſunt, vt non multo his maiora intra me ipſã cõſpiciam. Pro his ergo tantis diuinæ gratiæ muneribus laudat & magnificat anima Marię Dominũ. Sciebat enim ſacrificiũ laudis poſt accepta beneficia eſſe Deo gratiſſimum: hoc enim ipſe Dñs teſtatur, cùm ait: Sacrificium laudis honorificabit me. Non quòd laudibus noſtris quidquam illi aut honoris aut magnitudinis accedat; qui maior eſt omni laude; ſed quòd ipſe, qua eſt benignitate, hoc noſtræ erga ſe pietatis & religionis affectu delectetur, & perinde gratum habeat, ac ſi illi quidquam officio noſtro accedere poſſet. Quod Hieronymus Vida his carminibus teſtatur:

Democritus.

Pſal. 49.

Et quamuis mortale genus nil promere poſſit
Laude tua dignum, noſtras tamen, optime, laudes
Non renuis, gaudesq; hominum pietate benignus.

Quamuis igitur is bonorum noſtrorum non egeat; ſola tamen incomprehenſibili ſua bonitate & charitate ſe noſtris laudibus honeſtari profitetur, eaſq. à nobis frequenter exigit; non ob aliquam ſuam commoditatem; ſed quo materiam inde capiat, dona ſua piis & gratis hominibus largiùs communicandi.

Addit deinde beata Virgo: *Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Quis, ô beata Virgo, exultationis tuæ magnitudinem verbis conſequi valeat? aut quis dubitare poterit prò magnitudine

dine cæleſtium donorum fuiſſe magnitudinē gaudiorum? Neq. enim dignitatis tuæ inſcia eras, dum diceres, *Quia fecit mihi magna qui potens eſt.* Et, *Beatam me dicent omnes generationes.* Si enim Apoſtolis dicere licuit; Nos autē nō ſpiritū huius mūdi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis: quanto magis Apoſtolorum Regina atque magiſtra hoc verè dicerę potuit? Hoc enim vos, fratres, admonitos velim, quòd quemadmodum inter maxima Dei dona, donorum ipſorum cognitio numeratur (qua in largitorē grati & beneuoli ſumus) ita percepta beneficia non agnoſcere, nec datori acceptà referre, magnum diuini furoris argumentum eſt. Hinc enim ingratitudo, hinc abuſus diuinorum beneficiorum, hinc faſtus & præſumptio, & aliorum cōtemptus; & ſuperbia (peccatorū omnium parens) originem ducunt. Hoc autem perditorum ac ſceleratorum hominum commune eſt, qui vt publicas calamitates & clades non culpæ ſupplicia, ſed naturæ conditionem putant: ita diuitias, honores, nobilitatem ac potentiam non Dei dona, ſed fortunæ munera arbitrãtur. Quo fit vt neq. plagis immiſſis corripiantur, neq. pro perceptis beneficiis gratias agãt, ſed illorum abuſu deteriores fiãt. At contrà Sanctorum omniū eſt, quę ſibi à Deo donata ſunt, noſſe; immortaleſque pro illis largitori gratias agere. Si ergo B. Virgini longè plura dona quàm omnibus Sanctis donata ſunt, & pro magnitudine donorum fuit, etiã, vt modò diximus, magnitudo gaudiorū; cōſequens eſt, vt quēadmodum nulla cogitatio noſtra donorum magnitudinem, ita neque huius gaudij magnitudinem concipere pro dignitate poſſit. Huius verò tantæ exultationis cauſam ſubdit, cùm ait:

2. Cor. 2.

Quia reſpexit humilitatē ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatã me dicēt omnes generationes. Animaduertite in his verbis maximã Virginis humilitatem cum ſumma prudentia coniunctam. Elizabeth paulo antè dixerat, *Beata quæ credidiſti*; videlicet fidei eius tam magnifica dona tributa eſſe prædicans: at prudentiſſima Virgo non fidei, non alicui virtuti aut meritis, ſed ſoli diuinæ bonitati totum hoc adſcribit, quæ ſe tanto hoc munere indignam clēmenter reſpicere voluerit. Humilitas enim hoc in loco nō virtutem humilitatis, quam Latini animi ſubmiſſionē vocant, ſed vilitatem & abiectionem ſignificat: vt ſit ſenſus: Non ob aliud beatam me ſecula omnia prædicabunt, niſi quoniam omnipotens & ſanctus ille Dominus abiectam me & vilem miſericordiæ oculis reſpicere dignatus ſit. Quod perinde eſt ac ſi illa Pauli verba dixiſſet, Gratia Dei ſum id quod ſum. Sic igitur ſacra Virgo dum humilitatem ſuam commemorat, non humilitatis ſuæ virtutem allegat, ſed eius maximè officium exercet, cuius eſt, nihil omnino ſibi tribuere, ſed omnia Deo accepta

1. Cor. 15

referre,

referre,& ad bonitatis eius gloriam reuocare.

Hanc igitur humilitatis virtutem,quæ singulari quadam ratione in beatissima Virgine emicuit,tota mente atque ardore imitari studeamus,fratres.Quisquis autem animam suam peccatorum maculis deformatam sentit,habet vtique intra se cum B. Maria Magdalena vnde humiliari, seque (vt ita dicam) ad ima submittere possit. Huic enim illa humiliandi ratio conuenit,quam Michæas Propheta designauit, cùm dixit: Humiliatio tua in medio tui. Si verò puritatem & innocentiam singulari Dei dono consecutus est; beatissimæ Mariæ humilitatem sectetur, quæ quidquid intra se cælestium donorum acceperat, gratuitum diuinæ benignitatis munus esse prædicabat. Iacto enim firmo virtutis huius fundamento, cæteræ deinde virtutes consequentur; ac præcipuè fidelis & indiscussa obedientia, fortis & inuicta malorum patientia,& lenitas ac mansuetudo, humilitatis germana filia; quibus,ceu gradibus quibusdam in illa mystica Iacob scala designatis, ad ipsum tandem Dominum, scalæ innixum,& beatam eius visionem,ipso adspirante, & iter nostrum,bene fortunante,feliciter peruenire poterimus.

Mich. 1●.

Genes.22

PRIORIS DE PRAECIPVIS SANCTORVM FESTIS TOMI FINIS.

[illegible]
DE SANCTIS